Digitized by Google

Digitized by Google

HENRICI ALTING
*S. Theol. Doct. & Profeſs.*

# THEOLOGIA HISTORICA,

*SIVE*

## SYSTEMATIS HISTORICI

Loca quatuor.

*In inclytâ Academiâ*

GRONINGÆ & OMLANDIÆ

*publicis Prælectionibus propoſita.*



*AMSTELODAMI,*

Apud JOANNEM JANSSONIUM.

cIↄ Iↄc LXIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

# PRÆFATIO
## AD
# LECTOREM.

*POſt editam Theologiam Didacticam ac Polemicam, & hanc quidem repetitis prælectionibus pertractatam, viſum eſt etiam publico dare particulam Theologiæ Hiſtoricæ, quam in complementum univerſæ doctrinæ ſacræ, per Locos Communes digeſtæ, Reverendus Parens meus adornaverat. Equidem fateor, hæſitaſſe me nonnihil, utrum opus tam imperfectum, & vix quartâ ſui parte abſolutum, in lucem protruderem; quod ſalivam potius Lectori movere, quam juſtum ejus deſiderium explere poſſet. Sed quum nonnulli eſſent, qui qualecunque ſpecimen videre geſtirent hujus etiam Hiſtoricæ inſtitutionis, quam ab ore docentis tam avidè hauſiſſent; illorum ſtudiis gratificandum duxi. Maximè ut oſtenderem, quod conſilium Autori fuerit, quum in Locis ſuis Theologicis non permiſtè, ut vulgò fieri aſſolet, quodvis doctrinæ aut argumentorum genus traderet, ſed veluti*



Digitized by Google

*claſſibus diſtinctam univerſæ Syſtematicæ Theologiæ tractationem ſibi proponeret. Atque ſanè uti cæteras partes, ſic vel hanc præcipuè ut abſolveret, in votis habuiſſe eum conſtat: non tantùm quod ſummâ cum voluptate in cognoſcendis Eccleſiæ temporibus, & omnis ævi indagandâ veritate verſaretur; ſed etiam quod pauciora hujus generis ſcripta, maximè in uſum Academicæ juventutis, hactenus edita ſciret. Nec facilè ſe ab eâ avelli paſſus fuiſſet, niſi quod alibi dictum, utilitas Studioſorum, ut plerunque in Academiis, recens adventantium, dogmaticam magis informationem poſtulare viſa eſſet. Imò eâdem ad tempus omiſſâ, ſæpius nihilominus optavit ejus tractationem poſſe reſumere, tum alios ob locos, tum præcipuè ob locum de Eccleſiâ, cujus conſtitutionem, & diverſam pro ætatibus formam ac diſciplinam, varioſque caſus, quibus ſubinde implicita fuit rurſuſque emerſit, velut in tabellâ pictoriâ deſcribere & repræſentare cupiebat. Allectus ad hoc ipſius Scripturæ exemplo, utpote quam obſervaſſet non uno in loco contentam fuiſſe, vel ſolam hiſtoriæ narrationem adhibere, ſive ad aſſerenda & vindicanda graviſſima Religionis incorruptæ capita, ſive ad celebranda Dei*

*bene-*

Digitized by Google

*beneficia & ſtabiliendam in Deo fiduciam, ſeu ad comminationes incutiendas, aut reſipiſcentiam in populo excitandam opus foret: quemadmodum ex variis Prophetarum V. T. concionibus, & vel unâ Stephani protomartyris apologeticâ oratione facile liquet. Sed alio, ut dixi, inſtitutionum genere abreptus Rev. Parens, relicto operi manum deinceps admovere non potuit. Igitur hâc vel exiguâ ſectione operis fidem meam, quam de quadripartito illo Syſtemate Theologico publicando Tibi, benevole Lector, olim obſtrinxeram, nunc in univerſum liberare cogito. Nam quod Didacticam Novam attinet, quæ prima Groningæ tradita eſt, quod plurima cum Veteri illâ, Heidelbergenſibus ſcriptis comprehenſa, haberet communia, eam viſum eſt in totum omitti, vel ſaltem ad aliud tempus poſſe differri. Sicut & alia Rev. Parentis mei ſcripta, luce fortaſſis alias non indigna, privatâ impoſterum cuſtodiâ aſſervare decrevi. Modo liceat mihi per illos, qui feſtinata clarorum Virorum ſcripta, aut in quorundam privatum uſum concinnata, inconſultis autoribus divulgare præſumunt. Quale ſcriptum nuper in manus meas incidit, publicatum à quodam* Jacobo de David, *Paſtore Eccleſiæ*

 *Steen-*

*Steenwicenſis, idque ſub nomine Rev. Parentis mei, titulo* Catechiſationis in Catechiſmum Heidelbergenſem. *In quo etſi præproperum Editoris ſtudium ad rem Eccleſiæ juvandam excuſari fortaſſe poterat; reprehenſione tamen non vacat, quod tam liberè falcem in alienam miſerit meſſem, nec ubique in vertendo fidem præſtiterit; quæ ab Interprete requirebatur. Mitto quod plurima loca de ſuo interpolaverit, plurima huc illuc trajecerit, præter mentem Autoris: qui illud ſcriptum non tam preſſo pede ad Catecheſin Palatinam, ſed certo conſilio ad privatam quorundam Illuſtrium ac Generoſiſſimorum ſuorum diſcipulorum inſtitutionem accommodaverat. Atque hæc iccircò monere nunc viſum eſt, ne quis alius in cætera Rev. Parentis ſcripta, (ſi quæ ex ſchedis ejus, hic illic diſperſis, fortè in manus ejus pervenerint,) ſimile jus ſibi uſurpet: quùm rogatu illorum uti hactenus difficiles in edendis non fuimus, ità impoſterum publicum non ſimus fraudaturi, ſi quid eorum poſthac emitti ex re Eccleſiæ eſſe videbitur. Vale.*

JACOBUS ALTING.



Digitized by Google

HENRICI ALTINO

# HISTORICA THEOLOGIA.

Digitized by Google

# INDEX

## *Locorum Theologiæ Hiſtoricæ.*

Locus
I. De Naturâ Theologiæ. pag 9
II. De Verbo Dei, ſive de Sacrâ Scripturâ. 68
III. De Deo, Eſſentiâ Uno, Trino Perſonis. 166
IV. De Decretis Dei in genere, deque Prædeſtinatione divinâ in ſpecie. 244

Digitized by Google

# P R O OE M I U M.

A*Vſpicaturo mihi* Hiſtoricam Sacræ Theologiæ Inſtitutionem *venit in mentem illud Apoſtoli Phil.* 3. *v.* 2. τὰ αὐτὰ γράφειν ὑμῖν ἐμοὶ μὲν οὐκ ὀκνηρὸν, ὑμῖν δὲ ἀσφαλές: Eadem ſcribere vobis me quidem haud piget, vobis verò tutum eſt. *Tradiderat Philippenſibus Apoſtolus integram & incorruptam doctrinam Euangelii, & illuſtri miraculo comprobarat Act.* 16. *cap. Eandem verò poſteà pullulante inter ipſos Pſeud-apoſtolorum hæreſi, ſive hâc unâ, ſive etiam pluribus aliis, quæ non exſtant, ut nonnullorum ſententia eſt, Epiſtolis iterandam cenſuit ac confirmandam. Quod cum novaturientibus ingeniis, quorum omnis Eccleſiæ ætas ferax eſt, faſtidium adferre poſſet, paucis præfatur, id neque ſibi moleſtum eſſe, neque ipſis inutile aut ſupervacaneum videri debere. Sui quippe muneris eſſe neceſſariam hanc doctrinam non modo ſemel tradere, ſed etiam ſubinde repetere, & imis animorum ſenſibus altiſſimè imprimere. Nec minus eſſe officii ipſorum eandem frequenter audire ac legere, perpetuo meditari & conſtanter retinere: quo ita* ἀσφάλεια *ejus & certitudo firma ſtaret & inconcuſſa, adverſus quaſvis ſeductorum technas & machinationes. Neque enim doctrina ſalutis alia aut diverſa, ſed una ac eadem eſt; idem Euangelium; idem ſalutis fundamentum, cui omnium fides ſuperſtruitur. Unde Moſes & Prophetæ in Veteri, & Euangeliſtæ atque Apoſtoli in Novo Teſtamento eandem doctrinam Legis & Euangelii prædicaſſe, prædicatumque in literas retuliſſe leguntur. Quod ſi Socrates, teſte Xenophonte lib.* 4. *Sermonum ipſius,* τὰ αὐτὰ περὶ αὐτῶν *ſemper diſſeruit, ut ipſe ad Hippiam profitetur; quod conſtans & immota ſit juſtitiæ regula, quæ nec hominum opinionibus nititur, neque temporum locorumve circumſtantiis variat.: quanto magis doctrina cæleſtis non humanam, verùm divinam, nec Legis tantùm, ſed præcipuè Euangelii juſtitiam revelans uniformis ac eadem eſt, omnis mutationis, alterationis, interpolationiſque ex-*

*pers. Quæ cum ita ſint, nemo veſtrum mirabitur, quod poſt Inſtitutionem Sacræ Theologiæ Didacticam, Problematicam & Elencticam, quibus ſingulis totam Religionis doctrinam complexus ſum & expoſui, etiam Theologiam Hiſtoricam tradere atque docere aggrediar. Repetitur idem genus doctrinæ, iidem Loci Theologici retexuntur: non familiari multis ταυτολογίας vitio, ſed certiſſimo ſtudiorum veſtrorum commodo: nempe ut quæ ante audiviſtis vobis in memoriam revocentur, plenius declarentur, firmiuſque adminiculante Spiritus Sancti gratiâ perſuadeantur. Quo uno vix, quicquam utilius magiſve neceſſarium ad ſolidam veritatis cognitionem cenſeri debet. Hoc inprimis tempore, quo exitiales variarum hæreſium errores in Eccleſiâ non amplius clam ſerpunt, ſed palàm graſſantur: & improvida juventus cum aliis tum ſacris ſtudiis dicata, ſive receptæ doctrinæ neglectu, ſive novitatis pruritu priorum facile obliviſcitur, vel etiam ab iis deſciſcit. Quanquam faſtidii remedium ipſe παιδείας τρόπος exhibet. Vtut eadem doceantur de iiſdem, more non tam Socratis quam Prophetarum ac Apoſtolorum, non tamen eâdem formâ ac modo pertractantur; ſed gratâ varietate methodi pariter & explicationis veluti ſuavi condimento temperantur. Quemadmodum enim totam Theologiæ doctrinam initio propoſui διδακτικῶς ad nudam ſimplicemque veritatem cognoſcendam, inde προβληματικῶς ad difficiliores Theologorum quæſtiones enodandas & intelligendas; hinc ἐλεγκτικῶς ad religionis Controverſias examinandas & expediendas: ita nunc ultimo loco ſubjungam* Theologiam Hiſtoricam, *ut originem, propagationem, depravationem & reſtaurationem doctrinæ Theologicæ per ſingula ejus capita ſive Locos ex monumentis fide dignis cognoſcere poſſitis. Quod priuſquam facere occipiam, de duobus differam προλεγομένως. Primo loco demonſtrabo exiſtentiam & veritatem Theologiæ Hiſtoricæ. Deinde verò naturam ejus atque indolem brevi definitione complectar, & juxta quatuor cauſarum genera exſequar.*



Digitized by Google

## De Priore.

Dari *Theologiam Hiſtoricam* ſi quis inficias eat, aut in dubium vocet, nec abſque ratione id agere videbitur, nec ſine exemplo. Conſtat enim dogmatica & hiſtorica ita opponi inter ſe, ut contradiſtinguantur. Cum igitur citra controverſiam dogmatica ſit Theologia, ſub genus Hiſtoriæ minimè cadere aut cogi poſſe cenſetur. Accedit quod citra neceſſitatem ut diſciplinæ minimè augeri, ita nec Theologia multiplicari debeat. Hic verò nulla Theologiæ Hiſtoricæ neceſſitas appareat, cum quicquid ejus hiſtoricum eſſe ſub altero dogmatico comprehendatur: quod abſque circumſtantiis hiſtoricis doceri diſcive nequeat. Denique ajunt in illa Topicorum Theologicorum multitudine non exſtare peculiarem Theologiam Hiſtoricam à dogmaticâ diſtinctam; & in toto Theologorum choro vix repertum iri, qui Theologiam hiſtoriæ methodo & lege contexuerit, aut contextam reliquerit. Prætereo aliàs rationes, quæ eandem in ſententiam proferre poſſent.

Theologiæ Hiſtoricæ exiſtentia negatur 1. 2. 3.

Iis omnibus multò evidentiores & firmiores ſunt, quibus exiſtentia & veritas Theologiæ Hiſtoricæ demonſtratur. Affirmatur.

1. *Prima:* Hiſtoria Sacra & Eccleſiaſtica V. & N. T. non tantum eſt rerum geſtarum, ſed etiam dogmatum narratio. Moſes & Prophetæ in Veteri, & Euangeliſtæ in Novo Teſtamento non minus doctrinam Eccleſiæ, & quæ circa illam acciderunt, quam ipſius Eccleſiæ ortum, propagationem, & variam fortunam deſcripſerunt. Idem poſt illos fecêre Scriptores Apocryphi, nec non Joſephus in Ἀρχαιολογίᾳ ſuâ. Ab exceſſu Apoſtolorum illud ipſum præſtitêre Euſebius, Ruffinus, Socrates, Theodoretus, Sozomenus, Euagrius, Nicephorus, aliique hiſtoriæ Eccleſiaſticæ conditores. Ut ergo habito delectu alii perſonas & res geſtas à dogmatis ſepararunt ad contexendam ſimplicem narrationem: ita viciſſim dogmata à perſonis & rebus geſtis rectè ſeparantur, ad genus doctrinale certâ ὁμογενείας ordiniſque lege conſtituendum: quæ eſt ipſiſſima Theologia Hiſtorica.

2. *Secunda:* Ipſa Scriptura ſeriem & propagationem doctrinæ ex diffuſis narrationibus ὡς εἰς σύνοψιν colligit & compendio conſtringit. Exempla paſſim obvia ſunt in Deuteronomio & Pſalmis, præſertim Pſal. 78. 105. 106. & alibi. Sic Act. 1. & 13. & Heb. 11. capp. Quidni igitur dogmata ordine hiſtoriæ excerpi, & proprio Theologiæ hiſtoricæ titulo tractari queant?

3. *Tertia:* Exſtant & in manibus ſunt omnium pene Diſciplinarum & Facultatum hiſtoriæ, non ſolum ab hiſtoricis Herodoto, Diodoro Siculo, aliiſque, ſed etiam ab ipſis Philoſophis, Jureconſultis, &

Medicis conſignatæ. Quanto igitur majore curâ & ſtudio hiſtoria religionis & omnium ejus dogmatum colligenda, certiſque capitibus juxta locos doctrinæ diſpeſcenda eſt. Datur igitur Theologia Hiſtorica.

4. *Denique*, ne omnia congeram, reperiuntur in ordine Theologorum, quâ veterum, quâ recentiorum, qui ſive de pleriſque, ſive de quibuſdam doctrinæ locis hiſtoricam narrationem, eoque Theologiam quandam Hiſtoricam concinnarunt. Atque ut de Hiſtoricis Eccleſiaſticis non dicam, ex Patribus hujus ordinis meritò cenſentur, Juſtinus Martyr, Irenæus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Epiphanius, Auguſtinus: ex recentioribus celebriores ſunt Bullingerus, Hyperius, Juellus, Flacius Illyricus, Centuriatores Magdeburgenſes, Chemnicius, Danæus, Bucholcerus, Pleſſæus, Perkinſius, Uſſerius, alii. Quorum monumentis etſi non pauca deſunt; tamen quod ſit Theologia Hiſtorica, & quod ob inſignem utilitatem cognoſcenda ſit, luce clarius oſtendunt.

Solvuntur objectiones. *Argumenta contraria* facili labore diſſolvuntur. In *Primo* notatur fallacia à dicto ſecundum quid. Oppoſita utique ſunt Dogmatica &
1. Hiſtorica; at non ſubjecto, ſed modo; non re conſideratâ, ſed formâ conſiderandi. Alioqui nihil dogmaticum hiſtoricum, & contra. Ergò non aliter quoque contradiſtinguuntur: quæ noſtra eſt ſententia.
2. *Alterum* vel falſum eſt Minore, ſi omnis negetur neceſſitas Theologiæ hiſtoricæ, vel in priorem impingit Elenchum. Etſi enim hiſtoricum cum dogmatico copulari poſſit; tamen ſi plena & methodica ſit inſtitutio, rectius multò unum ab altero ſeparatur: partim quia tam vaſtâ utriuſque mole facile obruuntur diſcentium ingenia: partim quia non eâdem ætate utrumque cognoſci debet. Ut igitur aliorum ſtudiorum certi dantur gradus, per quos ipſa procedant & decurrant ad metam; ſic iidem in curſu ſtudii Theologici rectiſſimè obſervantur.
3. *Tertium* peccat elencho principii: refellitur autem inductione exemplorum, quæ ante ſunt prolata. Illud tamen diffitendum non eſt, aliquâ parte hîc laborare Theologiam; cum hiſtorica narratio alicubi deficiat, alibi ſemiplena ſit, ubique ferè confuſione non parvâ laboret. Quem defectum præ aliis notat Andreas Hyperius in Methodo ſuâ Theologicâ. Nos verò hâc parte Inſtitutionis Theologicæ vel ſarcire, vel ſaltem ſarciendi viam aliis oſtendere pro virili conabimur.

## DE ALTERO.

Theologiæ Hiſtoricæ Demonſtratâ Exiſtentiâ & veritate Theologiæ Hiſtoricæ, proximum

Digitized by Google

mum eſt ut definitionem ejus, nec non declarationem definitionis juxta quatuor cauſarum genera inſtitutam, paucis ſubjiciamus.

Eſt igitur THEOLOGIA HISTORICA ſyſtema hiſtoricum, doctrinam religionis ejuſque accidentia ſecundum varias Eccleſiæ ætates ſive periodos diſpeſcens atque enarrans: quo ita de perpetuâ veræ doctrinæ conſervatione, veræque Eccleſiæ ſucceſſione conſtare poſſit. definitio.

De *Genere* nihil attinet hîc repetere: cum alibi quod ſatis eſt de eo monuerimus. Id ſolùm obſervetur; σωματοποίησιν ſive ſyſtematicam hanc Inſtitutionis rationem æquè in hiſtoriâ, quam in dogmatis, quæſtionibus, aut controverſiis Theologicis locum habere: cum diſſipata ac diſperſa in variis ſcriptoribus membra Theologiæ hiſtoricæ in unum velut corpus rectè colligantur, aptoque ordine ad perſpicuitatem diſponantur.

*Cauſa Efficiens* Theologiæ Hiſtoricæ ſunt Theologi Hiſtorici, hoc eſt, Scriptores Sacri & Eccleſiaſtici, vel qui ex monumentis eorundem Theologiam hiſtoricam excerpſerunt, & coagmentarunt. Triplici igitur ordine diſtingui poſſunt. *Primus ordo* eſt Scriptorum Sacrorum, quorum fides in hiſtoriâ divina eſt & indubitata. Ejuſmodi ſunt in V. T. Moſes, Joſua, Scriptores librorum Judicum, Ruth, Samuelis, Regum, Chronicorum, Eſdras, Nehemias, Eſter: in N. T. Matthæus, Marcus, Lucas in Euangelio & Actis, & Johannes. *Secundus ordo* eſt Scriptorum Eccleſiaſticorum: quorum fides humana eſt, eoque erroris periculo obnoxia, nec ſine examine ſuſcipienda. Quales fuerunt ſub V. T. Tobias, Eliakim autor libri Judith, Jeſus Sirach, Scriptores Maccabæorum, & qui cum his copulantur Philo Judæus & Joſephus. In N. T. celebriores cenſentur, Egeſippus, Euſebius. Socrates, Theodoretus, & Sozomenus, ex quorum narrationibus tripartitam hiſtoriam concinnavit Caſſiodorus; item Sulpitius Severus, Euagrius, Nicephorus, Zonaras, Platina, Vincentius Beluacenſis, Antoninus, Jacobus Philippus Bergomenſis, & alii innumeri. *Tertius ordo* eſt Theologorum Hiſtoricorum, ſupra à nobis memoratorum; ut ſunt Irenæus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Epiphanius, Auguſtinus, aliique ex Patribus: & Bullingerus, Hyperius, Juellus, Flacius Illyricus, Wigandus, Chemnicius, Danæus, Pleſſæus, cæterique ex recentioribus. Atque omnes iſti ſic inter ſe diſtingui queunt, ut qui ſunt primi ſecundive ordinis mediati, qui tertii immediati Theologiæ Hiſtoricæ, prout hîc conſideratur, autores dicantur.

Efficiens ſunt Scriptores Sacri, Eccleſiaſtici, Alii qui hiſtoriam concinnarunt.

*Materia* Theologiæ Hiſtoricæ ſtatuitur doctrina Religionis unà cum ſuis accidentibus. *Doctrina* alia eſt dogmatum, alia ſymbolorum: unde

Materia eſt doctrina religionis.

unde gemina quaſi Theologia pullulat & effloreſcit. Dogmatica complectitur Legem & Euangelium, tanquam partes integrantes perpetuas; quæ nunquam aut variant, aut deficiunt. Symbolica continet ritus & ceremonias, præcipuè autem Sacrificia & Sacramenta, ipſis dogmatis illuſtrationis & confirmationis gratiâ addita: ſed quæ variè interpolata ſunt aut mutata. *Accidentia* cenſentur doctrinæ Religionis tum depravatio, tum reparatio & reſtitutio. Depravata fuit Religio, quoties Satanæ impoſturâ atque impulſu à Verbo Dei, tanquam unicâ fidei cultuſque normâ ad hominum ἐθελοθρησκείαν & commenta diſceſſum fuit. Unde in V. T. Ethniciſmus, Samaritaniſmus, & variæ ſectæ Judæorum: in N. T. Judaiſmus, Paganiſmus, Mahometiſmus, & innumeræ hæreſes ſub larvâ Chriſtianiſmi ſive nominis Chriſtiani exſtitêre: quas inter extremâ hâc mundi ſenectâ notiſſimæ ſunt Papiſmus, Græciſmus, & Samoſateniſmus ſive Arrianiſmus: ut Schiſmaticos taceam. De quibus omnibus ſuo loco & ordine dicendum erit. Rurſum reparata fuit religio, quando miniſterio piorum Dei ſervorum ſive extraordinariorum ſive ordinariorum ex verbo ipſius ab humanis opinionibus ac ſuperſtitionibus repurgata, priſtinæque tam fidei quam cultus integritati ac ſinceritati reſtituta fuit. Id quod omnibus Eccleſiæ ætatibus, Dei miſeratione contigiſſe, vel primi loci hypotheſis oſtendet.

eiuſque accidentia.

*Formâ* Theologiæ Hiſtoricæ in internam & externam, haud incommodè diſtinguitur. *Interna* eſt ejus conformatio ad veritatis legem: quæ divina eſt & infallibilis in Scriptoribus Sacris V. & N. T.; humana eoque contingens & fallibilis in Scriptoribus Eccleſiaſticis. Quo ipſo damnatur & à Theologiâ Hiſtoricâ univocè ſic dictâ ſequeſtratur univerſa *μυθολογία* ſive θεολογία μυθικὴ Gentilium; quæ apud Heſiodum, Herodotum, Platonem, Diodorum Siculum, alioſque reperitur. *Forma Externa*, quæ communis dici poteſt, conſiſtit in diſtinctione Theologiæ Hiſtoricæ ſecundum viginti locos, aliis partibus jam explicatos; qui ſunt veluti genera generaliſſima, ad quæ tota ejus hiſtoria reduci revocarique poteſt. Propria autem & peculiaris poſita eſt in aptâ ordinatâque diſtributione ætatum ſive Periodorum Eccleſiæ V. & N. T. nec non ipſius doctrinæ Theologicæ ſingulis in locis ad eas applicatione. *Ætates* ſive *Periodi* Eccleſiæ ſunt inſigniores Epochæ & longiora temporis intervalla, quibus univerſa ejus duratio diſtinguitur, ac ferè notabili aliquâ converſione terminatur. Iis ſubordinantur *Articuli*, tanquam intervalla minora: quibus rurſum ipſæ periodi ſubdiſtinguuntur. Ita Periodi ſunt partes totius; Articuli partium particulæ & veluti membra. *Periodos Eccleſiæ V. T.* tres univerſè conſti-

Forma interna, veritas.

Externa tum communis, xx loca.

tum propria, Periodi Eccleſiæ & harum Articuli.

Periodi V. Teſt.

conſtituimus. *Prima* eſt à Creatione ad Moſen, definita Rom. 5. v. 14. prima.
quod toto illo tempore neque Lex data, neque aliæ Gentes à communione Eccleſiæ fuerunt ſeparatæ. Complectitur ſpatium annorum 2454. ac tribus articulis diſpeſcitur. Primus à creatione ad diluvium, annorum 1656. Secundus à diluvio ad vocationem Abrahami ex Ur Chaldæorum, annorum 364. Tertius à vocatione Abrahami ad exitum ex Ægypto ſub Moſe, annorum 434. *Secunda* Periodus eſt à Mo- ſecunda.
ſe ad Captivitatem Babylonicam, quâ Politia Moſaica deſtructa & everſa, populus autem Judaicus ex Cananæa in Babyloniam deportatus fuit. Eſt annorum 912. qui rurſum tribus articulis diſtinguuntur. Primus complectitur gubernationem Judicum, à Moſe ad Samuelem incluſivè, annorum 437. Secundus regni integri tempora continet, annorum 80. Tertius verò diviſi in duo, Iſraëlis & Judæ, quod cum captivitate defecit, annorum 395. *Tertia* Periodus eſt à captivitate tertia.
Babylonicâ uſque ad Chriſtum, annorum 605. Hujus articuli totidem ſunt: primus à captivitate Babylonicâ ad ejus finem, annorum 70. ſecundus à reditu ex Babylone ad exceſſum Malachiæ, annorum circiter 100. & tertius inde ad Chriſtum uſque exhibitum, annorum 435. Ita habent Periodi & articuli Eccleſiæ Veteris Teſtamenti. Jam *Eccleſia Novi Teſtamenti duabus Periodis* aptè includitur. *Prima* eſt à Periodi N. Teſt. prima.
Chriſto ad Antichriſtum, annorum 606. tribus articulis ſubdiviſa: quorum primus eſt fundationis Eccleſiæ N.T. annorum 100. ſecundus propagationis ſub perſecutionibus Imperatorum Gentilium, annorum 212. tertius propagationis pace publicâ jam Eccleſiis conceſsâ, annorum 294. *Secunda* Periodus Eccleſiæ N.T. ab Antichriſto ad no- ſecunda.
ſtra uſque tempora, annorum 1029. Articuli ſunt iſti: primus Antichriſti creſcentis utrâque poteſtate, Eccleſiaſticâ & Civili, annorum 470. ſecundus plenè dominantis, annorum 441. & tertius revelati & decreſcentis, annorum 118. In hiſce tum Periodis, tum Articulis deſignandis doctrinæ magis ob notabiliores converſiones, quam temporis rationem ſecutus ſum. Cumque de iiſdem magna ſit Chronologorum diſcrepantia, & controverſia difficilis, quæ vix unquam finietur, ex omnibus delegi Bucholcerum, tanquam ſimpliciorem & juventuti notiorem, cujus ſupputationem iſtis intervallorum hypotheſibus ſubſternerem. Reſtat *Applicatio doctrinæ Theologicæ* ad ſingulas periodos, Applicatio doctrinæ.
ſingulosque periodorum, quoties res poſcit, articulos. In quâ ſummatim notanda ſunt tria: Nimirum: quæ fuerit doctrina Eccleſiæ per omnes ejus ætates: quæ item doctrinæ hujus converſio & depravatio: quæ poſtremò à depravatione reformatio, reſtauratio, & ad hæc uſque tempora propagatio. Singulorum neceſſitatem atque

uſum.

uſum res ipſa oſtendit, ut nihil attineat iis commendandis immorari.

Finis ſummus gloria Dei.

*Finis* Theologiæ Hiſtoricæ *Supremus* poſitus eſt in gloriâ Dei, qui naturam ſuam, voluntatem, ac opera per eam patefecit; & agnoſcitur ac celebratur ab hominibus tanquam Pater luminum Jac. 1. v. 17. & fonis æternæ ac immotæ veritatis. *Proximus* duplex eſt. Prior ut cognoſcatur conſervatio & propagatio ſalutaris doctrinæ, quæ eadem perpetuò ſonuit in Eccleſiâ Dei; neque vel diuturnitate temporis conſici, vel fraude Diaboli & Sophiſticâ hæreticorum corrumpi, vel tyrannorum violentiâ opprimi potuit. Alter eſt, ut intelligatur quoque, quæ & ubi ſingulis ætatibus fuerit ſedes veræ Eccleſiæ; extra quam veritas doctrinæ fruſtra quæritur: utpote quæ audit columna & ſtabilimentum veritatis 1 Tim. 3. verſ. 15. Secundarios fines alios ſciens prætereo. Nec reliqua lemmata conſentaneorum attingo: quæ ex cæteris inſtitutionis hujus partibus, quantum ſatis eſt, cognoſcuntur.

Proximus geminus.

LOCUS

Digitized by Google

# LOCUS PRIMUS

## De

# NATURA THEOLOGIÆ.

POSTQUAM Homo ad Dei imaginem conditus deſcivit à Creatore ſuo, & primigeniâ ſuâ conditione excidit, non prorſus exſtincta fuit lux cognitionis Dei: ſed remanſerunt in mente ipſius quædam de rebus divinis, deque honeſto ac turpi notitiæ, tanquam teſtimonia certiſſima Deitatis, & cultus Deo perpetuo debiti. Eas ceu Legis ſuæ particulas Deus confirmavit & auxit novâ patefactione, ne quam officii ſui partem deinceps ignoraret. Et quia ne ſic quidem Homini lapſo & perdito ſatis conſultum erat, immenſâ bonitate addidit illuſtrem promiſſionem de Semine mulieris, ex Muliere ſuo tempore naſcituro, contrituro caput Serpentis, & hominem à peccato & morte gratioſè vindicaturo. Denique ut evidentior & certior hujuſce promiſſionis fides eſſet, adjecit inſuper Victimas & ſacrificia ſtatis diebus offerenda, tanquam vivas imagines futuri ſacrificii Seminis illius promiſſi & beneficiorum ejuſdem merito & efficaciâ homini peccatori acquirendorum & conferendorum. Hæc eſt Summa primæ illius Theologiæ, tam Dogmaticæ, quam Symbolicæ, quæ *primâ* Eccleſiæ Veteris ætate ſive *Periodo*, atque etiam *primo ejuſdem Articulo*, Adamo divinitus fuit tradita. Cujus Loci præcipui ſunt, de Deo, de Creatione rerum, de lapſu & corruptione hominis; de pœnis ejuſdem; de Semine promiſſo & liberatione hominis à poteſtate Serpentis; de Cultu Dei interno & externo; de Sacrificiis & ritibus, tanquam Symbolis Sacramentalibus; de reſurrectione, ultimo judicio, & vitâ æternâ. Deſcribuntur verò prioribus quinque Geneſeos capitibus, nec non ſexti initio. Hanc Theologiam, non aliam, Adamus publicè privatimque tradidit filiis nepotibus & poſteris ſuis totos 969 annos: & poſt ipſum cum alii Patriarchæ, tum maximè Seth, Enoch, Mathuſalem, & Noach, præco juſtitiæ dictus 2 Pet. 2. v. 5. repetiverunt. Ut per decem Patrum generationes ante diluvium idem genus Theologiæ ſonuerit & obtinuerit in verâ Eccleſiâ.

*[Margin: Periodus V.T. prima, Artic. I.]*

*[Margin: Theologia vera quæ.]*

Cæterum ſicut Cain, ob fratricidium, impœnitentiam & hypocriſin, Dei ſententiâ à communione Veræ Eccleſiæ excluſus fuit; ita quo-

*[Margin: Theologia falſa Caini.]*



Digitized by Google

Period. I. art. II. que à veræ Theologiæ doctrinâ, quam à pio Patre hauſerat, non multò poſt defecit: & ſuggeſtioni Satanæ ſuoque ingenio indulgens, novam ſed falſam Theologiam primus commentus eſt: quam nonnulli *Viam Caini* nuncupari Jud. v. 10, 11. & cum Pſeudoprophetarum impoſturis conferri 2 Pet. 2. v. 1. & ſeq. autumant, Etenim doctrinam promiſſionis de Semine mulieris, & propter illud gratuitâ cum Deo reconciliatione contemſit & abjecit Gen. 4. v. 3. 4. Heb. 11. v. 4. Doctrinam verò Legis de uno Deo ejuſque cultu legitimo interno & externo corrupit, excogitatis aliis Diis & cultibus, & invectâ jam tunc in orbem idololatriâ: ut aliis locis ex profeſſo oſtendetur: & ex phraſeologiâ generali Scripturæ Gen. 6. v. 2, 3. nec non ex hiſtoriâ Eccleſiæ ſtatim poſt diluvium non obſcurè colligitur. Licet autem Sacrificia eorumque ritus, ſaltem aliquos retinuerit, propriam tamen eorum rationem pervertit: contra inſtitutionem divinam ea detorquens ad fines degeneres, quaſi eſſent cultus Dei per ſe, quibus Deus propter opus externum ſacrificii, aut ſacrificantis dignitatem, verè delectaretur, atque etjam placaretur. Atque hæc eſt *Theologia Caïnitica*, quam ipſe novæ doctrinæ inventor & Myſta inter ſuos Caïnitas, qui *κατὰ διάκρισιν Filii hominum* appellantur Geneſ. 6. v. 2. propoſuit, & augeſcente eorum multitudine, lætiſſimè propagavit. Noviſſimè etiam ipſa Eccleſia contagio correpta & infecta fuit. Cum enim Sanctorum Patrum Soboles, ſive Filii Dei & Eccleſiæ, à Cainitis eouſque ſegregati, cœcâ impulſi libidine cum filiabus Cainitarum miſcerentur, earum in gratiam, à religione Patrum deflexerunt ad Theologiam & ſuperſtitiones Cainiticas. Liberi quoque ex promiſcuis nuptiis procreati, parentum ſuorum impietatem ſectati ſunt. Unde veræ Theologiæ depravatio, & cultus divini contemtus in toto mundo invaluit. Gen. 6. v. 3. 5. 11. 12. Ita primæ Periodi primus Articulus decurrit.

Etiam Eccleſiam infecit.

At *Secundo articulo*, quem à Diluvio inchoamus, Vera Theologia, quæ in Noachi familiâ permanſerat, non modo per ipſum revocata, ſed etiam à Deo novâ revelatione redintegrata reſtitutaque fuit. Inprimis Lex novis ſanctionibus munita contra tranſgreſſores; Promiſſio de Semine naſcituro ad Semi poſteritatem reſtricta, ut eſſet ſedes Eccleſiæ uſque ad Chriſtum; Sacrificia autem ad proprios fines reducta, extra quos ea ſibi haud placere Deus reapſe oſtendit. Horum deſcriptio exſtat Gen. 8. & 9. capp. Vix ſeculum duravit hæc Theologiæ reformatio, etiam poſt illud ſeveritatis exemplum, univerſali illuvione editum. Aucto namque rurſum hominum numero, circa ætatem Serugi, ut annotant Scriptores Judæi & Chriſtiani, Impius Cham, qui doctrinam Cainitarum ante diluvium noverat & cultus eorum viderat, nihil

Artic. II. Theologia vera ubi, & quantum aucta.

Falſa à Chamo.

nihil veritus novam Dei offenſam, veram Theologiam temerare & adulterare auſus fuit. Factum id eſſe in terrâ Sinear, circa Babylonem, non ſine ratione ſtatuitur: cum vetus illa Babylon, omnium penè confeſſione, fuerit prima ſedes idololatriæ poſt diluvium, ac mater omnis ſuperſtitionis gentilis, quæ inde in totum orbem exundavit. Factum quoque jam ante diſperſionem gentium inde manifeſtè colligere eſt, quod olim omnium gentium iidem fuerunt Dii, iidem cultus principales, & ſic eadem Theologia. Quam proinde ab uno communi præceptore didiciſſe oportet. Sic ergò apparet prima origo *Theologiæ Gentilis*, ſive *Ethnicæ* poſt Diluvium; quæ geminâ notione nobis ſpectanda eſt etiam iſtâ Eccleſiæ ætate, nempe Communi & Singulari. *Communi* notione meritò cenſetur, quicquid apud omnes Gentes olim deprehenſum fuit, & de Religione ſacriſque earum annotatum exſtat. Omnes Gentes retinuerunt notitiam aliquam Unius Dei, rerum omnium autoris ſimul & conſervatoris: quod ex Græcorum Latinorumque monumentis, poſt Patres nonnullos operosè demonſtrarunt Auguſtinus Steuchus Eugubinus de perenni Philoſophiâ, & Philippus Mornæus de veritate Religionis Chriſtianæ. Omnes Solem, Lunam, ſidera ſub Deorum Dearumque diverſis nominibus coluerunt: homines item defunctos, adeoque ipſos Dæmones, in hunc ordinem retulerunt. Univerſæ Sacrificia eorumque ſolennes ritus, ab omni ævo obſervarunt: nec eſt, quæ à victimis humanis, re ita exigente, ſibi temperaverit. Modus denique tradendæ Theologiæ, omnibus idem fuit, nempe ænigmaticus & myſticus. Nam obſcurè ſub involucris Sacra ſua propoſuerunt: ne vulgo pateſcerent, & intellecta vileſcerent. Horum ſingula ex ſcriptoribus Græcis & Latinis, Diodoro Siculo, Platone, Strabone, Cicerone, Senecâ, Plinio, Maximo Tyrio, Juliano, Luciano demonſtrari queunt, ſi opus ſit. Jam *Singulari* notione continetur & deſignatur, quicquid Theologia Gentilis peculiare habet, quo unius Gentis aut Sectæ religio ab aliâ diſtinguitur. Eoque ſenſu bifaria ſtatui poteſt: Culta & Rudis. Hanc, *Rudem* nempe, dicimus Gentium barbararum ſuperſtitionem: quæ traditionibus inſtitutiſque majorum acquieſcentes, priſca Sacra & ſimplicem ac horridum Deorum cultum retinuerunt. Talis fuit Theologia Celtarum, Sarmatarum & Schytarum: quorum etiam Apoſtolus meminit Coloſſ. 3. v. 11. *Cultam* Theologiam appellamus, quam Gentes ad Sapientiam & humanitatem informatæ, earumque Sacerdotes ſuperſtitioſâ induſtriâ novis dogmatis, ritibus, & cultibus, ſpeciem quandam ſapientiæ ſive myſterii habentibus, ſubinde auxerunt & exornarunt, eoque venerabiliorem vulgo reddere ſtuduerunt. Species ejus præcipuæ ſunt qua-

Period. I. art. II.

Gentilis, eaque

Communis,

Singularis:

rudis,

culta: quæ



Digitized by Google

Period. I. art. II. quatuor: Theologia Chaldaica, Ægyptiaca, Hellenica ſive Græca, & Romana. Duæ poſteriores ad ſecundam tertiamque Veteris Eccleſiæ periodum pertinent. Priores hujus ſunt articuli: quia cum regno Chaldæorum & Ægyptiorum, quæ ante cætera condita, etiam religio vel potius ſuperſtitio utrorumque citius effloruit. *Chaldaica* eſt, quam Babylonii ſive Chaldæi tradiderunt, deductam ex aſtrorum diſciplinâ, & ad Regum Principumque venerationem compoſitam, quorum memoriam ſtatuis honoraverunt. De priore teſtimonium illuſtre eſt Job. 31. verſ. 26, 27. qui non longe poſt hæc tempora vixit: ſic Deut. 4. v. 17. De altero conſentit veterum autoritas, quod Belo, qui eſt Bel & Baal, ſtatua collocata & religiosè habita: ut eſt apud Eſaiam cap. 46. v. 1. De totâ autem Theologiâ Chaldæorum videat, cui lubet, Beroſum in fragmentis, Diodorum Siculum lib. 2. & R. Moſen Ben Maimon in More nebochim; qui ex vetuſtiſſimis Aſiaticorum monumentis idonea hujus rei teſtimonia comportavit. Sicut autem Chaldæi celebres erant ſapientiæ & imperii gloriâ, ita ſui admiratione hanc Theologiam latè per Aſiam propagarunt ad gentes vicinas: quæ cultum Baalis certatim receperunt. Sed & Vera Theologia, quæ erat in Semi, Heberi, Pelegi familiis, novam ab eâ labem accepit. Nam de Thara & Nachore, ut eſt Joſ. 24. verſ. 2. ſcribitur, quod Ure Chaldæorum coluerint Deos alienos. Unde novâ reformatione opus fuit. *Ægyptiaca* Theologia etſi antiquitate contendit cum priore, revera tamen poſterior eſt. Quia ut teſtis eſt Herodotus lib. 2. Ægyptii ſua Phœnicibus accepta referunt: Phœnices autem non aliis quam Chaldæis. Sed variè interpolarunt doctrinam Chaldæorum, & innumeris ſuperſtitionibus cumularunt: prout omni ævo ſuperſtitioſiſſimi fuerunt. De Theologiâ ipſorum conſulantur Diodorus Siculus lib. 1. 2. 3. Herodotus lib. 2. Macrobius lib. 1. Saturnaliorum, & alii.

Chaldaica,

Ægyptiaca.

Artic. III. Theologia vera Abrahami,

Supereſt *Tertius* primæ Periodi *Articulus*, inſignis vocatione Abrahami conditoris gentis Hebræorum, & veræ doctrinæ ſive Theologiæ reſtauratoris. Poſtquam enim Ure Chaldæorum, ex turbâ idololatrarum migravit Haranem, & inde in Cananæam conceſſit; Deus ſe ipſi familiarius patefecit, & totam doctrinam religionis luculentius repetivit. Cui duo potiſſimum acceſſêre. Unum: quod promiſſio gratiæ de Semine mulieris ſpeciatim declarata eſt de Semine ipſius; atque inſuper formâ Fœderis, quod Abrahamicum inde appellatur, comprehenſa. Alterum: quod ſymbolis Sacrificiorum aliorumque rituum eouſque uſitatorum, additum Sacramentum Circumciſionis, confirmandæ promiſſioni, & poſteritati ipſius ab aliis ſeparandæ; tum etiam typus terræ Canaan, ad Cananææ cœleſtis ſive vitæ æternæ adumbrationem

quid acceſſerit.



Digitized by Google

tionem pertinens. Hæc ipſa Theologia conſtanter tradita eſt ab Iſaaco Period. I.
Abrahami filio, & Jacobo ſive Iſraële, nepote ejus. Hic repurgavit art. III. Conſervatio in ejus familiâ.
familiam ſuam ex Meſopotamiâ reducem, à fermento idololatriæ Chaldæorum Gen. 35. v. 2. & moriens Spiritu prophetico prædixit, Schilo, id eſt, Meſſiam, Semen illud promiſſum, ex filio ſuo Judâ naſciturum, idque eo tempore, quo ſceptrum à tribu ejus auferendum eſſet Gen. 49. v. 10. A morte patris filii ipſius Joſeph & Levi, qui diutius ſupervixerunt, propagarunt eandem doctrinam in Ægypto inter ſuos, veluti ejuſdem fœderis conſortes. Quâ occaſione etiam Ægyptii ſaniorem Theologiam ex Joſepho audiverunt & diſcere potuerunt Pſal. 105. v. 21, 22. Necdum enim aut abdicatæ Gentes exteræ à Deo, aut ejus notitia inter eas abolita: quod ſenſim, deficiente novâ revelatione, & corruptelis prioribus augeſcentibus demum accidiſſe veriſimile eſt. Siquidem, ut de Semo aliiſque Patriarchis taceam, in gente Cana- Extra eam.
næâ, ætate Abrahami, regnabat Rex Melchizedek, ſanctiſſimus Dei Sacerdos, qui illam ipſam doctrinam profeſſus eſt & promulgavit, Gen. 14. Et qui Philiſtæis tum imperitabat Abimelech, à religione veri Dei non erat alienus. Job verò, Jacobo σύγχρονος, vel ſaltem non multò poſterior, certè antiquior Moſe, inter Arabes eandem prorſus Theologiam docuit, & alii quoque ejus amici tenuerunt. Etenim de lege, & cultu Dei ſecundum eam, ſermonibus ultrò citroque habitis prolixè omnes ſententiam orthodoxam exponunt. Promiſſionem gratiæ de Meſſiâ redemtore non modo Jobus ingeminat in graviſſimis cruciatibus, cap. 19. v. 25. ſed etiam Elihu dediſſerit, de reſipiſcentiâ concionans cap. 33. v. 24. Sacrificia quoque nonniſi vero Deo offerunt cap. 1. & 42. Interim toto hoc temporis articulo Theologia Chaldai- Falſa.
ca & Ægyptiaca altiores egit radices, & ad plures prolata eſt: cum paſſim multitudo Deorum credita, & cultus Baalim & animalium receptus fuerit. Inprimis in Ægypto, & inter Ægyptios, à quibus Iſraëlitæ paulatim corrupti teſte Ezechiele, cap. 20. Hæc eſt prima Veteris Eccleſiæ Periodus, ſuis Articulis diſtincta.

*Secunda* jam ſuccedit, inde à Moſe uſque ad Captivitatem Babylo- Periodus V. T. ſecunda.
nicam. Sub ejus initium, ineunte *Primo articulo*, uti populus Iſraël peculiari adoptione electus, & à cæteris gentibus ſecretus fuit: ita Artic. I. Theologia vera in Iſraële plene tradita.
Theologia Iſraëlitica redintegrata, ac omnibus partibus ſuis pro illius temporis conditione pleniſſimè conſtituta fuit. Etenim Lex non modo duabus tabulis inſcripta, ac decem præceptis comprehenſa, ſed etiam perſpicuis explicationibus illuſtrata eſt. Promiſſio Seminis benedicti variè inculcata, præcipuè tamen deſcriptione muneris prophetici declarata: Deut. 18. v. 18. Ante omnia verò pars illa, quæ ſymbolica

 dicitur,

Digitized by Google

Period. II. V. T. art. I. dicitur, accuratiſſimè expoſita: partim repetitione & diſtinctione Sacrificiorum aliorumque rituum, partim inſtitutione Sacramenti Paſchatis variorumque typorum, qui Meſſiam ejuſque officium populo præfigurarent. Tamen ne ſic quidem diu vitii omnis expers permanſit. Nam ſuperſtite adhuc Moſe populus, qui ſuperſtitionem Ægyptiorum imbiberat, animum reflexit ad eorum idololatriam Exod. 32. nec non ad impiam ſuperſtitionem Moabitarum Num. 25. A morte verò ipſius, atque etiam Joſuæ ac Seniorum, cum jam Judices rerum potirentur, repetitâ cum Infidelibus Connubiorum ſocietate, etjam ſacra ipſorum & religionem amplexati ſunt: Diis Cananæorum, Philiſtæorum, Sidoniorum, Moabitarum, Ammonitarum, aliorumque circumjacentium populorum ſeſe mancipantes, iiſque ſervientes.

Falſa admixta apud eoſdem.

Artic. II. Donec tandem declinante Judicum gubernatione, circa *Articulum ſecundum* ſecundæ hujus Periodi, miniſterio Samuelis cum reformatione Eccleſiæ vera Theologia omnibus ſuis partibus reſtitueretur: & porrò Davide & Salomone non modo Regibus, ſed etiam Prophetis Dei, potiſſimum tamen Davide ſatagente, plene ſtabiliretur atque exornaretur. Quæ fuit veluti ἀκμὴ purioris Theologiæ in Veteri Teſtamento.. Nam poſt illud tempus, ſub finem regni Salomonis jam ſeneſcentis, & circa initium *Tertii articuli*, uno regno in duo jam diſtracto, nempe Judæ & Iſraëlis, Theologia rurſum eclipſin pati, & à puritate ſuâ deficere cœpit. Nam in regno Iſraël novus Rex Jeroboam, religionem rebus ſuis attemperans, cultum vitulorum cum novis ritibus, feſtis & miniſtris ſacrorum inſtituit: quod & Succeſſores ipſius, fruſtra obnitentibus Prophetis, imitati ſunt. Achab verò etiam cultum Baalis ſuperaddidit, præter verum Deum Iſraëlis falſos Sidoniorum Deos colendos præcipiens. In Regno Juda autem ſub diverſis Regibus diverſæ ſuperſtitiones & peregrini cultus invaluerunt, etiam Aſſyriorum ſive Chaldæorum, Sidoniorum & Moabitarum; qui nunquam ſuccedaneâ reformatione à piis Regibus & Prophetis ita potuerunt aboleri, quin ſemper remanerent reliquiæ, ſubinde repullulantes, & utriuſque regni fata accelerantes. Populo Iſraël in Aſſyriam deportato, qui inter eos religioſiores erant, etſi patriam retinerent Theologiam, ei tamen ex ſuperſtitione Chaldæorum nonnulla adſpergebant malè-ſana: ut liber Tobiæ teſtatur. Coloni verò, qui in locum ipſorum ex variis Aſſyriorum provinciis deducti ſunt in Samariam, etiam Deos ſuos, & varios horum cultus in eam importarunt, & urgente neceſſitate cum cultu veri Dei copularunt. Ut ex craſi ſive mixturâ utriuſque nova conflata ſit Theologia, partim Ethnica ſive gentilis, partim Judaica: quæ communi nomine *Samaritaniſmus* appellari ſolet, 2 Reg. 17. & Joſe-

Theologia vera. Artic. III. Corrupta in Iſraële, in regno Judæ, in Iſraële deportato. Gentium Samariam deductarum Samaritaniſmus.

Digitized by Google

Joſephus lib. 9. Antiq. cap. 14. Epiphanius item Panarii lib. 1. Ita habuit Theologia in populo Dei. Period. II. art. III.

In Gentibus verò toto hoc temporis intervallo magis magiſque depravata fuit, accumulatiſque impiis cultibus ſuperſtitio in immenſum aucta. Et ſicut initio à Chaldæis Theologiam acceperunt Ægyptii, ita hâc Periodo ab Ægyptiis Græci, & ab his, vel potius utriſque Romani eam mutuati ſunt. Theologia *Hellenica* ſive *Græca*, vulgò *Helleniſmus* nuncupatur, ſed generaliore paulò ſignificatu. Nam Epiphanius in Panario, & qui ipſum ſequuntur, ita nominant cultum idolorum, & eam ſuperſtitionem, quam quiſque Gentilium commodo ſuo, ſive publico ſive privato, inveniebat & ſequebatur. Hîc peculiariter notat Theologiam Græcorum, quam in Ægypto quidem didicerant celebriores ejus magiſtri: ut ipſi fatentur: ſed pro vanitate ingeniorum ſuorum dicendi facultate inſtructâ, infinitis commentis interpolarunt & amplificarunt. Doctores ejus celebrantur primò Poëtæ: Orpheus, Muſæus, Eumolphus, Homerus, Heſiodus, alii: deinde Sacerdotes, ſacrorum adminiſtri, ſuis ordinibus diſtincti: tertiò Legumlatores, qui populorum ſuorum ingeniis & moribus Theologiam ſive religionem aſtutè accommodarunt: ut Cadmus, Zaloucus, Lycurgus, Solon: denique Sapientes Græcorum ſive Philoſophi, Pherecides, Thales, Bias, Cleobulus, &c. Ab his triplex universè Theologia promanavit, μυθικὴ ſeu fabularis, φυσικὴ ſive naturalis, & πολιτικὴ ſive civilis: ut ex Varrone docet Auguſtinus lib. 6. de Civit. Dei cap. 5. & ſeq. & lib. 8. c. 1. Euſebius item lib. 4. præparationis Euangelicæ. *Mythica* Theologia erat Poëtarum, ad theatricam voluptatem comparata, quæ immanes mendaciorum nebulas Orbi offudit: fœdiora etiam affingens Diis, quam quæ vel in ſpurciſſimos homines cadant. *Phyſica* erat Philoſophorum ex rerum naturalium perveſtigatione de Deo & rebus aliis divinis agens: & vanâ ratiocinatione etiam ex veris principiis falſas concluſiones eliciens. Cujus dogmata in Scholis Philoſophorum Sophiſtice ventilabantur & vexabantur. *Politica* erat Theologia civium, maximè autem Sacerdotum ac Magiſtratuum, in ſingulis civitatibus: earum conſuetudine primùm introducta, inde legibus publice approbata, ad ſocietatem mutuam religionis autoritate ſtabiliendam. Adverſus hanc nec Poëtæ, neque Philoſophi auſi ſunt hiſcere, niſi vellent tanquam ἄθεοι & impii jure patrio puniri. Theologia *Romana* eſt, quam Numa Pompilius primus condidit, inde poſt ipſum alii auxêre & ſancivêre. Ante ea tempora vigebant in Italiâ ſacra Aboriginum, Latinorum & Albanorum, ſed inculta & rudia: qualis erat ſuperſtitio gentium barbararum. Sed Numa Pompilius ſecundus Roma-

Helleniſmus.

Theologia Romana.

Digitized by Google

Period. II. art. III. Romanorum rex, tinctus diſciplinâ Græcorum & Ægyptiorum, ſimulatiſque cum Dea Egeria colloquiis, politiorem Deorum cultum docuit, eundemque certo ordine digeſſit, conſtitutis diverſis ſacrorum adminiſtris, qui eum publicè privatimque exercerent. Variis deinde occaſionibus ſub Regibus & Conſulibus crevit ſuperſtitio, & aucti ſunt & errores & cultus. Quæ tribus libris de Diis Romanorum complexus fuit M. Terentius Varro, teſte Auguſtino in libris de Civitate Dei; qui interciderunt. Cicero quoque in libris de Naturâ Deorum, aliiſque multa de eâ refert: ut Hiſtoricos Dionyſium Halicarnaſſeum, Livium, & Plutarchum taceam. Propagata fuit hæc Theologia longe lateque in Provincias Romanas, non per vim: cum ſua ſingulis gentibus ſacra Romani relinquerent; ſed Præſidum ac præfectorum tum exemplo, tum auctoritate. Etenim in Provincias ſacra Romana unà invehebant. Et Provinciales, ut gratiam eorum demererentur, pauciores vel plures ea recipiebant, & cum ſuis, præſertim ubi non multum diſcrepabant, copulabant.

Periodus V. T. tertia. Artic. I. Theologia Judæorum. Supereſt *Tertia* Eccleſiæ Veteris *Periodus*, cujus *Articulus primus* incidit in Captivitatem Babylonicam, & eâ terminatur. Quæ tum fuerit doctrina Religionis Judaicæ, ſive Judæorum Theologia, ex prophetiis Jeremiæ, Ezechielis & Danielis diſci poteſt. Hærebant adhuc in multis priſtini errores & ſuperſtitiones: nonnulli etiam ad impietatem gentilium deficiebant: quod de Judæis illis, qui fugerant in Ægyptum contra Domini interdictum, Jeremias memorat. Sed Prophetæ concaptivi, Ezechiel & Daniel, puritatem doctrinæ Legis & Promiſſionis ſeu Euangelii vindicarunt & conſervarunt inter pios. Deus verò etiam ſtupendis miraculis eam confirmavit, & ita illuſtravit ſub Nebucadnezare, Balthaſare, Dario Medo & Cyro regibus, ut Gentilibus etjam innoteſceret, ac venerationi eſſet.

Artic. II. Theologia Judæorum. *Altero* deinde *articulo*, cujus initium reditu populi ex Captivitate, finem exceſſu Malachiæ prophetarum ultimi ſignavimus, Politia & Eccleſia Judaica unà cum doctrinâ & cultu, hoc eſt totâ Theologiâ Judæorum, in ipſâ Judæâ tanquam priſcâ ſede, difficili niſu, per multa obſtacula & pericula, reparata ac ſtabilita fuit, autoribus præcipuis, ſecundum Deum, Zorobabele Nehemiaque ducibus, Jehoſuâ Pontifice, Eſdrâ ſcribâ, Haggæo Zachariâ & Malachiâ Prophetis. Præcipuè tamen illuſtrata eſt Promiſſio gratiæ de Semine benedicto, Meſſiâ Rege & Servatore, editis novis, iiſque evidentiſſimis oraculis de ipſius perſonâ, officio & beneficiis: ut in ſpem adventus ipſius animi magis ac magis erigerentur. Ritibus quoque paucula acceſſêre, variata temporibus, & diſtinctio populi Dei à Gentibus profanis lege & exemplis ſtabili-

Digitized by Google

ſtabilita. Sed hîc iterum novum vitium obrepſit. Nam ſuperſtite adhuc Malachiâ, ab impiis Judæis, atque adeò ab ipſis Sacerdotibus abominâbiles corruptelæ & profaniſſima dogmata in Eccleſiam invecta. Et Samaritani, Judæis vicini, cum gentem ſuam atque ſacra miſcere cum ipſis fruſtrà tentaſſent, ac nec dolo, nec vi quicquam proficerent, aliâ viâ rem aggreſſi ſunt. Illexerunt Judæos horumque proceres nonnullos, & in his Menaſſem Jaddi Pontificis fratrem connubiorum ſocietate, deſponſatâ ipſi Nicaſo Præſidis ſui Sanaballat filiâ. Quam cum ipſe, uti ſuas alii, uti juſſi erant, dimittere recuſarent, ad Samaritanos defecerunt, & iis conjuncti ſunt. Sanaballat autem, poteſtate hujus impetratâ ab Alexandro Magno, templum, Hieroſolymitano non diſſimile condidit in monte Garizim, ejuſque Pontificem conſtituit generum ſuum Manaſſem, dignitate hæreditariâ. Teſtis Joſephus lib. 11. antiq. cap. 8. Sic interpolatus fuit Samaritaniſmus in dogmatis pariter & ritibus: controverſiæ graviſſimæ Judæos inter & Samaritanos motæ de Eccleſiâ, cultu, adoratione: quin etiam ipſi Samaritani ſchiſmate diſtracti. Quatuor ſectarum in illâ gente meminit Epiphanius Panarii ſui lib. 1. nempe Gorthenorum, Sevæorum, Eſſenorum, & Doſitheorum: de quibus nihil hîc dicam ſigillatim. Neque etiam de Gentiliſmo prolixè agam, modo illud teneatur, ſecundo hoc tertiæ Periodi articulo Helleniſmum ſive Theologiam Græcorum à Sapientibus ſive Philoſophis Græcis maximè excultam fuiſſe, & ceu hydram quandam quatuor ſectas, veluti capita produxiſſe: Academicam veterem ſive Platonicam, Peripateticam, Stoicam, & Epicuream. Quæ opinionibus de Deo & diis, de cultu eorum totaque religione immenſum diſcrepant, & particulam quandam doctrinæ tantum legalis complectuntur. Cæteris tamen ſanior eſt Theologia Platonica, à Syriæ atque Ægypti Sapientibus bonâ parte hauſta: quam proinde Veteres paſſim, ſed levius emendatam, veluti προπαιδείαν doctrinæ Chriſtianæ commendarunt.

Period. III. artic. II. Corruptelæ à Samaritaniſmo. Gentiliſmus.

*Tertio* eoque ultimo *articulo* plurimùm invaluerunt ſanæ Theologiæ depravationes: quibus lux veritatis alicubi obſcurata, alibi oppreſſa eſt. Cujus ἀφορμὴν ſive occaſionem duplicem notant illius ævi hiſtoriæ. Una fuit à bellis vicinorum Regum, Seleucidarum in Syriâ, & Lagidarum ſive Ptolomæorum in Ægypto: quibus Judæa, Provincia intermedia & αὐτόνομος, implicata & graviſſimè conturbata eſt: Altera acceſſit ab ambitione, avaritia & diſcordia ſummorum Pontificum: qui Religionem quæſtui habuerunt, & ſuis rationibus licentioſè accommodarunt. Porrò labes triplex eſt, quæ ex eo ſacris & Theologiæ Judæorum obrepſit. Prima fuit ab apoſtaſia & infidelitate,

Artic. III. Theologiæ depravatio. per Helleniſmum.

 quando

Period. III. artic. III. quando Judæi ad Helleniſmum & Græcorum ſuperſtitionem deflexerunt. Quod factum à paucis in Ægypto, ſub Ptolomæo Philopatore: ſed à longè pluribus in Judæâ & Hieroſolymæ ſub Antiocho Epiphane; auctoribus ipſis Pontificibus, Jaſone, Menelao & Alcimo: uſque adeo ut idolum Jovis Olympii in templo collocaretur, eique in arâ nova ſacra fierent; vera religio totâ provinciâ proſcriberetur; paſſim quoque Judæi gentili modo rituque viverent. Cui impietati ſe manu armatâ objecit Mattathias Aſmonæus, cum filiis ſuis: qui repreſſis immanibus Antiochi conatibus templum vindicarunt, & religionem ac doctrinam ejus ſuæ puritati reſtituerunt. per Schiſma. Secunda inde ex Schiſmate orta eſt. Onias IV. tertii filius, præreptum ſibi Pontificatum, qui ex ſucceſſione debebatur, ægerrimè ferens, Regi Ægypti Ptolomæo Philometori ejuſque conjugi Cleopatræ, recitato divino oraculo ex Eſaiæ cap. 19. perſuaſit, ut non modo conſentirent in novi templi ædificationem in præfecturâ Heliopolitanâ, ſed etiam ad eam, nec non ad ſacrificia ſumtus conferrent. Templum à conditore Onion cognominatum. Tranſierunt ad ipſum ex Sacerdotibus & Levitis nonnulli: quorum in ſacris operâ uteretur. Schiſma ultra tertium ſeculum duravit. Joſephus lib. 13. Antiq. cap. 6. per Hæreſes. Tertia labes doctrinæ ſive Theologiæ Judaicæ ultimo hoc articulo eſt ab Hæreſi. Numerantur autem hæreſes complures etiam ante Chriſtum. Epiphanius lib. 1. Panarii ſeptem memorat; Sadducæos, Scribas, Phariſæos, Hemerobaptiſtas, Naſachæos, Eſſæos ſive Oſſenos, & Herodianos. Ab his paulò diverſos recenſent Juſtinus Martyr in Tryphone, nec non Euſebius lib. 1. Hiſtor. Eccleſ. cap. 41. Nos tres præcipuas perſtringemus: quarum mentio & deſcriptio exſtat apud Joſephum lib. 13. Antiq. cap. 9 & lib. 18. cap. 2. item lib. 2. de Bello Jud. cap. 7. ſic tamen ut originem earum altius arceſſamus ex Scaligero, Druſio, & aliis ſcriptoribus neotericis. Jam ante Haſmonæorum ſive Maccabæorum tempora duo erant Judæorum genera, dogmatis inſtitutiſque diverſa: quorum alii Legi duntaxat ſtudebant, alii inſuper auctario Legis. Quam diviſionem minimè ignoravit Euſebius lib. 8. de præparat. Euangelicâ, philoſophiam ſacram in eam, quæ eſt *κατὰ τὴν ῥητὴν διάνοιαν*, & *θεωρητικὴν* diſtinguens. Ex priori genere orti ſunt *Karræi*, ſic dicti à מִקְרָא ſive Scripturâ, quod rejectis traditionibus ſoli Scripturæ inhærerent, ejuſque periti eſſent. Hos inter celebris fuit quidam Antigonus, qui ſubinde inculcabat diſcipulis, ne eſſent tanquam ſervi, qui ideo Domino ſerviunt, ut *σιτηρέσιον*, hoc eſt, demenſum accipiant. Mens ejus fuit, Deum propter ſeipſum colendum eſſe; hoc eſt, propter amorem Dei, non propter ſpem mercedis. Sed aliovorſum

dictum

Digitized by Google

dictum detorſit diſcipulus Antigoni Sadock, qui primò dubitare cœpit de pœnâ peccatorum & remuneratione benefactorum poſt hanc vitam: inde utramque negavit. Unde nata eſt hæreſis *Sadducæorum*, & nomen accepit vel ab hæreſiarcha, vel à nomine צדק juſtitia; quod Juſti ſive Juſtitiarii videri vellent, etiamſi juſtitiam reipſâ negarent & conculcarent. Ex altero genere prodiêre *Haſidai*, quorum memoriam hiſtoria Maccabæorum celebrat; quique lib. 1. cap. 2. verſ. 42. ἐκουσιαζόμενοι τῷ νόμῳ vocantur. Erant hi corpus quoddam ſive ſocietas hominum, ſpontaneâ obligatione inter ſe devinctorum; ut præter Legem obſervarent Traditiones Majorum; impendia facerent in ſacrificia, eleemoſynas templique ſtructurus, & ſimilia alia officia præſtarent. Hinc tanta eorum veneratio fuit, ut ἅγιοι Sancti κατ᾽ ἐξοχὴν dicerentur, & quaſi lumina pietatis & populi decus colerentur. Cæterum qui cultus initio voluntarii erant atque liberi, creſcente ſuperſtitione facti ſunt neceſſarii. Haſidæi quoque inter ſe ſciſſi, in Phariſæos & Eſſæos ſive Heſſenos abierunt. *Phariſæos* quidam dictos putant quaſi Mephareſchim, hoc eſt, expoſitores Legis, à radice פרש exponere; nam Legem quoque interpretabantur. Melius Scaliger & Druſius, qui Peruſchim dici monent, quaſi dicas ἀφωρισμένους, eximios, ſanctos. Seipſos enim à cæteris hominibus ſegregabant veluti ſanctiores, ne eorum convictu aut conſuetudine taminarentur. Origo nominis *Eſſæi* ſive *Heſſeni* varia eſt & ambigua, aliis à verbo עשה operari, aliis ab אסא quod Syris mederi ſignificat, vel à חסיא unde חסי χάσιοι καὶ ὅσιοι dicitur, deducentibus. Hæreſis eorum erat ἀκριβεστέρα & ſeverior reliquis propter diſciplinæ rigorem: ipſi noſtri temporis Monachis & Eremitis haud abſimiles. Doctrina non multum diſcrepabat à doctrina Phariſæorum. Tres ex ſectæ ſive hæreſes ortæ ſunt & inclaruerunt ſub principatu Johannis Hircani, 120 annis vel paulo amplius ante natum Chriſtum. Sed doctrinæ religionis magnam caliginem & horrendas tenebras offuderunt. Quippe Legem obedientia externæ ſolum diſciplinæ circumſcripſerunt: docueruntque peccata eſſe tantum externa ſcelera & violationem traditionum, non pravitatem naturæ aut vitioſos animi motus: item hominem poſſe Legi Dei ſatisfacere, & hâc impletione Legis remiſſionem peccatorum Deique gratiam mereri. Promiſſionem gratiæ de Semine benedicto detorſerunt in ſenſum alieniſſimum, dictitantes Meſſiam fore Regem terrenum, non paſſurum aut moriturum ut eſſet victima pro peccatis noſtris, ſed carnali brachio debellaturum omnes ubique Judæorum hoſtes, reſtaura-

Period. III. ætat. III.

Sadducæorum.

Phariſæorum.

Eſſæorum.

Period. III. artic. III. ſtauraturum regnum Davidis, & omni bonorum terrenorum copiâ gentem ſuam cumulaturum eſſe. Poſtremò Sacramenta, Sacrificia & cerimonias V. T. perverterunt in cultus per ſe Deo placentes: accumularunt immenſâ multitudine traditionum ſuarum de lotionibus, jejuniis, preculis, donariis templo offerendis, & ſimilibus: & cultum cerimonialem, non modo qui divinitùs inſtitutus, ſed etiam qui humanitùs confictus erat, cultui morali divino anteponere non dubitarunt. Horum pleraque tribus hiſce ſectis communia fuerunt: etſi Sadducæi præterea, Epicureis Philoſophis ſimillimi, animorum immortalitatem, & vitæ futuræ ſtatum diſertè negarent. At ne ſic quidem finis corruptelarum aut modus fuit. Proximis ante Chriſtum annis,

per Herodem. Rex Herodes, cognomento Magnus, etſi Judæorum profiteretur religionem, tamen ſordibus Gentiliſmi, ac nominatim Romanæ ſuperſtitionis eam collutulavit: idque ut placeret Romanis, ſibi autem regnum confirmaret. Jam anteà cum Galilææ præeſſet, templum Cæſari Dictatori adhuc in humanis agenti, candido è marmore condidit juxta urbem Paneada, ad fontes Jordanis, Auguſto quoque theatrum & amphiteatrum contra gentis morem magno ſumtu ſtruxit: ludos quinquennales exhibuit in honorem ejus; trophæa ipſi poſuit, ſtatuas erexit, decrevit ſupplicationes, fruſtrà intercedentibus Judæis & indigniſſimè profanitatem illam ferentibus. Quæ labes ex aulâ in totam provinciam dimanavit, & ſecundum nonnullos *Herodianis* & ſectæ eorum originem dedit. Interim non planè exſtincta fuit vera

Theologiæ veræ conſervatio. Theologia, ſed inter modicas vel etiam exiguas populi Dei reliquias incorrupta permanſit. Simeon enim juſtus, Hillelis filius, Zacharias item, pater Johannis Baptiſtæ, Anna propheteſſa, parentes Joſephi & Mariæ, ſed & alii quorum nomina ignorantur, integræ doctrinæ decus conſervarunt, & Meſſiam Regem ſpiritualem ac cœleſtem conſtanti ſpe exſpectarunt. De Simeone quidem ſcribitur, ſicut & de Hillele patre ejus, quod ambo hæreſeos poſtulati fuerint, & à docendi munere remoti, propterea quod communi Judæorum opinioni de regno Meſſiæ non ſuffragarentur. Atque hæc de Theologiâ Eccleſiæ Veteris ſive Judaicæ ſub V. T. ſuis intervallis diſtinctâ, dicta ſufficiant.

Periodus N. T. prima. Deinceps ſequitur *Theologia Eccleſiæ Chriſtianæ* ſub N. T. pari methodo exſequenda. *Periodis* duabus generatim deſcribitur: quorum *prior* Regnum Chriſti in Eccleſiâ, *altera* Dominatum Antichriſti complectitur.

Artic. I. *Articulum primum prioris Periodi*, quem Fundationi Eccleſiæ Chriſtianæ tribuimus, ab ipſâ Nativitate Chriſti, benedicti illius Seminis



Digitized by Google

ac promiſſi Meſſiæ ordimur. De quo jam olim vaticinatus Malachias; fore, ut percurſore Eliâ, hoc eſt, Johanne Baptiſtâ, doctrinam ab erroribus, cultum à ſuperſtitione repurgaret, ac corruptiſſimum Eccleſiæ ſtatum reformaret. Quod factum poſtquam Chriſtus Servator θεάνθρωπος ex Virgine Mariâ Bethlehemi natus, & Nazarethæ educatus, maturam obeundo muneri ætatem explevit. Tum enim qui annus Tiberii 15. Chriſti 30. erat, cœpit *Iohannes* juſſu divino palam prædicare & baptizare in Judæâ. Summa doctrinæ ſive Theologiæ ipſius erat: Completas eſſe prophetias veteres, adeſſe Meſſiam, promiſſum mundi Servatorem: quem etiam digito commonſtravit, atteſtatus hunc eſſe Filium Dei, & victimam expiatoriam pro mundi peccato, agno typico & cæteris V. T. ſacrificiis præfiguratum. Proinde hortabatur omnes, ut reſipiſcerent, & in Chriſtum crederent, utrumque autem ſtudio bonorum operum comprobarent. Denique adſentientes doctrinæ eamque profitentes novo ritu baptizavit. Sic præparatis animis ipſe *Chriſtus* ſucceſſit, ac munus ſuum docendo auſpicatus eſt, tanquam magnus ille Propheta & Doctor Eccleſiæ Novi Teſtamenti. Primò Legem Dei variis corruptelis depravatam vindicavit, & rectè interpretatus eſt; oſtendens flagitare eam obedientiam non tam externam, quam internam; & hanc cunctis cerimoniis potiorem ac Deo gratiorem eſſe: peccata cenſeri in judicio Dei non modo manifeſta ſcelera, verum etiam pravas cogitationes, & vitioſos animi motus, horumque fontem, pravitatem ipſius naturæ, univerſis inhærentem: ac proinde neminem Legem implere, & per eam juſtificari aut ſervari poſſe, Matt. 5, 6, 7. capp. Deinde promulgavit Euangelium ac promiſſiones ejus, declarans tum qualis eſſet Meſſias, videlicet perſonâ θεάνθρωπος, Dei & Hominis Filius, nobis per omnia ſimilis excepto peccato; officio autem Propheta, Sacerdos, & Rex Eccleſiæ ſuæ, ſed ſpiritualis, ac cœleſtis: tum quis eſſet, nempe ipſe Jeſus, non alius; utpote qui eſſet à Deo ſanctificatus, & in mundum miſſus: in quo uno concurrent univerſa quæ in V. T. à Moſe & Prophetis de Meſſiâ prædicta fuerant. Inſuper damnatis & rejectis omnibus traditionibus & ritibus humanitùs impoſitis; cerimonias Moſaicas, omneſque typos V. T. rei veritate implevit & abrogavit. Inſtituit verò duo duntaxat Sacramenta in Novi Teſtamenti Eccleſiâ, ad finem uſque ſeculi duratura: nimirum Baptiſmum & S. Cœnam, idque ſummâ ſimplicitate abſque ſumtuoſo cerimoniarum apparatu. Quæ omnia docuit ſingulari cum autoritate & efficaciâ, ac divinis miraculis confirmavit. Atque ita Vera Theologia noviſſimè per ipſum Dei filium aſſerta, explicata, & in omnes ſecuturæ Eccleſiæ ætates ſtabilita fuit. A morte, reſur-

Period. I. N. T. art. I.

Theologia vera tradita à Johanne Baptiſtâ,

Chriſto ipſo.



Digitized by Google

Period. I. artic. I. Apoſtolis.

reſurrectione, & adſcenſione ipſius, *Apoſtoli*, quos antea deſignarat, accepto Spiritus Sancti chariſmate, hanc ipſam Theologiæ hypotypoſia, parteſque ejus ſingulas repetiverunt, & Judæis ac Gentibus toto orbe prædicarunt, tandemque, nè vel oblivione intercideret, vel traditione corrumperetur, etiam literarum monumentis commendarunt. Horum miniſterio Eccleſia Chriſti inchoata in Judæis ad Gentes tam barbaras, quam Græcas prolata fuit; & ambo populi unitate fidei inter ſe devincti in unum Eccleſiæ Catholicæ corpus coaluerunt. Utriuſque etiam populi fideles communi nomine Chriſtianorum à communi Servatore Chriſto appellati ſunt.

Corruptela Theologiæ

Poſito fundamento, & Eccleſiâ eidem ſuperſtructâ, non defuerunt qui doctrinæ fundamentali lignum, fœnum, ſtipulas, hoc eſt, ſana & curioſa dogmata adderent; quin etiam aliud fundamentum, ſive aliud Euangelium ſubſtituere non verecundarentur 1 Cor. 3. v. 11. Gal. 1. v. 8, 9. Neque enim pater mendacii Satanas, juratus ille Eccleſiæ Chriſti hoſtis, ferre potuit, viventibus adhuc Apoſtolis doctrinam Theologicam integram, & vitii expertem perdurare. Fontes corruptelarum partim ex Judaiſmo, partim ex Gentiliſmo ſcaturiunt. Illi ſpecie Legis Moſaicæ & Traditionum, iſti obtentu rationis & Philoſophiæ, utrique fictis miraculis & enthuſiaſmis commenta ſua ornarunt ac defenderunt. Auguſtinus in Pſal. 54. errorem *Capernaitarum*, qui Chriſtum carnaliter manducari, non ſpiritualiter accipi oportere cenſebant, primam N. T. hæreſin facit: ſed in libello de Hæreſibus omittit: fortè quia ſectatores nullos iſtâ quidem ætate invenit. Alii à Simone Mago, quæ communior eſt ſententia, alii à Thebute, alii aliunde corruptæ poſt Chriſtum Theologiæ originem ducunt. Nos veſtigia Scripturæ legentes, primò eos referemus, qui ſacris in libris commemorantur: poſteà ſubjungemus, quorum in iis dogmata notantur & damnantur. *Primi ordinis* ſunt: Simon Magus & Simoniani, Pſeudapoſtoli, Alexander, Hymenæus & Philetus, Nicolaitæ, & Diotrephes. *Simoniani* à Simone Mago nominis ſectæque exordium acceperunt: qui Princeps hæreticorum N. T. non immerito putatur; tum quia plerique alii ab ipſo nati, tum quia totam Theologiam veneno ſuo infecit & corrupit. Nondum ſuſcepto baptiſmo artes magicas exercuit in Samaria Act. 8. Poſt Chariſma Spiritus Sancti pretio emere conatus, ſed ab Apoſtolo Petro rejectus, cum tanti peccati reſipiſcentiam negligeret, in pejus prolapſus, flagitioſiſſima dogmata in Eccleſiam invexit, quibus fidei ſinceritas, vitæque integritas depravatur. Eorum ſumma fuit, ſe verum Deum eſſe, & ſcortum ſuum Helenam ſupremam Dei vim: nullas eſſe Deitatis perſonas: mundum

ab autoribus in Scriptura nominatis: Simone Mago.

ab

Digitized by Google

ab angelis non à Deo conditum: Chriſtum imaginariè tantùm paſ- Period. I. art. I.
ſum: promiſcuum mulierum concubitum, omnemque morum turpitudinem licitam eſſe: nullam fore carnis reſurrectionem. Irenæus lib. 1. cap. 30. Euſebius lib. 1. cap. 13. Epiphanius lib. 2. hæreſi 1. & Auguſtinus de hæreſibus. *Pſeudapoſtoli*, prout appellantur 2 Cor. Pſeudapoſtolis.
11. v. 13. hoc nomine ſe jactitabant, ſed non erant Apoſtoli Apoc. 2. v. 2. verum ſeductores in Judæis & Phariſæis, Act. 15. v. 5. Retinebant quoque & tradebant doctrinam Phariſæorum de obſervatione Legis & rituum Moſaicorum, præcipuè circumciſionis, ad conſequendam ſalutem: ita tamen, ut gratiam Chriſti cum eâ conjungerent, vel potius confunderent. Contra hos prima Synodus Hieroſolymæ ab Apoſtolis celebrata eſt; & Paulus graviſſimè ſcripſit in Epiſtolis ad Galatas, Philippenſes, & Coloſſenſes. *Alexander, Hymenæus, & Philetus* 1 Tim. 1. v. 20. & 2 Epiſt. 2. v. 17, 18. initio ſinceri Alexandro, Hymenæo & Phileto.
Euangelii Doctores, paulatim à vera fide deſciverunt, inter alia reſurrectionem jam factam eſſe aſſerentes: hoc eſt, corporis negantes reſurrectionem, ſpiritualem autem animi renovationem pro reſurrectione obtrudentes. Quanquam Oecumenius in 2 Tim. 2. teſtatur, ſucceſſionem procreationis liberorum reſurrectionem dixiſſe. Nicolaitæ in quartum locum rejiciuntur, quod ſerius in Eccleſiæ proſcenium Nicolaitis.
prodierunt, Apoc. 2. v. 6. & 15. Autorem ſectæ ſuæ, ſive verè ſive falſò, perhibent Nicolaum, proſelytum Antiochenum, inter primos Diaconos allectum Act. 6. cap. Is ut zelotypiæ ſuſpicione ſeſe purgaret, qua propter egregiam uxoris formam laborabat, promiſcuè eam proſtituit omnibus abuti volentibus. Ex quo occaſionem arripuerunt nonnulli Platonicam communionem uxorum ſtatuendi & permittendi. Alii aliter rem exponunt, & Nicolaum excuſant. Legantur diverſæ de ipſo ſententiæ, apud Irenæum, Clementem Alexandrinum, Tertullianum, Euſebium, Epiphanium, Auguſtinum, & Theodoretum. *Diotrephen* cæteris hujus ſeculi hæreſiarchis annumerat Beda, commentario in 3 Johan. v. 9, 10. ſed Apoſto- Diotrephe.
lus loco citato non tam redarguit hæreſin ipſius, quam damnat φιλοπρωτείαν, ſive ambitum primatus ſupra collegas poteſtate æquales, & ſupra ipſam Eccleſiam. Notat præterea impietatem ipſius, quod calumniaretur dicta & facta Apoſtoli: non ſuſciperet fratres exules, propter gratuitum Euangelii miniſterium multa paſſos à gentibus: & quod alios, qui ſuſcipiebant, homines innocentiſſimos, authoritate propriâ, abſque judicio Eccleſiæ, ex Eccleſiâ ejiceret. Qui certè fuit Antichriſti Spiritus, jam tum minus dominandi libidine ſeſe efferens in hoc & aliis prodromis ſuis, quam doctri-

Digitized by Google

Period. I. art. I. ab aliis ibidem notatis: Nazoræis. doctrinam & cultum Eccleſiæ temerans & labefactans. *Secundi ordinis* cenſendi ſunt: Nazoræi, Mænander, Cerinthus & Ebion: nam cæteros, qui huc referri ſolent, poſterioris ævi fuiſſe conſtat. *Nazoræi* denominantur à Chriſto Nazoræo Act. 2. v. 22. cap. 3. v. 6. Nomen initio commune fuit omnibus diſcipulis, fidem Chriſti amplectentibus. Act. 24. verſ. 5. poſt cum altero Chriſtianorum commutatum. Sed Judæi quidam converſi id ſibi velut peculiare vendicarunt, & ſeceſſionem ab aliis fecerunt, tali occaſione. Synodo Hieroſolymitanâ Actor. 15. conceſſerunt Apoſtoli, ad tempus inter Judæos obſervari Cerimonias legales; donec de earum abrogatione plenius edocerentur & perſuaderentur. Hîc cum viderent earum tenaciſſimos eſſe Judæos, nec unquam iis ceſſuros, quò eorum odia & perſecutiones evitarent, docuerunt Moſen cum Chriſto, & Legem cum Euangelio miſcendam eſſe. Aliud quoque Euangelium, ſub ementito nomine in medium protulerunt. Contra hos non minus, quam contra ipſos Pſeudapoſtolos diſputat Paulus totâ Epiſtolâ ad Galatas: quem etiam Unum Nazoræi iſti potiſſimum repudiarunt. Epiphanius hæreſi 29. Menandro. Auguſtinus hæreſ. 9. Theodoretus lib. 2. Iſidorus, & alii. *Menander* fuit Simonis Magi & conterraneus, & diſcipulus, & ſucceſſor in ſcholâ magicâ & hæreticâ. Sed nomen ejus brevi obſcuravit. Dogmata pleraque utrique communia fuêre; nonnulla alteri propria. Aſſeruit ſe, non Simonem, eſſe mundi Servatorem; baptizavit in nomen ſuum, & ſic baptizatos dignitate ſupra angelos extulit; Legem ab Euangelio, charitatem à fide ſeparavit, & licentiam vivendi pro libitu, promiſcuum mulierum concubitum, omnemque turpitudinem tanquam gratiæ Dei & miſericordiæ erga homines præcipuum fructum diſcipulis ſuis indulſit, qui à magiſtro Menandriani dicti. Redarguuntur autem ab Apoſtolis, Jacobo cap. 2. Petro 2 Epiſt. 2. & 3. capp. & Judâ tota Epiſtolâ. Vide Irenæum lib. 1. cap. 28. Euſeb. lib. 3. cap. 26. Cerintho. Epiphanium hær. 22. & Auguſtinum hær. 2. *Cerinthus*, à quo Cerinthiani, gente Judæus, vixit cum Apoſtolis: & putatur ex iis fuiſſe, qui vocationi Gentium pertinacius obniſi ſunt, & cerimonias Moſaicas acrius propugnarunt. Inter alia blaſphemavit: Jeſum non ex Virgine, ſed communi more ex Joſepho & Mariâ eſſe genitum: proinde merum hominem, non Deum cenſendum. Item, Chriſtum à Jeſu perſonâ diſtingui, & ſpecie columbæ in ipſum deſcendiſſe in Baptiſmo: Jeſuque patiente Chriſtum iterum avolaſſe, eoque nec mortuum eſſe, neque reſurrexiſſe. Contra hunc Johannes ſcripſiſſe ſuum Euangelium pro æternâ Deitate Chriſti. Alios ejus errores perſtringit, Epiſt. 2. verſ. 22, 23. cap. 4. v. 13. 2 Epiſt. v. 7. Vide Irenæum lib.

Digitized by Google

lib. 3. cap. 3. Euſebium lib. 3. cap. 23,24. & lib. 4. cap. 14. Epiphanium hæreſ. 28. *Ebion*, à quo Ebionæi ſive Ebionitæ orti ſunt, natione Samaritanus, Eſſæorum & Nazoræorum hæreſin amplexus eſt: quæ damnatur à Paulo Coloſſ. 2. v. 18. & 21,22,23. Docuit animalium eſu abſtinendum eſſe, tanquam re nefariâ: quod immunda ſint quæ ex coitu naſcuntur; contra Apoſtolum 1 Tim. 4 v. 3. Denique etiam Chriſti perſonam & officium pari cum Cerintho blaſphemiâ oppugnavit. De hoc legantur Irenæus lib. 1. cap 23. Euſebius lib. 5. cap. 8. Epiphanius hæreſ. 30. Auguſtinus hæreſ. 10. Ex quibus omnibus luce meridianâ clarius eſt, veram ac ſinceram Theologiæ doctrinam, quam Johannes Baptiſta, ipſe Chriſtus, ejuſque Apoſtoli magno conſenſu tradiderunt, improbitate hæreticorum maturè admodum omnibus ſuis partibus adulteratam fuiſſe & depravatam. Verum Apoſtoli naſcentibus & ſerpentibus erroribus divino zelo & invictâ conſtantiâ ſeſe oppoſuerunt, & decreto Synodico, diſputationibus, & epiſtolis ſuis ad Corinthios, Galatas, Philippenſes, Coloſſenſes, Timotheum, & ad Hebræos ſcriptis, tum aliis Canonicis & ipſo Euangelio, doctrinæ Euangelicæ veritatem ſolidiſſimè adſeruerunt & conſervarunt. Patres certè, prout ex Egeſippo referunt Euſebius lib. 3. Hiſtor. Eccleſ. cap. 32. & Nicephorus lib. 4. cap. 7. Eccleſiam Apoſtolicam propterea appellarunt Virginem puram & incorruptam; quod alii non auſi fuerunt impetere doctrinam Eccleſiæ; alii ipſorum autoritate ſtatim compreſſi ſunt.

Period. I. art. I. Ebione.

Nunc pauca ſubtexam de Judaiſmo & Gentiliſmo, quæ ad hunc articulum pertinent. Fuerat hactenus *Iudaiſmus* & in Veteri Teſtamento, & ſub Novi initium, nomen veræ Religionis; & Eccleſia Judaica vera Dei in terris Eccleſia. Sed ex quo Chriſtum Meſſiam in carne exhibitum rejecerunt, atque etiam in crucem egerunt; præterea Doctrinam Euangelii, per totum orbem prædicatam ab Apoſtolis, pertinaciſſimè averſati & perſecuti ſunt, cœcâ ſuperſtitione, inhærentes literæ & umbris legalibus, nec non Patrum ſuorum Traditionibus; Deus ſevero abdicationis judicio populum Judaicum ultus eſt, ne ſit amplius ſuus populus; Eccleſiam ipſorum tanquam Synagogam Satanæ repudiavit; doctrinam denique & cultum ceu deterrimam hæreſin damnavit, vel potius ut ipſam infidelitatem, (quæ hæreſi gravior eſt, & profeſſis Chriſti hoſtibus tribuitur,) exſecratus eſt. Quod toti mundo facto ipſo teſtatum reddidit, quando urbem & templum Heroſolymitanum armis Romanorum funditus excidit & delevit; gentem verò Judaicam graviſſimis cladibus attritam per omnes Orbis provincias diſperſit, ac perpetuæ ſervituti addixit. Hujus veluti teſſeram im-

Judaiſmi degeneris ortus.



Digitized by Google

Period. I. art. I. peravit Titus, dum didrachma, quod templo ſolvere quotannis conſueverant, Jovi Capitolino pendi juſſit: teſte Joſepho lib. 7. Bell. Jud. cap. 28. Genus doctrinæ & cultus, quod tum exercebatur in Synagogis, & tradebatur in Scholis, aliâ occaſione memorabitur: Manſerunt verò Scholæ quædam etiam in Judæâ, Jafnæ ſive Joppe, Zephoriæ, Cæſareæ, & Tiberiade: in quibus celebres Rabbini docuerunt: In Babyloniâ quoque Nahardea & Sora, eodem tempore literarum gloriâ floruerunt. Jam *Gentiliſmus*, qui hucuſque totum penè orbem occuparat, ex quo doctrina Euangelii in Gentibus prædicari cœpit, divinâ ejus virtute labefactatus & concuſſus, ubique penè terrarum declinavit. Exoleſcebant & in contemtum veniebant ſacra Gentilia, minuebantur eorum cultores, templa deſerebantur, frigebant altaria, ipſa oracula conticeſcebant. Teſtantur illud Acta Apoſtolorum à Lucâ edita: nec diffitentur Scriptores Gentiles illius temporis, Tacitus lib. 12. Plutarchus dialogo de Oraculorum defectu, Plinius Secundus lib. 10. epiſt. 97. & alii. Unde pro aſſerendo Gentiliſmo varia à variis tum cogitata, tum etiam acta ſunt. Philoſophi novos colores Theologiæ ſuæ quæſiverunt. Magna tum fama erat Apollonii Thyanæi, qui Epheſo in Græciam, & inde Romam venerat; idque ob præſtigias magicas & ſtupenda multa in vulgus edita. Hunc Chriſto, quem Chriſtiani prædicabant, oppoſuerunt, & nullâ parte inferiorem eſſe oſtendere laborarunt, Philoſtratus præcipue & Hierocles Areopagita. Sectatores ejus & diſcipuli, Demetrius Cynicus, Muſonius, Damis Pythagoricus, Epictetus Stoicus, Dio Chryſoſtomus, Diogenes Junior, præpoſterâ Apoſtolorum imitatione ipſi quoque obierunt provincias & virtutem novâ prædicatione commendarunt, ita tamen ut à recepto idolorum cultu recedendum non eſſe docerent. Philoſtratus in Apollonio Thyanæo, Dio in Veſpaſiano, Lucianus in Peregrino. Præterea Sacerdotes graviſſimis calumniis inceſſerunt Chriſtianos, tanquam impios, atheos, & omnium malorum autores, quibus Imperium Romanum tum affligebatur. Imperatores quoque, maximè Nero & Domitianus, non tantum prohibuerunt & proſcripſerunt ſacra & cœtus Chriſtianorum, ſed etiam duabus perſecutionibus eos crudeliſſime infeſtarunt, & toto Imperio delere conati ſunt.

Gentiliſmus labefactatur. Defenſus à Philoſophis. à Sacerdotibus. ab Imperatoribus.

Artic. II. Progredimur ad *Articulum ſecundum primæ Periodi*: quo exſtinctis jam cunctis Apoſtolis, eorum diſcipuli, quos Succeſſionem Apoſtolicam appellare mos vetus obtinuit, Eccleſiam rexerunt. Hi unà cum Eccleſiâ doctrinam Apoſtolicam non modò conſervarunt, ſed etiam latius per Europam, Aſiam, & Africam propagarunt: quin etiam miraculis, quorum tum chariſma vigebat in Eccleſiâ, variè corroborarunt.

Theologia vera,

Quæ

Digitized by Google

Period. I. art. II.

Quæ tum fuerit Eccleſiæ doctrina κατ' ἐπιτομὴν refert Irenæus lib. 1. cap. 2. Quam latè quoque Eccleſia patuerit cap. 3. gentium ad fidem converſarum enumeratione oſtendit. Et ſuffragantur ipſi Euſebius lib. 3. cap. 37. & Tertullianus libro illo, quem adverſus Judæos ſcripſit. Inprimis ſententiam Legis contra πολυθείαν & idololatriam Gentilium diligenter inculcarunt, & veri Dei, qui ſe verbo patefecit, agnitionem & cultum internum & externum, nec non officia ſecundæ tabulæ religioſe commendarunt. Doctrinam Euangelii de Fide in Unum Deum, Patrem Creatorem, Filium Redemtorem, & Spiritum Sanct. Sanctificatorem, Symbolo Apoſtolico breviter complexi ſunt, & titulo Traditionis Apoſtolicæ promulgarunt: quod verbis non multum diverſum à noſtro exſtat apud vetuſtiſſimos Scriptores, Irenæum & Tertullianum: & Canon ſive Regula fidei appellatur. De quo dignum eſt memoratu, quod annotat Irenæus lib. 3. cap. 4. quaſdam Gentes Barbarorum adhuc ſuo tempore ſolam hanc traditionem ſine ſcripto habuiſſe, ejuſque indicio blaſphemias hæreticorum tum deprehendiſſe, tum rejeciſſe. Sacramenta nec plura, nec alia, quam quæ Chriſtus inſtituit in N. Teſt. uſurparunt in cœtu Eccleſiæ, idque eâ rituum ſimplicitate, quæ expers fuit humanæ ſuperſtitionis, teſte Juſtino Martyre ſub finem Apologiæ ad Antoninum Imp. Non defuerunt quoque hoc articulo, qui ſummam Theologiæ Chriſtianæ compendio conſtringerent, ſcriptiſque conſignarent: maximè ex quo Alexandriæ, Marci Euangeliſtæ conſilio inſtitutoque, Eccleſiæ adjuncta fuit Schola Theologica, in quâ Catecheſis perpetuo doceretur, Euſebius lib. 5. cap. 10. Primus Herman, cujus mentionem facit Apoſtolus Rom. 16. v. 14. ſcripſit librum titulo Paſtoris, continentem elementarem Iſagogen doctrinæ Chriſtianæ, Euſeb. lib. 3. cap. 3. Sine dubio igitur præſcripſit certam formam, juxta quam prima Chriſtianiſmi elementa rudioribus traderent Eccleſiæ Paſtores. Elogium ejus exſtat apud Irenæum lib. 4. cap. 37. & Hieronymum in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum. Sed qui nunc circumfertur hoc nomine, ſcatet erroribus, & ipſis Pontificiis adulterinus habetur, Bellarminus lib. de Scriptoribus Eccleſ. Circa A. C. 180. orthodoxæ fidei Catecheſin edidit Dionyſius Corinthius, Lacedæmoniorum Eccleſiæ inſcriptam: ſed quæ temporum injuriis intercidit, Nicephorus lib. 4. cap. 8. Non multo poſt Clemens Alexandrinus emiſit in lucem libros octo ὑποτυπώσεων, quod eſſent formulæ ſanorum ſermonum in pleriſque religionis articulis docendis & diſcendis: juxta dictum 2 Tim. 1. v. 13. Ejuſdem argumenti libros concinnavit Origenes περὶ ἀρχῶν, hoc eſt, de primis & neceſ-

etiam ſcripto tradita à Doctoribus.



Digitized by Google

Period. I. art. II. ſariis principiis Religionis Chriſtianæ. Expoſitio Symboli, quæ Cypriani nomen præfert, alius eſt Articuli, atque etiam autoris, ut mox dicetur. Sed inſtitutiones Lactantii adverſus Gentes libris ſeptem, huc pertinent, & argumento congeneres ſunt. De his tamen ſcriptis, atque aliis Patrum monumentis, quæ hujus ævi, duo ſunt generatim tenenda. Unum: quod pretioſo fundamento Apoſtolorum, aliquando fœnum & ſtipulas ſuperſtruant, & à puritate doctrinæ Apoſtolicæ deflectant, idque vel vitio primæ inſtitutionis, quam à Judæis aut Philoſophis Platonicis hauſerant, vel per imprudentiam, dum in diſputationibus cum Gentilibus ſive hæreticis incautius loquuntur & agunt, nec ſibi ipſis ſemper conſtant. Cujus generis ſunt ſententiæ quædam de Libero arbitrio, juſtitiâ operum, cœlibatu, perfectione hominis, ſtatu animarum ſeparatarum, & terreno regno Chriſti. Alterum: non omnes Theologiæ locos libellis iſtis complexos fuiſſe; ſed eos potiſſimum explicaſſe, qui controverſi erant cum adverſariis, hæreticis, aut infidelibus, cæteris prætermiſſis, aut breviuſcule pertractatis.

Notanda de Patrum Scriptis.

Hæretici: Ea tum erat forma doctrinæ in Eccleſiâ: quam improbitas hæreticorum, cum ſummâ impudentiâ multum obſcuravit & depravavit. Præcipui nominis, & qui familiam duxêre, fuerunt Gnoſtici, Valentiniani, Marcionitæ, Samoſateniani, & Manichæi: de quibus conſulendi Irenæus, Clemens Alexandrinus, Euſebius, Epiphanius, & Auguſtinus. *Gnoſtici* ab excellente rerum divinarum cognitione ſibi nomen ſumſerunt, non ſuſtinentes amplius à magiſtris ſuis denominari. Orti ſunt ex Saturnianis, Baſilidianis, & Carpocratianis, Menandri, & per hunc Simonis Magi diſcipulis: quorum monſtroſa dogmata, ab ipſis damnata Apoſtolis latè diſſeminarunt. *Valentiniani* id nominis ſortiti ſunt à præceptore ſuo Valentino Ægyptiaco Philoſopho Platonico ac Pythagorico; qui Poëtarum Ethnicorum fabulas miſcuit doctrinæ Chriſtianæ de Deo & perſonis divinis, & varios Deorum nubentium generantiumque icones conſtituit. Diſcipuli ipſius opinionum divortio in plures ſectas diſſilierunt. *Marcionitæ* autore Marcione Pontico, Cerdonis diſcipulo, veritatem Humanæ naturæ in Chriſto, præter cætera, negarunt. *Samoſateniani* autem Paulum Samoſatenum, Antiochiæ Epiſcopum, autorem habentes, naturam Chriſti Divinam & perſonalem ejus cum Humanâ unionem inficiati ſunt. *Manichæi* denique quaſi Manna fundentes dicti, ut notat Auguſtinus, Mane quodam Perſa præceptore duo contraria rerum principia ſtatuerunt, Deumque peccati autorem fecerunt. Quemadmodum autem ſinceritas doctrinæ hæreſibus vitiata, ita Eccleſiæ unitas Schiſmatibus diſtracta fuit. Duo tantùm in præſens memorabimus.

Gnoſtici. Valentiniani. Marcionitæ. Samoſateniani. Manichæi. Schiſmata in Eccleſia.

bimus. Prius concitavit Victor Epiſcopus Romanus circa A. C. 194. qui ex primæ ſedis imaginariâ prærogativâ, incredibili ambitionis audaciâ, imperium uſurpavit in alias Eccleſias, & Epiſcopos Orientales, quod Paſcha eodem die non celebrarent cum Eccleſiâ Romanâ excommunicavit; graviter, licet fruſtra, propterea increpitus ab Epiſcopis Orientalibus & Irenæo Lugdunenſi. Alterum ſecutum eſt à Novatianis & Novato, eorum anteſignano; qui lapſis in perſecutione negarunt gratiam pœnitentiæ, & reditus ad communionem Eccleſiæ: reliquis etiam ſe vitâ moribuſque puriores eſſe jactitarunt. Unde & Cathari appellati ſunt. Gravia fuerunt hæc Eccleſiæ certamina, quæ Synodis diverſis illo tempore habitis, componi nequiverunt. At longè graviora ſunt, quæ ſuccedunt cum Judæis & Gentilibus. *Iudæi*, cum ſe jam recollegiſſent ex prioribus calamitatibus, reſtituendæ doctrinæ ſuæ atque cultui duplex conſilium inierunt, rebellionis & ſcriptionis. Rebellionem moverunt extremo imperio Trajani & ſub Adriano Imp. ut Hieroſolymam armis vindicarent. Dux erat Ben Cozba ſive Barchochebas, qui ſe Filium Stellæ dicebat, olim promiſſum Num. 24. ac porrò ipſum Meſſiam Judæorum. Brevi tempore totam penè Judæam occuparunt, & in Romanos & Chriſtianos, quotquot armorum ſocietatem detrectabant, pariter ſævierunt. Sed vi majore repreſſi duriorem quam ante conditionem ſubierunt: urbis reparatæ, quæ Ælia deinceps appellata eſt, acceſſu quoque prohibiti. Ex eo aliquandiu conquieverunt: maximè ſub manſueto Principe Antonino Pio, quem Judæorum rebus conciliavit Rabbi Jehuda Sanctus. Hic de Lege & jure gentis ſuæ multa ſcripſit. Præterea omnium ſuperiorum Rabbinorum placita & conſtitutiones in aphoriſmos redegit, & certis libris partibuſque diſtinxit: quibus in Judæa communis Juris autoritas attributa. Liber Miſchna appellatus fuit, quaſi Lex iterata ſive ſecunda: qui annis ſequentibus in Scholis Judææ publicè prælectus, & variis Doctorum diſputationibus illuſtratus & auctus fuit. Ex quibus circa A. C. 230. Talmud Hieroſolymitanum eſt conflatum: appellatione ſumtâ à metropoli provinciæ, jam olim deſtructâ. Cæterum *Gentiles*, ægreſcentes invidia & odio adverſus Chriſtianos, novas nocendi artes ſubinde comminiſcebantur. Præter crimen impietatis, quod Deorum ſacra damnarent, atque improbitatis, quaſi Gnoſticorum flagitia approbarent & imitarentur, congeſſerunt in Chriſtianos graves calumnias rebellionis, ex occultâ cum Judæis conſpiratione; impoſturæ, quod vanis terriculamentis populum percellerent & ſeducerent; nec non inſtabilitatis, quod doctrinæ ſuæ incerti perpetuò fluctuarent, & opinionum divortiis variè ſcinderentur.

Period. I. sec. II.

Judaiſmus defenſus

Rebellione.

Doctrinâ.

Gentiliſmus ſtabilitus curâ

D 3 Quæ

Digitized by Google

Period. I. art. II. Quæ omnia ita exaggerabant, ut malorum omnium, quæ tum Imperium infeſtabant, culpam in ipſos conferrent, ac veluti piacula vulgi furoribus objicerent. Factitabant id præ aliis Sacerdotes, etiam precio conducentes Præfectos & Præſides, ne quod genus ſævitiæ in Chriſtianos omitterent. Philoſophi autem, qui tum eminebant, Creſcens Cynicus, Celſus Epicureus, Lucianus, oleum quod ajunt camino ſuffundebant. Alii ſuperſtitionis negotium majori cautionis curâ tractabant. Damnarunt lectionem librorum Hyſtaſpis, Sibyllarum, Ciceronis de Naturâ Deorum; quod Sacris ſuis præjudicio eſſent. Multa manifeſtè impia & abſurda commodius explicare, vel ſaltem myſterii ſpecie involvere ſtuduerunt. Miracula quoque ſubdolè conficta, ad obſcurandam Chriſtianiſmi gloriam, impudentiſſimè jactitarunt. Poſtremò Imperatores ſuperſtitione ducti, aut calumniis incitati, novas perſecutiones adverſus Chriſtianos inſtituerunt. Earum octo hoc temporis intervallo memorantur, à Trajano, Antonino Philoſopho, Severo, Maximino, Decio, Valeriano, Aureliano, & Diocletiano hujuſque Collegis ad delendam doctrinam Chriſtianam ſuſcepta. Eventus hic fuit, ut Chriſtiani numero indies augeſcerent; religio verò magis magiſque illuſtraretur, non ſolùm martyrii gloriâ, ſed etiam Apologiis Doctorum, Quadrati, Ariſtidis, Juſtini Martyris, Claudii Hieropolitani, Athenagoræ, Apollonii, Tertulliani, Arnobii, Minutii Felicis, pro fide & Theologiâ Chriſtianâ ſcriptis, & Imperatoribus quoque exhibitis: quorum nonnulli, æquiores facti Chriſtianis, vim omnem atque ſævitiem edictis cohibuerunt.

*Sacerdotum,* *Philoſophorum,* *Imperatorum.*

Artic. III. Theologia vera ſtabilita per Reſtat *Primæ Periodi Articulus tertius:* quo ſicut Eccleſia à Gentilium perſecutionibus liberata eſt; ita doctrina Religionis ſive Theologiæ ſanioris uberius declarata, & à depravationibus hæreticorum ſolidius vindicata eſt. Variæ hujus ſive cauſæ, ſive occaſiones ex monumentis veterum oſtendi queunt. I. quod pace conceſsâ Eccleſiis, Imperatores doctrinam Chriſtianam non ipſi modo amplexi profeſſique ſunt, verum etiam edictis eam ſanciverunt: Conſtantinus apud Euſebium lib. 10. Gratianus, Valentinianus, Theodoſius, initio Codicis Juſtiniani, tit. de ſummâ Trinitate, atque alii plures: quin etjam milites in fidem Trinitatis jurare voluerunt: cujus formula extat apud Vegetium. II. quod multi pietate, doctrinâ, prudentiâ excellentes Eccleſiarum Antiſtites, magno zelo, voce pariter & ſcriptis eam propugnarunt: Oſius, Paphnutius, Athanaſius, Baſilius, duo Hilarii Pictavienſis & Arelatenſis, Epiphanius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Cyrillus, Theodoretus, & reliqui. III. quod Synodi complures, pro aſſerendâ veritate habitæ

*Imperatores,* *Doctores,* *Synodos.*

nqa

non tantum particulares, ſed etiam Univerſales & Oecumenicæ, maximè quatuor priores: Nicæna, Conſtantinopolitana, Epheſina, & Chalcedonenſis. Quarum Symbola atque Confeſſiones, annumerato etiam Symbolo Athanaſii, ad ſtabiliendam Orthodoxiam haud parum contulerunt. IV. quod à Patribus nonnullis Summa doctrinæ Religionis libellis quibuſdam comprehenſa fuit, non tantum in rudium & catechumenorum, ſed & in provectiorum uſum. Cujuſmodi eſt magna Catecheſis Gregorii Nyſſeni: Theologia item Gregorii Nazianzeni, quatuor libellis diſtincta. Expoſitio Symboli Apoſtolici, quæ Ruffino Aquilejenſi Preſbytero rectius, quam Cypriano adſcribitur: tum quia teſtatur ſequi ſe ordinem Eccleſiæ Aquilejenſis, tum quia hæreſeos Arrianæ meminit, quæ Cypriani ætate poſterior fuit. Eodem referenda ſunt ſcripta quædam Auguſtini: Enchiridium ad Laurentium, liber de dogmatis Eccleſiaſticis & alius de verâ Religione ſcriptus. Tum etiam libellus titulum oſtentans Sententiarum Proſperi, quas ille ex ſcriptis Auguſtini propagandæ veritatis ſtudio excerpſit & in unum collegit. Ex quibus totum genus doctrinæ, quod de Lege, Euangelio, ac Symbolis Sacramentalibus ſonuit in Eccleſiâ, ſatis ſuperque cognoſci poteſt. Præ cæteris tamen hâc Eccleſiæ ætate dilucidè luculenterque explicata eſt doctrina de Chriſto, ejus perſonâ, officio, ac beneficiis, operâ cum aliorum, tum inprimis Auguſtini: qui controverſiis Pelagianis altius immerſus, plus cæteris perſpexit, iiſdemque lucidiorem facem prætulit. Interim nec illud diffitendum eſt, etiam hujus temporis Doctores, quantumvis præcellentes, humani quid paſſos eſſe, & in quibuſdam impegiſſe: inductos in errorem ex receptis dogmatis Philoſophiæ Platonicæ, atque ex pravâ & allegoricâ Scripturarum interpretatione. Exemplo ſunt dogmata de Locali Chriſti deſcenſu ad inferos: de ſalute Patrum V. T abſque fide Chriſti, & animarum ſeparatarum ſtatu: de libero arbitrio, cœlibatu, abſolutâ Baptiſmi neceſſitate, & aliis. Et exſtant libri duo Retractionum Auguſtini, in quibus multa ſua revocat & corrigit; ut veritas doctrinæ integra conſtaret. Quin ne quidem ad finem uſque hujus articuli eadem doctrinæ puritas perduravit, ſed poſt A. C. 450. hoc eſt poſt Cyrilli in Oriente & Auguſtini in Occidente obitum depravatior evaſit.

*Period. I. art. III.* *Scripta ſummaria.* *Patrum errores.*

Hæc doctrinæ Theologicæ illuſtratio & propagatio pacis publicæ opus fuit, & aurea illa ætas Eccleſiæ. Sed dolo & malitia Satanæ felicitas iſta turbata, & novo bello in ipſis Eccleſiæ viſceribus commutata eſt: quod tyrannis peſtilentiores Hæretici ſuccederent, & perſecutionem violentam alia virulenta exciperet. Singulos commemorare nihil

*Hæretici.*

Digitized by Google

Period. I. art. III. nihil attinet: Satis fuerit, ſi, uti antea, famoſiores perſtringamus.
Arriani. Primi ſunt *Arriani*, ab Arrio Lybe vel Afro Eccleſiæ Alexandrinæ Preſbytero profecti: quorum præcipuum dogma fuit: Chriſtum nec verè & naturâ Deum, nec coæternum & coëſſentialem Patri eſſe, ſed principium habuiſſe, & ex nihilo ante ſecula tamen conditum fuiſſe. Damnata eſt hæreſis iſta Synodo Nicænâ ſub Conſtantino Magno. Ab
Semiarriani. his poſtea Synodo Sardicenſi diſtincti ſunt *Semiarriani:* qui eſſentiam divinam Chriſto tribuebant ſecundum Symbolum Nicænum contra Arrium, ejus tamen ὁμουσίαν ſive conſubſtantialitatem cum Patre pertinaciter negabant.
Macedoniani. *Macedoniani* deinde Macedonio autore, qui fuit Epiſcopus Conſtantinopolitanus, negarunt Deitatem Spiritus Sancti: etſi nec de ὁμουσίᾳ Filii rectè ſentirent. Hæreſis iſta condemnata fuit Synodo Conſtantinopolitanâ ſub Theodoſio Magno. Poſt hos *Pela-*
Pelagiani. *giani* exorti ſunt, qui Pelagium Monachum Britannum ſecuti, extulerunt vires & merita arbitrii humani: contra gratiam Dei in Chriſto, ad cujus participationem ab æterno electi, & in tempore vocati ſumus, depreſſerunt & exinaniverunt; adeoque totam Euangelii doctrinam corruperunt. Damnati ſunt Synodis Provincialibus Palæſtinâ, Milevitanâ, & Carthaginenſi; Nationali Africanâ; & Univerſali Epheſinâ. Noviſſimi ſunt *Neſtoriani* & *Eutychiani*, ab autoribus Neſtorio Epiſcopo, & Eutyche Archimandritâ (quem Abbatem poſtea vocarunt,) Conſtantinopolitanis denominati. Utrique circa Perſonam Chriſti errarunt, ſed errorem contrarium.
Neſtoriani. Neſtoriani ſolverunt duas naturas, earumque unionem in unâ perſonâ: dictitantes Chriſtum eſſe ψιλὸν ſive merum hominem: Deum autem dici per aſſiſtentiam: negarunt etiam Mariam θεοτόκον appellandam. Hæreſis eo-
Eutychiani. rum damnata Synodo Epheſinâ ſub Theodoſio ſecundo. Eutychiani duas naturas in Chriſto inter ſe confuderunt, aſſerentes per unionem ex duabus unam tertiam conflatam: præterea & veritatem Humanæ naturæ non uno modo labefactarunt. Damnata ipſorum hæreſis Synodo Chalcedonenſi ſub Martiano. Horum infelices propagines latè deductæ per Orientem, & inter ſe rurſum diviſæ, damna graviſſima dederant in Eccleſiâ, & non modo obſcurarunt ejus lucem, ſed etiam animos ab eâ alienarunt, & ad fraudes ac impoſturas ſeductorum præpararunt atque inclinarunt. De quo priuſquam dicatur, de Judaiſmo
Judaiſmi ſtudia. etiam ac Gentiliſmo hîc pauca ſunt inſerenda. *Judæi* cum pacatè viverent in Judæâ & Babyloniâ Imperatorum beneficio, ſtudia literarum Hebræarum, inprimis autem Superſtitionis ſuæ in Scholis coluerunt. Poſt Rabbi Jehudam Sanctum in Judæâ circa A.C. 300. floruit R. Ammi & R. Aſſi, & quadraginta annis poſt Hillel hannaſi, qui ſimul fuit

Digitized by Google

fuit inſignis philoſophus & Aſtronomus, & novum computum confecit, quo Judæi univerſi hodieque utuntur. Cum hoc gloria Scholæ Tiberienſis declinavit, & dignitas promotionum Magiſtralium paulatim defecit. Nam circa annum Chriſti 400. adhuc ſuperfuiſſe Tiberiade docentium cœtus aliquos, eoque etiam Rabbinos ſive Magiſtros, id argumento eſt, quod Hieronymus in Bibliorum tranſlatione occupatus, inde evocavit celebrem Legis Doctorem, ac de libris Paralipomenon cum eo contulit: ut ipſe in libri ejus præfatione teſtatur. In Babyloniâ autem culta diutius durarunt tam Sacra, quam Studia gentis Judaicæ. Præ cæteris Jus Judaicum fuit in Scholis explicatum, quod libro Miſchna, tanquam corpore authentico, continetur. Habitæ in illud variæ prælectiones, ſcriptæ diſputationes innumeræ: ex quibus tandem circa A. C. 500. Talmud Babylonicum emerſit, altero Hieroſolymitano & plenius, & celebrius: quo etiamnum hodie univerſa Judæorum natio regitur. Cæterum ita vacarunt his quietis ſtudiis, ut odio Religionis Chriſtianæ, & ſervitutis impatientiâ nonnunquam turbas dederint. Imperante Conſtantino Magno non tantum ſeditionem, ſed etiam rebellionem moliebantur: quos tempeſtivè repreſſit, amputatis auriculis, & ſtigmate rebellionis corpori inuſto: quod ceu fugitiva mancipia circumferrent: capitis pœna propoſitâ in Chriſtianos, qui eorum ſe ſectæ aggregarent: autor Chryſoſtomus homil. 2. adverſus Judæos, tomo 5. Sub Juliano, ejuſdem permiſſu atque ſumtu, in Judeâ templum Hieroſolymitanum reſtaurare aggreſſi ſunt: imo etiam immaniter ſævierunt in Chriſtianos, & templa eorum Damaſci, Gazæ, Alexandriæ, & alibi incenderunt aut deſtruxerunt: teſte Ambroſio Epiſt. 29. ad Theodoſium Imp. Opus autem illud erumpentibus ex fundamentis globis flammarum, divinitùs impeditum fuit: ut eſt apud Ammianum Marcellinum. Sub Theodoſio Juniore in Aſiâ multa blaſphema in Chriſtum & Chriſtianam religionem effutierunt; & puerum Chriſtianum cruci ſuffixerunt: vindicati pro merito: ut refert Socrates lib. 7. cap. 16. In Cretâ autem Impoſtor quidam Judæus, Moſen ſe eſſe mentitus è cœlo demiſſum, ut per mare ſicco pede in patriam gentiles ſuos reduceret, plures pecuniis emunxit, nonnullis, ut in aquas ſe præcipites darent, perſuaſit: ipſemet fugâ ſe ſubduxit. *Gentiles* circa hæc ferè tempora dici cœperunt Pagani: quod nomen inolevit uſu Scriptorum Latinorum. Occaſio hæc fuit: Conſtantius Imperator collecto exercitu edixit, ut omnes Sacramento Baptiſmi initiarentur, vel militiâ abdicarentur. Ex quo factum ut Gentiles, qui id facere recuſabant, exuti militiâ per pagos diſtribuerentur, & Pagani, hoc eſt, non milites,

Period. I. Artic. III.

Motus turbulenti.

Gentiliſmus ſive Paganiſmus.

Period. I. artic. III.

dicerentur, & ſacra clandeſtina peragerent, Theodoretus lib. 3. cap. 3. Refloruerat Helleniſmus ſive ſuperſtitio Gentilis ſub Diocleti ano, Galerio, Maxentio, & Licinio Imperatoribus, ut brevi exterminium totius Chriſtianiſmi ſperarent: confiсto & evulgato oraculo Religionem Chriſtianam tantum 365 annos duraturam; quorum 308 jam præterlapſi eſſent, ut eſt apud Auguſtinum lib. 18. de Civ. Dei cap. 53. Sed vanitatem ipſe eventus demonſtravit. Nam Conſtantinus Magnus ad Fidem Chriſtianam mirabiliter converſus, ſuperſtitionem & ſacra eorum deſeruit: Chriſtianam Religionem fovit, promovit: Gentilium templa alia claudi, alia dirui juſſit. Totoque imperio hæc converſio facta. Senatus quidem & populus Romanus Gentiliſmo adhærebat; ſic etiam Sacerdotes & Philoſophi, inprimis poſt Plotinum Sopater Philoſophus. Verum deſtitutus præcipuo nervo autoritatis Imperatoriæ, elanguit, ac paulatim concidit. Poſt fata Conſtantini Magni & filiorum ejus, Julianus, qui à defectione Apoſtata vocatur, ſuperſtitionem paganam reſtaurare conatus eſt. Gentilibus templa reſtituit, ſacra priſtina coli juſſit: Chriſtianos novâ perſecutione afflixit, facultates ademit, Scholas & artes interdixit, honoribus ad apoſtaſiam ſollicitavit. Sed fuit nubecula citò tranſiens, & omnis iſte conatus unà cum ipſo defecit: teſtatuſque eſt Deus illuſtri facto, Judaicam Paganamque ſuperſtitionem pariter ſe deteſtari; quando eodem ferè tempore, quo templi Hieroſolymitani ſtructura impedita, templum Apollinis Delphici fulmine tactum conflagravit. Hic ultimus Imperator Gentilis. A cujus morte Gentiliſmus, Gentes magno numero converti, paucique reperiri qui patrocinium ſuſciperent ruentis Paganiſmi. Valens quidem Imperator Arrianus pluſculum Gentilibus indulſit, Theodoreto teſte lib. 4. cap. 20. ſed qui hunc ſecutus Theodoſius Magnus edicto propoſito Gentiliſmum toto Imperio proſcripſit. Auguſtinus verò libris de Civitate Dei & vanitatem ſuperſtitionis Gentilis, & veritatem Religionis Chriſtianæ aſſerens, calumniam, quæ calamitates Imperii iſti mutationi imputabat, ſuſtulit. Sic factum ut Helleniſmus ſive Religio Gentilis ubique in Imperio penitus exſtingueretur; quæ tamen in extremâ Aſiâ & Africâ, nec non Novo orbe remanſit, variis occaſionibus iſtic quoque oppugnata.

Periodus N. T. ſecunda:

Exegimus Primam Eccleſiæ Novi Teſtamenti periodum, quâ ſub Chriſto capite Religio Chriſtiana ex Judæâ in orbem univerſum propagata eſt: & rebus adverſis quidem puritate doctrinæ & ſanctitate vitæ feliciter effloruit; ſecundis autem ſenſim corrupta ab illo flore deſcivit. Succedit jam *Periodus Altera*, quâ pro Chriſto Anti-Chri-

ſtus

Digitized by Google

ſtus in medium prodiit, quaſi vicarius ipſius, acceptoque dominatu ſimul & libertatem Eccleſiæ, & veritatem doctrinæ oppreſſit. De hâc triſti ac horrendâ converſione quò plura nobis dicenda, eò accuratius articuli hujus Periodi diſtinguendi erunt. Principio tenendum eſt, pro diviſione Imperii in Orientis & Occidentis à Conſtantino Magno inſtitutâ, & à Theodoſio Majore repetitâ, Eccleſias quoque diviſas fuiſſe, ut aliæ Orientales ſive Græcæ, aliæ Occidentales ſive Latinæ dicerentur. Illæ ſubêrant Imperio Orientis, ad Orientem & meridiem, cujus ſedes Conſtantinopolis. Iſtæ Imperio Occidentis ad occidentem & ſeptentrionem parebant, & metropolim Romam, aliquando etiam Ravennam agnoſcebant. In utriſque eâ tempeſtate fervebant multiplices contentiones & certamina graviſſima de doctrinâ, ex hæreſibus, ſuperſtitionibus & ſchiſmatis nata: quæ *primo Periodi hujus Articulo* vix ineunte, in duas quaſi ſentinas confluxerunt. Et cum hæreſes omnes partim Perſonam Chriſti & duas in eâ naturas oppugnarent, partim Officium Mediatorium atque beneficia labefacerent: priores quidem illæ in Oriente & ad meridiem Mahometiſmo occaſionem dederunt; poſteriores autem in Papiſmi abominationes degenerarunt: de quo, utpote priore tempore, etiam primo loco agemus.

Period. II. artic. I.

Artic. I.

Papiſmus.

Papiſmus à Papâ nomen habet. Papa autem Patrem ſignificat, & græcæ eſt originis, à πάππας deducta, eliſo π, & abjecto in fine ς. Recepta vox exoleſcente jam linguæ Latinæ puritate, & communiter tributa Epiſcopis ab officio, ſive à curâ paternâ pro Eccleſiâ; κατ' ἐξοχὴν verò Epiſcopo Romano delata fuit, quod ipſe unus haberetur Paſtor ac Pater omnium Chriſtianorum, qui totius Eccleſiæ Catholicæ curam gereret. Porrò Papiſmus eſt tyrannicus Antichriſti dominatus in Eccleſiâ, partim dogmatis hæreticis, partim ſuperſtitioſis cultibus ſuffultus: quem circa A.C. 607. annuente Phocâ Imperatore, Bonifacius III. invaſit, & ſucceſſoribus tanquam patrimonium reliquit. Hujus prima ſemina ſub ipſis adeo Apoſtolis jacta jam fuerant 2 Theſ. 2. v. 7. idque ambitione & ἑτεροδοξίᾳ ipſorummet Doctorum Eccleſiæ 1 Joh. 2. v. 22, 23. cap. 4. v. 1, 3. Sed paulatim ſuppullularunt & ſuccreverunt, donec tandem ad plenam maturitatem adoleſcerent. Id quâ occaſione quibuſve gradibus effectum ſit, rei pretium erit, ſi paucis expoſuerimus. Memoriæ causâ totam narrationem triplici gradu diſtinguemus; ut primus dicatur Conſuetudinis Eccleſiaſticæ; alter Sanctionis Synodicæ; & tertius Imperialis Decreti. Initio, teſte Hieronymo in Tit. 1. cap. nulla erat diſtinctio Preſbyteri & Epiſcopi, nulla muneris aut honoris prærogativa: ſed communi

Origo ejus, ex

Conſuetudine Eccleſiaſticæ.



Digitized by Google

Period. II. artic. I. muni conſilio Presbyterorum Eccleſiæ gubernabantur. Poſt mortem Apoſtolorum, ordinis ac diſciplinæ causâ, cum alia multa, tum illud inprimis conſtitutum fuit, ut ſingulis in civitatibus ſupra Preſbyteros Epiſcopus, itemque ſingulis in provinciis ſupra Epiſcopos Archiepiſcopus emineret. Eum à metropoli Metropoliten, vel etiam Patriarcham appellabant; quales plures erant in Eccleſiis, præcipui tamen quatuor, Romanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus: quod Eccleſiæ ipſorum matrices eſſent, Urbes autem tum celebriores, tum rebus agendis commodiores. Romanus tamen dignitate ac honore cæteros præcedebat, quod Roma non modo eſſet caput mundi, ſed etiam Sedes Apoſtolica cenſeretur, quam uti fama ferebat, Petrus fundaſſet: inſuper Præſules longo ordine numeraret, pietatis, doctrinæ & martyrii gloriâ florentes, nec minus de exteris, quam de ſuâ Eccleſiâ præclarè meritos. Sed quod bono conſilio & ſpe εὐταξίας inſtitutum fuerat, ambitione Epiſcoporum ſummam confuſionem peperit, & meram tyrannidem invexit: maximè ex quo à

Synodicâ Sanctione. ſuperiore poteſtate robur & incrementum accepit. Synodus Nicæna Can. 6. approbavit diviſionem orbis Chriſtiani inter quatuor Patriarchas, ſalvâ tamen ἰσοτιμίᾳ, ac ſervatis cuique juriſdictionis ſuæ terminis. Unde etiam Oecumenici appellati ſunt, quod omnes Eccleſias totius οἰκουμένης inter ſe ſortiti eſſent, atque in Synodis totam οἰκουμένην repræſentarent. Sed Romanus, nomine Zoſimus, adulterato Canone, ex eo primatum in omnes Eccleſias ſibi arrogavit, Concilio Carthaginenſi V. in causâ Apiarii, à Patribus Africanis rejectus & falſi convictus. Synodo Conſtantinopolitanâ Urbis illius Epiſcopus quatuor Patriarchis adſcriptus eſt, ob urbis Imperialis axioma. Chalcedonenſi verò etiam reliquis tribus prælatus fuit, fruſtra contradicente Leonis I. Romani legato. At ne ſic quidem conquievit ambitio, ſed magis ſe commovit, utroque, & Conſtantinopolitano & Romano, pro Primatu contendente. Mauritius Imp. pro ſede Conſtantinopolitanâ, ejuſque Epiſcopo Johanne IV. Jejunatore tulit ſententiam: quam ſcriptis ad Imperatorem, Epiſcopum, & cæteros Patriarchas epiſtolis oppugnavit Gregorius I. cognomento Magnus, Antichriſti præcurſorem nuncupans, quiſquis Univerſalis Epiſcopi elogium appeteret: ipſe Servi ſervorum modeſtâ appellatione contentus.

Imperiali decreto. Contra Phocas parricida, Cyriaco Conſtantinopolitano, quod Mauritio faviſſet infenſus, ſimulque ſperans ſtudia Italiæ urbiſque Romæ benevolentiâ Pontificis retineri poſſe, ſolemni decreto Eccleſiam Romanam omnium Eccleſiarum caput declaravit: & Præſulem ejus ſupremum & Univerſalem totius Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopum pronuncia-

nuncia-

Digitized by Google

nunciavit; A.C. 607. Publicatum fuit Decretum Romæ in concilio 62 Epiſcoporum: & exinde novæ hierarchiæ ſymbolum, Volumus, Jubemus, diplomatis adſcribi cœptum, etſi non ſine aliorum indignatione & contradictione. Ita rem deſcribunt Paulus Diaconus, Sigebertus, Marianus Scotus, Martinus Polonus, Otto Friſingenſis, Sabellicus, aliique. A quo tempore errores & ſuperſtitiones immenſum creverunt in Eccleſiâ: & tota Theologia ſive Religionis doctrina ad Curiæ Romanæ arbitrium deflexa: uti ex hujus atque etiam ſequentium duorum articulorum decurſu clariſſimum evadet. Period. II. artic. I.

Papiſmum proxime ſecutus eſt Mahometismus, intervallo annorum quindecim: ſiquidem incidit ejus initium in annum Chriſti 622. Imperatoris Heraclii 12. Unde Mahometani Hegiram ſuam ſive æram Turcicam deducunt. A Papiſmo in eo differt: quod ille ſit apoſtaſia occulta à fide Chriſtianâ; hic manifeſta: ille hæret in viſibili Eccleſiâ, & nullâ re æque gloriatur ac titulo & ſucceſſione Eccleſiæ; iſte ab Eccleſiâ receſſit, eamque omnibus viribus oppugnat & oppreſſam cupit. Ut Papiſtæ diſſimulati Chriſti hoſtes, Mahometani hoſtes aperti cenſendi ſunt. Dicuntur autem Mahometani à Mahomete, quem alii Mahumedem, alii Mamedum, vel Megmedum nuncupant. Et Mahometiſmus eſt infidelitas ac impia ſuperſtitio, ex Gentiliſmi, Judaiſmi, Arrianiſmi, Neſtorianiſmi & Eutychianiſmi erroribus aſtute compoſita, ad tollenda religionis diſſidia, & diſſidentes ſub unum Imperium redigendos, ac vi armiſque continendos. Ante omnia autem cognoſcenda eſt occaſio, quâ hoc genus ſuperſtitionis emergere cœpit: tum de autore ejus atque adjutoribus, nec non ſanctione, promulgatione, propagationeque dicendum. Occaſionem ipſe Impoſtor Mahometes non diſſimulat in Alcorano ſuo; conjicit verò partim in doctrinam & religionem, partim in vitam Chriſtianorum ſui temporis. Doctrina tam variis & inter ſe contrariis ſcindebatur opinionibus, vix ut earum numerus iniri poſſet. Poſt Concilium Chalcedonenſe ex unâ hæreſi Eutychianâ, non quidem quatuor mille, ut vult Nicephorus lib. 18. cap. 45. ſed tamen complures hæreſes pullularunt: Monophyſitæ, Acephali, Agnoetæ, Jacobitæ, Armenii, Monotheletæ, atque alii. Exortum etiam genus quoddam hæreticorum, qui nec Eutychiani, nec Neſtoriani, nec veri Chriſtiani, ſed διακρινόμενοι appellabantur, quod in controverſiis religionis medios neutroſque ſe gererent, nihil certi habentes, nec in unam magis, quam in alteram partem declinantes; Academicis recentioribus haud abſimiles. In Cultum Chriſtianorum, ſpecie religionis, variæ irrepſerant ſuperſtitiones, Uſus imaginum in templis;

Mahometiſmus.

Occaſio ejus Chriſtianorum tum Doctrina opinionibus ſciſſi, tam Cultus ſuperſtitione corruptus.

Period. II. artic. I.

earum cultus: ſanctorum demortuorum invocatio: ordinis Epiſcopalis atque Monaſtici nimia admiratio, veneratio, & in conſtituendis ſacris, poteſtas. Inſuper Vita Chriſtianorum tam ſanctæ profeſſioni minime reſpondebat. Colebant familiaria cum infidelibus commercia, & paulatim in mores ipſorum tranſibant: perpetuæ erant ipſorum inter ſe lites, quocunque in foro, & ſub quocunque Magiſtratu: fœneratores agebant, ac fortunas fratrum iniquiſſimis uſuris exhauriebant: Oblectabant ſeſe aleæ ſcaccorumque luſu. Ac ne quidem ab artibus magicis & ſceleribus gentilium abſtinebant. Quæ omnia diſertè notantur, & damnantur in Alcorano, azoara ſeptimâ, undecimâ, decima tertiâ, decimaſextâ, decimaſeptimâ, viceſimatertiâ. Fuit ergò miſerrima facies tam Eccleſiæ quam religionis Chriſtianæ in Oriente & Meridie: Tempus verò longe oportuniſſimum Satanæ, ab eam quam moliebatur mutationem, duce atque autore Mahomete, homine nequiſſimo, ambitioſiſſimo, ſimulque aſtutiſſimo, exſequendam. De cujus ortu atque origine duplex circumfertur ſententia. Plerique ajunt fuiſſe gente Arabem, provinciâ Munichialenſem in Arabiâ Petræâ ad Sinum Perſicum ſitâ; filium Abdalæ principis Saracenorum, qui & Agareni dicuntur, Sozomen. lib. 6. cap. 38. Alii volunt parentibus plebejis fuiſſe genitum, patre mago, matre Iſmaëlitide, ſed religione diſſentientibus: Unde prima de religione dubitatio ei inſederit, diſſidiis Chriſtianorum confirmata. Cæterum ſerviiſſe Abdemonapli mercatori Arabi locupletiſſimo, & à morte ipſius duxiſſe viduam Gardigenam: cujus ſine liberis defunctæ hæres ex aſſe ſcriptus ſit: hiſque inſtructum opibus novam religionem, novumque Imperium ſuiſſe meditatum. Quicquid ſit, illud certum, quod etſi ingenio, animo, aſtutiâ, plurimum valeret, literarum tamen, omniſque liberalis doctrinæ planè rudis exſtiterit. Quæ cauſa eſt, quod tot contradictionibus ſcatet nova ipſius Lex; cum nec ſatis meminiſſet, quæ ante dictaverat, nec ea relegere ipſe poſſet. Adjutores adſcivit Quatuorviros; Sergium monachum Neſtorianum, qui tum exul verſabatur in Arabia, Johannem Antiochenum Arrianum, Selam Judæum Aſtrologum, & Berram Perſam ex Eutychianis Jacobitam. Hi exhauſerunt omnes lacunas & cloacas hæreticorum & infidelium, atque ex iis contulerunt Mahometi ampliſſimam materiem novæ religionis conflandæ. Comprehenſa eſt duobus voluminibus, ceu totidem Teſtamentis, Alcorano & Zuna, & perpetuis diſtincta ſectionibus, quas Azoaras vocant. Ipſe tamen autorem ejus Deum facit, qui propriâ manu novam Legem conſcripſerit, cœloque ad Mahometem demiſerit per Archangelum Gabrielem: azoara 42, 46, 50, 51.

Unde

Tum Vita profana.

Autor Mahomet.

Adjutores.

Religionis Lex.

Digitized by Google

Unde ubique ſibi vult credi, etſi paſſim ſtulta, ridicula, impoſſibilia plurima prodat: nullam relinquit vel inquirendi, vel conferendi, multò minus contradicendi libertatem aut poteſtatem: propoſitâ capitis pœnâ in eos, qui contra fecerint: lectionem quoque librorum, quibus doctrina religionis perſcripta eſt, populo interdicit. Reliquum erat ut promulgaretur, populoque commendaretur Lex Mahometana. Id miris technis & impoſturis aggreſſus fuit. Contraxerat ex vagis libidinibus & continuis commeſſationibus epilepſiam: cujus infamiâ ut ſe liberaret, ſimulat arcanos congreſſus cum archangelo Gabriele, ad cujus conſpectum & fulgorem in ecſtaſin rapiatur. Divulgatur fama, & inter populares Propheta Dei audit ac ſalutatur. Mox novo dolo hanc de ſe opinionem confirmat. Columbam aſſuefecerat, ut ex aure ſuâ pabulum peteret. Eam fingebat eſſe ipſiſſimum Spiritum Sanctum ſupernè deſcendentem, & Dei voluntatem atque conſilia ſibi patefacientem. Tandem novam legem profert hoc modo. Schedulam alligat columbæ ſuæ, in quâ ſcriptum erat literis aureis; Quiſquis tauro jugum impoſuerit, Rex eſto. Quâ lectâ, cum omnium qui aderant conſternatione taurus erumpit, obvios quoſque proſternens, & ad pedes Mahometis conſiſtens, quod ipſius manu paſci conſueſſet. Habebat is novæ legis volumen inter cornua defixum; quo accepto, tauro jugum imponit, Legem promulgat, ſimulque Propheta Altiſſimi, Moſe Chriſtoque major, & Rex à Sergio renunciatur. Acta hæc frequenti popularium Saracenorum coronâ: qui ſub Valente demum ad Chriſtianiſmum converſi, Moſis cujuſdam monachi hortatu & admiratione, jam pertæſi tot hæreſeôn ac opinionum, Mahometiſmum primi amplectuntur, ſecuti exemplum atque autoritatem quatuor ducum ſuorum: Ebubeker, ſive Eubkara, Omer, Oſman, & Ali. Mahomet, quod longis fraudibus quæſierat, adeptus pro voto, conſcribit exercitum, & armis novam religionem non tuetur modo, ſed etiam propagat. Tentatis fruſtra Arabibus, cum Saraceni ab Heraclio impetrare ſtipendia non poſſent, & à Quæſtore ipſius indigno convitio irritati eſſent, ab Imperatore defecit, & Syriam Damaſcenam primò, mox Arabiam, Ægyptum, Perſiam armis ſubegit, & eas in provincias ſacra ſua intulit. Sed à morte ipſius, cum primi Succeſſores, maximè autem Omer & Ali, non tantum adderent quædam Alcorano, ſed etiam eum diverſimodè interpretarentur: hinc duæ Mahometanorum ſectæ enatæ; una Omer, altera Ali ſequens, & dogmatis alterutrius pertinaciter inhærens. Olim Calipha Babylonius Omeriſta erat, & Ægyptius Aliſta: Nunc Perſæ Aliſtæ ſunt; Turcæ omnes Omeriſtæ. Quæ de impietate Mahometana diſſen-

Period. II. attic. I.

Legis promulgatio.

propagatio.

ſchiſma.

ſio

Digitized by Google

Period. II. artic. I. ſio non poſtrema cauſa eſt, odiorum & bellorum, quibus ambo populi perpetuò inter ſe conflictantur. Satis de Mahometiſmo.

Papiſmi corruptela religionis. Ad Papiſmum regredior, quo in Eccleſiâ ſtabilito major etiam doctrinæ inclinatio ſecuta eſt, nec tantum errores hæreticorum magno numero recepti, ſed etiam blaſphemiæ publice defenſæ ſunt. Doctrinæ depravationes manifeſtæ ſunt in locis, de Lege Dei, Libero arbitrio, Peccato ejuſque Pœna: de Gratia, Reſipiſcentia, Fide, Juſtificatione, Bonis operibus. Noti ſunt cultus ſuperſtitione humana introducti: Invocationes mortuorum, Adorationes ſtatuarum & Imaginum, battologiæ in Precationibus, Traditiones de certis generibus ciborum, certis formis Jejuniorum, certiſque Ordinibus Monachorum, magicæ rerum naturalium conſecrationes; & alia innumera. Sed omnium evidentiſſimæ, ut vel manibus palpari poſſent, corruptelæ Sacramentorum; quorum & numerus ſenſim auctus, & vis omnis externo operi, quod operatum vocant, affixa. Confuſus cum Exorciſmo Baptiſmus, & cerimoniæ ejus ſpecioſis titulis vanè auctæ ſunt. Poſtremo Cœna Domini impiis opinionibus atque cultibus, quales ſunt de corporali præſentiâ, tranſſubſtantiatione, ſacrificio Miſſæ, panis elevatione, circumgeſtatione, adoratione profanata eſt, ut præter inanem umbram vix quicquam ex primævâ Chriſti inſtitutione retinuerit. Quæ omnia ex ea & deinceps Papa Romanus definivit, ſancivit, ac promulgavit prætoriâ, vel potius dictatoriâ quâdam autoritate: ut diſſentire ab iis vel diverſum ſequi non liceret, abſque hæreſeos aut ſchiſmatis infami notâ. Cæterum in Eccleſiis Occidentalibus ſive Latinis uti facilius admiſſus eſt & coaluit ipſius dominatus, ſic decreta & ſanctiones citius obtinuerunt, pluresque ſectatores nacti ſunt. Græcæ

Græcarū Eccleſiarum à Latinis ſeceſſio. verò ſive Orientales Eccleſiæ non tantum obniſæ ſunt primatui Epiſcopi Romani, ſed etiam ſe ei oppoſuerunt, ſedis Conſtantinopolitanæ eminentiam quacunque ratione defendentes. Quæ ex mutuâ æmulatione contentio diu continuata, & variè agitata tandem in apertum Schiſma erupit, quo Oriens ab Occidente plane avulſus, & Eccleſiæ Græcæ à Latinis prorſus ſeparatæ fuerunt. Circa A. C. 712. Philippicus Imperator, Monotheletarum hæreſi infectus, Cyrum Orthodoxum Epiſcopum Conſtantinopoli in Pontum relegavit, ſubſtituto ei Johanne quodam, Monotheleta monacho: cujus prava dogmata Romam miſit ad Papam Conſtantinum, præcipiens, ut illa iſtic & approbarentur & reciperentur. Conſtantinus coactâ Synodo ipſa dogmata, eorumque aſſertores hæreſeos damnavit: in rei autem memoriam perpetuam Imagines Epiſcoporum, qui decretum condiderant, in porticu B. Petri depingi juſſit. Quâ occaſione inter Orientales & Occidentales

cœptum

Digitized by Google

cœptum diſputari de uſu Imaginum. Et Græci quidem rectius hîc ſentiebant: nullum ſcilicet Imaginum uſum in templis eſſe ad pietatem. Imperatores quoque Conſtantinopolitani, qui Philippicum ſecuti ſunt, præcipuè Leo III. cognomento Iſauricus, ut abeſſent à templis, & ubi jam Romæ & per Italiam receptæ erant, abolerentur, ſeriò mandaverant: Sed Papæ Romani, Gregorius II. & poſt ipſum III. adeò id indignè tulerunt, ut & Imperatorem ipſum ferirent anathemate, & Imperium per Italiam ei abrogarent, non tributum pendi deinceps paterentur. Hâc ſeparatione factâ, non magis Eccleſiæ, quam Imperia iterum coaleſcere potuerunt. Et gubernatio earundem ſub Conſtantinopolitanis & Saracenicis, quatuor Orientis Patriarchis, Conſtantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, & Hieroſolymitano, confirmata eſt. Genus doctrinæ in quibuſdam commune cum Latinis, in aliis diverſum amplexi ſunt Græci. Negant proceſſionem Spiritus Sancti ex Filio, ſalvâ tamen ipſius Deitate, & ὁμουσίᾳ cum Patre & Filio. Imagines initio omnes, poſt ſculptas averſati ſunt. Transſubſtantiationem, ſacrificium Miſſæ, panem azymum, Purgatorium non agnoſcunt. Improbant Cœlibatum & vota ejus: poſtremò Papatum Romanum ceu tyrannidem in Eccleſiâ damnant, & Eccleſiam Romanam tanquam ſchiſmaticam excommunicant. Typus doctrinæ ejus temporis ex Johanne Damaſceno plenè cognoſci poteſt: qui floruit circa A.C 730. & univerſam Theologiam methodo Scholaſticâ primus complexus eſt quatuor libris de Fide orthodoxâ ſcriptis: quanquam de Imaginibus idem ſenſit cum Eccleſiâ Romanâ. Primus liber eſt de Deo, & Perſonis ac proprietatibus divinis. Secundus de Creaturis viſibilibus & inviſibilibus. Tertius de Oeconomiâ Redemtionis, Chriſtique Redemtoris perſonâ, naturis, voluntatibus & operationibus. Quartus miſcellaneus, cum de exaltatione Chriſti, ejuſque cultu, tum de Verbo & Sacramentis. In quibus, præter Methodi lucem & accurationem majorem, inprimis laudatur, quod doctrinam orthodoxam de Deo Triuno, de Chriſti Perſonâ & naturis, ac aliis fidei capitibus contra Arrianos, Neſtorianos, & Eutychianos repetivit & aſſeruit. Tria tamen ſunt, in quibus cenſetur deflexiſſe ab antiquâ purioris Theologiæ integritate ac ſimplicitate. I. Omittit nonnullos graviſſimos & maximè neceſſarios fidei articulos, de Gratiâ, Remiſſione peccatorum, Fide juſtificante, Uſu Sacramentorum, aliiſque: eorum autem loco movet multas ſpinoſas & curioſas quæſtiones: & opiniones ſingulares Doctorum inter fidei dogmata refert. II. Rara adducit Sacrarum literarum teſtimonia: cum tamen inventa ſit Theologia

Period. II. artic. I.

Singularia harum dogmata.

Doctores.

 topica

Digitized by Google

Period. II. Ætatis. I. topica non ad nudam recitationem, ſed ad pleniorem Dogmatum explicationem, ac operoſiorem eorundem demonſtrationem. III. Etiam à phraſi Scripturæ multum recedit ad modos loquendi inuſitatos, magiſque ex Philoſophiâ Græcorum, quam ex verâ & vetere Theologiâ depromtos; ſicut in mutatione doctrinæ ferè cohærent nova dogmata & novi loquendi modi. Poſt Damaſcenum etiam alii celebrantur ex Orientalibus, qui ſuæ ætatis doctrinam Theologicam compendio conſtrinxerunt: Antonius Meliſſa monachus in Locis Communibus de Virtutibus & vitiis: Leo VI. Imp. circa A. C. 912. in apologiâ ſuâ pro veritate fidei Chriſtianæ contra Saracenos: Nicetas Choniates hiſtoricus circa A. C. 1200. in libris quinque de fide Chriſtianâ: & præter hos alii nonnulli. In quorum tamen Scriptis novi etiam errores deprehenduntur. Cæterum ex quo primò Saracenorum, inde Turcarum potentia invaluit in Aſiâ & Europâ, Imperatores & Præſules Conſtantinopolitani de conciliatione dogmatum, & ipſarum Eccleſiarum unione agere cœperunt, quo Papæ Romani & Latinorum auxilia impetrare poſſent. Et noviſſimè quidem tentata res à Johanne VIII. Palæologo & Joſepho Patriarchâ Conſtantinopolitano; qui ipſi trajecerunt in Italiam, & Concilio Florentino ſub Eugenio IV. Papâ Romano interfuerunt A. C. 1439. Poſt multas diſputationes conſtitutus eſt conſenſus de Proceſſione Spiritus Sancti, de pane azymo, purgatorio, & primatu Romano. Sed mox reſciſſus, poſtquam ipſi redierant Conſtantinopolim, & Græci à ſede Romanâ etiam alieniores facti. Captâ inde à Mahomete Conſtantinopoli A. C. 1453. ſpes omnis concordiæ in poſterum præciſa eſt, Eccleſiis Orientalibus in duriſſimam ſervitutem redactis. Quibus tamen à reformatione Lutheri Zuingliique nova doctrinæ lux accenſa eſt: præſertim cum libri Euangelicorum de Religione græce latineque ſcripti in Orientem & in ipſam Conſtantinopolim importarentur. Certè Patriarcha Jeremias, qui præfuit anno 1575. & deinceps à Confeſſione Auguſtanâ non valde alienus fuit, etſi in quibuſdam articulis aſſentiri nondum poſſet. Cyrillus verò Patriarcha, qui proximis hiſce annis ſedem illam obtinuit, editâ confeſſione anno 1629. conſenſum orthodoxum in omnibus neceſſariis articulis teſtatus eſt & ſtabilivit. Hæc in Oriente acta, & ejuſmodi forma doctrinæ per Eccleſias Orientales tradita & propagata eſt. In Occidente interea id operam dedit Papa Romanus, ut Hierarchiam ſuam quocunque modo ſtabiliret, & per Eccleſias Occidentales ſive Latinas longe lateque extenderet. Decreto Phocæ prælatus quidem erat Epiſcopus cæteris, & Univerſalis ſalutatus: interim ipſe Imperatori ſubditus, & hujus

Tentata concordia cum Romanis,

ſed fruſtra.

Conſenſus cum Euangelicis.

Papiſmi Hierarchia promota.

nec

nec non Exarchi Ravennatis, vicarii ipſius, imperio obnoxium permanebat: uſque adeò ut Electio Papæ à Clero populoque Romano facta non ante rata eſſet, quam ipſius Imperatoris vel Exarchi vicarii calculo approbaretur. Eo ſe nexu exſolvit, quando Imperator Conſtantinus VI. cognomento Pogonatus, veneratione Benedicti II. totum illud Sedi Romanæ remiſit, præcipiens, non exſpectatâ aliâ confirmatione, eum legitimum cenſeri Pontificem, quem Clerus atque populus deſignaſſent: ut eſt apud Sabellicum Ennead. 8. lib. 6. Hinc longius progreſſus etiam Imperatoris imperium excuſſit, titulo Excommunicationis adverſus Leonem III. & Exarchum ipſius: quin etiam tutelam ac defenſionem Eccleſiæ Romanæ, quum armis Longobardorum graviùs premeretur, ad exteros, nempe Francos, horumque Principem Carolum Martellum tranſtulit. Pro quo beneficio filius ipſius Pipinus regnum Francorum, Childerico Regi ademtum, à Zachariâ Papâ obtinuit: & nepos Carolus Magnus Imperii Romani axioma, à Conſtantinopolitano avulſum, Leonis III. Pontificis autoritate adeptus eſt. Uterque viciſſim, Pipinus & Carolus, Exarchatum Ravennatem, armis extortum Longobardorum Regi, & à Conſtantinopolitano Imperatore fruſtra repetitum, unà cum aliis Italiæ provinciis Sedi Romanæ in perpetuum donarunt atque confirmarunt. Cum autem Franci regno ſuo regiones vicinas ſubjicerent, etiam Papa Romanus, horum favore & armis, Eccleſiæ juriſdictionem longius pertulit per omnes Germaniæ provincias, itemque per Daniam & Pannoniam: uſus operâ cum aliorum, tum præcipuè Bonifacii I. Archiepiſcopi Moguntini, & Germanorum, uti vocari ſolet, Apoſtoli, ſedis Papatus devotiſſimi mancipis, & variis Epiſcopatibus inter fideles excitatis, ceu totidem ejuſdem Sedis propugnaculis. Ad extremum erga Francos, munificentiſſimos Eccleſiæ Romanæ patronos, ingrati Pontifices, quod inter ſe diviſi eſſent, & pro libitu Sedis Romanæ arma induere detrectarent, dignitatem Imperii ad Germanos horumque Regem Ottonem I. ſive Magnum, Saxonem, traduxerunt; inſtitutiſque Electoribus, quos inter tres Sacri ordinis Præſules, liberis ſuffragiis ad ſucceſſores Germanos derivari deinceps juſſerunt. Ex quibus incrementa hierarchiæ ſeu potius tyrannidis Papalis, non tantum in Eccleſias, ſed etiam in Imperatores, Reges, Principes clariſſimè perſpiciuntur. Jam de genere doctrinæ quoque hoc articulo per Eccleſias Occidentales dicendum. Præcipuos errores, corruptelas & abuſus Papatus Romani ſupra attigimus. Nondum tamen in publico Eccleſiæ Miniſterio planè oppreſſa erat veritas. Siquidem ſecundùm Verbum Dei ſcripta Auguſtini præcipuo in pretio erant, & doctrina ejus de pleriſque

Period. II. art. I.

Veræ doctrinæ conſervatio in Eccleſiis Occidentis.



Digitized by Google

Period. II. art. I.

capitibus apud doctiſſimos quoſque obtinebat, & diligenter tanquam per manus tradita conſervabatur. Nam primum ab Egyppio, æquali Fulgentii, tum ab ipſo Fulgentio, itemque Primaſio Theologis Afris; poſtea ab Iſidoro Hiſpalenſi, Epiſcopo Hiſpano, nec non à Maximo Taurinenſi, & Proſpero Gallo, denique à Conciliis Arauſionenſi & Conſtantinopolitano VI. Oecumenico approbata, & continuâ quaſi ſucceſſione firmata erat. Adeo ut cum in Hiſpania deeſſent Operum Auguſtini exemplaria, circa A. C. 650. Tajo Epiſcopus Cæſarauguſtanus Romam miſſus ſit, qui ea ex Bibliothecâ Romanâ peteret, & in Hiſpaniam adferret. Denique ante Carolum Magnum à Bedâ Anglo-Saxone defenſa fuit, atque etiam à Bedæ diſcipulis, Alcuino, quem Albinum vocant, ſub Carolo M. & Claudio Scoto ſub Ludovico Pio, à Rabano item Mauro ſub Lothario Imperatore, aliiſque ad annum uſque quingenteſimum à morte Auguſtini propagata ac retenta. Quemadmodum verè notitia & uſus S. Scripturæ non parum obſcuratus eſt collectione Lectionum Dominicalium à Paulo Diacono Caroli M. juſſu facta, circa A. C. 807. utpote quâ lectio Bibliorum paulatim venit in diſſuetudinem, & ipſa Biblia in oblivionem: ſic doctrina religionis ab eo tempore & deinceps bifariam corrupta fuit. Semel, quod invaleſcente tyrannide Papæ Romani cum alii, tum Bonifacius Moguntinus, ex Monacho Archiepiſcopus à Pontifice creatus, autoritatem Sedis Romanæ per Franciam & Germaniam plurimum commendaret ac promoveret. Unde factum ut Pontifices Romani pleraſque Occidentis Eccleſias per decretales & commonitorias Epiſtolas gubernarent: controverſias quoque ſive Fidei, ſive Fori earum reſponſis deciderent. Ergò Burchardus, & ipſe ex monacho Wormatienſis Epiſcopus à Papâ deſignatus, Decretorum libros viginti, uno volumine comprehenſos evulgavit, tanquam ſummam omnium quæſtionum, tum ad fidem Chriſtianam, tum ad forum pertinentium, circa A. C. 1000. Burchardo ſucceſſit Ivo Carnutenſis Epiſcopus, qui ejuſdem argumenti volumen edidit. His aliiſque ſcriptis, quum divina cum humanis, & Theologica cum civilibus confunderentur, forenſis quædam Theologia enata eſt, formæ hierarchiæ Romanæ haud inconcinne reſpondens. Iterum deinde & gravius vitiata eſt, quando motâ Transſubſtantiationis controverſiâ, ex quâ plures aliæ pendent, doctrina Auguſtini non modo in hoc ſed in aliis quoque Theologiæ locis damnata eſt. Oppoſuit ſe invaleſcenti errori Berengarius, archidiaconus Andegavenſis, qui etſi loqueretur aliquando incommodius, veram tamen ſententiam tuebatur ex Scripturâ & libris Auguſtini. Adverſarios nactus eſt Lanfrancum

Corruptelæ ejus,

à decretis Paparum,

à contemtu doctrinæ Auguſtini.

Papi-

Digitized by Google

Papienſem Doctorem, & ex eo Cantuarienſem Archiepiſcopum, nec non Guilmundum Averſanum Epiſcopum, qui in Berengario ipſum Auguſtinum oppugnarunt, & ſtudia Italorum, præſertim cum res Pontificis ageretur, facile in partes ſuas inclinarunt. Ipſe verò Pontifex Nicolaus II. congregato Lateranenſi Concilio Berengarium ad palinodiam adegit, A. C. 1059. & contrariam priori confeſſionem, velut triumphatâ veritate, per Eccleſias Italiæ, Galliæ, Germaniæque miſit. Ex quo evenit, ut primum prætermitteretur, poſt etiam omninò negligeretur, quæ tamdiu in Eccleſia obtinuerat Auguſtini autoritas, doctrina ac ſententia: Ii verò qui Theologiam profitebantur, non eadem tenerent fundamenta quæ Veteres, ſed ſolùm ea, quæ jam receptis opinionibus, quanquam erroneis, itemque rationibus humanis, nec non ipſius Papæ Romani velut irrefragabilibus decretis conſtarent. Peroid: II. artic. I.

Prolixior fui in enarrando Articulo primo Secundæ periodi Eccleſiæ N. T. propterea quod in eum coincidunt initia Papatus Romani, apoſtaſiæ Mahumetanæ, & Schiſmatis Græci, quo Eccleſia Orientalis ab Occidente fuit diſtracta. *Articulum Secundum* brevioribus conſtringemus, & expediemus, ſurgentem nobis cum A. C. 1073. & Gregorii VII. magni illius & notorii Antichriſti Pontificatu. Quo toto intervallo Papatus Romanus altius eniſus eſt, & ad ſummum pervenit; oppreſſis etiam exiguis, quæ eouſque ſuperfuerant reliquiis libertatis Eccleſiaſticæ, & hierarchiâ Papali novis tibicinibus doctrinæ atque legum firmata. Etenim Inveſtituras Epiſcoporum, quæ ad Jus Imperatorum pertinebant; utpote qui Epiſcopatus condiderant, & Epiſcopos Imperii Principes creaverant, Papa Romanus per vim extorſit Imperatoribus ac Sedi Romanæ vindicavit. Imperatores ipſos pro animi ſui libidine jam conſtituit, modò percuſſos anathemate deſtituit, vel etiam ſpecie religionis procul in bellum ſacrum, toti orbi Chriſtiano exitiale, amandavit, inſtitutis ad id militibus ſacris, Templariis, Johannitis ſive Teutonicis, & Marianis: tantùm ut amoto Imperii cuſtode licentius graſſari, & ſua agere poſſet. Cœlibatum Sacerdotum, prout vulgò ſalutantur, qui eouſque liberæ obſervationis fuerat, ſaltem per Germaniam, neceſſitatis lege & adſtrinxit, & univerſis imperavit; ne per onera conjugii bona Eccleſiæ minuerentur aut dilapidarentur. Ordines Monachorum novis ſodalitatibus auxit; additis cum aliis, tum Franciſcanis & Dominicanis, tanquam commodiſſimis tyrannidis ſuæ exercendæ adminiſtris. Idololatriam circa ſacrum Miſſaticum, & venerationem Virginis Mariæ cultibus ſuperſtitioſis intendit. Ex indulgentiis quoque, jubileis, annatis, aliiſque Artic. II. Papiſmi incrementa.

 aucu-

Period. II. art. II.

aucupiis uberrimum quæſtum fecit. Hiſce omnibus robur & præſidium quæſitum à formâ doctrinæ, fovendæ ſuperſtitioni ac obedientiæ erga Sedem Romanam accommodatæ. Supra diximus, quum Eccleſiæ magis decretis & reſcriptis Papalibus, quam Dei verbo regerentur, doctrinam Religionis & juris Eccleſiaſtici ſic inter ſe fuiſſe permixtas, ut inde forenſis quædam Theologia enata fuerit. Id poſt annum 1020. mutatum paulatim, atque à Theologiâ forum divulſum. Nam quæ collectiones ex Romanorum Pontificum decretis Patrumque ſcriptis ad lites dirimendas pertinere judicabantur, Decretorum nomine appellatæ ſunt. Quæ autem ex utriſque fidem & religionem ſpectare videbantur, Theologia Scholaſtica indigetata eſt. Itaque ex eo duplex hominum genus emerſit, Canoniſtæ & Scholaſtici, ambo patroni ac defenſores Sedis ac hierarchiæ Romanæ; quorum illi, Canoniſtæ, dominatum Papæ Romani tuendum ſuſceperunt, ex Canonum decretis: iſti, Scholaſtici, uſitatam doctrinam ac ſuperſtitionem Eccleſiæ Romanæ defenderunt ex ſententiis Patrum, ac Scholarum placitis. De utriſque ſeorſim referemus, quæ illuſtrando inſtituto deſerviant.

Juris Canonici origo.

Pacata & recreata Italia ex bellis Henricorum IV. & V. Vir ſummus Irnerius, qui Provinciis Imperii per Italiam præerat, Lothario Saxoni Imperatori autor fuit, ut Jus Civile, quod ante regnum Longobardorum in Italiâ obtinuerat, quemadmodum ex Gregorii M. epiſtolis apparet, in uſum fori poſtliminiò reduceret, atque etiam publicè illud doceri curaret Romæ & Bononiæ, ubi jam erant Academiæ à Carolo M. inſtitutæ: ſicut fieret Conſtantinopoli, & antiquitus Athenis & Beryti. Ac ne deeſſet doctrinæ aut doctoris facultas, non tantum ſuppeditavit Codices ſcriptos, ſed ipſe quoque eos interpretari Bononiæ, & gloſſematis illuſtrare cœpit A. C. 1030. Irnerium ſecuti ſunt auditores ipſius, Bulgarus, Azo, Placentinus, alii: qui ſumma capita Juris Romani in locos Communes redegerunt, ſuique admiratione plurimos in Italiâ & Germaniâ ad ejus ſtudium excitarunt. Unde cum rebus ſuis metueret Papa Romanus, præſertim ſi repetiti juris autoritas invaleſceret, Canonum Eccleſiaſticorum, nec non decretorum Papalium, dignitatem extollere cœpit, ac legibus Civilibus Imperatorum anteponere: quarum nonnullas etiam, ceu à recti tramite devias, caſtigare & emendare non fuit veritus. Æmulatione verò Irnerii circa A. C. 1140. prodiit Gratianus, patriâ Cluſinus, profeſſione monachus S. Benedicti, tum & ipſe Bononiæ degens; qui Canones Conciliorum & Decreta Pontificum in unum collegit volumen, ac titulo Decreti publicavit. Opus gratiſſimum Pontific iRomano, eoque novis legibus ſubinde amplificatum à

Gre-

Digitized by Google

Gregorio IX. Bonifacio VIII. Clemente V. & aliis. Eugenius vero III. ſive, ut alii, Innocentius III. Decretum Gratiani publice legi in Scholis, ejus Doctores creari, & ex eo jus dici in foro præcepit. Ex quo liber ille novis Jureconſultorum Italicorum ſummis tanquam locupletiſſimus theſaurus illuſtratus, & omnibus aliis ſcriptionibus prælatus fuit. Hæc Canoniſtarum & Juris Canonici prima eſt origo: de cujus toto corpore Loco ſequente pluribus agetur. Reſtat ut de Theologia Scholaſticâ, ac Theologis Scholaſticis dicamus. Poſtquam autoritas Auguſtini in Eccleſiâ à Lanfrancanorum factione labefactata erat, ac ſtabilitum Tranſſubſtantiationis commentum, in pejus omnia ruere, & ut ait ille, retrò ſublapſa referri. Cum enim Verbi divini limites audacius tranſilirent, quæſtionum quas de Religione movebant deciſiones aliunde, hoc eſt, ex ſcriptis humanis derivabant. Sententiæ Theologicæ omnes ad ritus tum uſitatos & ad recepta placita, tanquam ad Fidei normam revocatæ. Tandem de his rebus certæ regulæ, velut κυρίαι δόξαι, & ipſius Dei oracula, traditæ: ac ne novæ viderentur, Patrum nominibus atque dictis exornatæ. Quæ omnia cum à Monachis ferè in Scholis, methodo ac phraſeologiâ ſcholaſtica tractarentur, inde Theologiæ Scholaſticæ, ac Theologorum Scholaſticorum nomina inoleverunt. Princeps eorum celebratur Petrus Lombardus, Epiſcopus Pariſienſis: qui floruit circa A. C. 1145. & Theologiæ Scholaſticæ, prout tunc erat, fundamenta in quatuor libros Sententiarum congeſſit, ordinem illum in univerſi Operis diſtributione ſecutus, quem Damaſcenus ſuis de Orthodoxâ fide Commentariis præſcripſerat. Primus continet ſententias Patrum de Trinitate & Unitate Dei. Secundus de Creatione mundi, ac præcipuè Angelorum & Hominum. Tertius de Incarnatione Verbi, deque Virtutibus, & vitiis. Quartus de Sacramentis, & noviſſimis, id eſt, reſurrectione, judicio, & Vitâ æternâ. Hinc Magiſter Sententiarum in Scholis vulgò appellatur. Libri verò ipſius veluti norma ac forma purioris Theologiæ ubique recepti fuêre, atque innumeris Doctorum Scholaſticorum commentariis illuſtrati. Quanquam ex iis etiam inveniuntur, qui quædam ejus dogmata improbant: ſicut notantur articuli XXVI. in quibus Magiſter vulgò rejicitur, editionibus ipſius ſub calcem additi. Cæterum cum Theologia Scholaſtica non ſemper fuerit eadem, ſed lapſu temporis facta deterior varias eclipſes paſſa ſit, ex re fuerit, ſi certas ejus ætates cum Lamberto Danæo, Rudolpho Hoſpiniano, aliiſque conſtituerimus. Tres porrò numerantur. Prima à Lanfranco, vel quod malim ab hoc Petro Lombardo ad Albertum uſque Magnum excurrit, annorum circiter 120. Hæc Patres Prophetis & Apoſtolis, & illorum ſententias, adul-

Period. II. artic. II.

Theologiæ Scholaſticæ initia.

Ætates ejus tres.

Prima.

Period. II. art. II. adulterinas quandoque vel etiam truncatas & in alium ſenſum detortas, genuinis Scripturarum divinarum teſtimoniis exæquavit. In Patribus tamen ſolos antiquiores cenſuit, nullum recentiorem, ac ne ipſum quidem Bernhardum. Philoſophiam ac rationes humanas parce attingit: ſicut ipſe Lombardus Ariſtotelis nullam mentionem facit. Denique in definiendo cæteris modeſtior fuit. Eâ ſcriptores celebriores fuerunt: Guilelmus Antiſiodorenſis, Alexander Italenſis, qui primus in Magiſtrum Commentarios ſcripſit, Henricus Hoſtienſis, & alii.

ſecunda. Secunda extenditur ab Alberto Magno ad Herveum Natalem Britonem annorum 60. quæ Philoſophiam, & inprimis Metaphyſicam Ariſtotelis in ſcenam Theologicam produxit: eam ubique primo loco ante Scripturam locat, & pondere argumentorum in tantum præfert, ut rationes ſint probationes apodicticæ, dialecticæ ſolùm Scripturæ teſtimonia. Curioſitati quoque ac vanitati non parum indulſit, & à modeſtiâ prædeceſſorum longius receſſit. Scriptores ſunt: Albertus Magnus, Thomas, Bonaventura, Scotus, Henricus Gandavenſis, & plures alii.

tertia. Tertia inde ſucceſſit, duravitque ad initia uſque Lutheri, per annos 190. & amplius, utraque priore multo pejor. Principia eadem retinuit ex Philoſophiâ Peripateticâ. Sed curioſitati inquirendi omnia, quantumvis abſtruſa in myſteriis divinis, audaciâ determinandi, & de iis pronunciandi, Sophiſticâ certa convellendi, incerta aſtruendi, cuncta utramque in partem diſputandi, denique monſtroſâ novitate terminorum, phraſium, diſtinctionum, ambas vicit, & ſuperiorum Scholaſticorum ſtudia auſuſque antevertit. Scriptores multos habet: quorum aliquot velut ſecutæ Reformationis prænuncii, ſociorum ſuorum doctrinam docendique modum improbarunt. Nomina tenebrionum referre nihil attinet. Patet ergò Secundo hoc Articulo denſiſſimas tenebras univerſam penè Eccleſiam occupaſſe, ejuſque doctrinam, ceu atrâ nube obductâ obſcuraſſe.

Vera Theologia conſervata, Sed tamen ſcintillulæ quædam lucis & veritatis Euangelicæ etiam tum remanſerunt: quæ ſubinde, prout tempora ſinebant, clarius vel obſcurius emicuerunt.

per Bernhardum. Et initio quidem naſcentis Theologiæ Scholaſticæ Bernhardus Abbas Clarevallenſis excitatus fuit divinitùs & veritatem ſanioris Theologiæ ab errorum mendaciis aſſertam, voce atque ſcriptis in lucem reduceret. Is cum Scripturas aſſiduè legeret, ac intelligentiam earum non ex rivis Commentariorum, ſed ex ipſis fontibus peteret, cum Scripturis etiam lectionem Operum Auguſtini conjungeret; dici non poteſt, quantum lucis ei exortum fuerit. Equidem doctrinam de Chriſti officio ac beneficiis, de gratia & libero arbitrio, de Juſtificatione, Sanctificatione, prædeſtinatione ita illuſtravit, ut inde ab exceſſu Auguſtini

nec

Digitized by Google

nec uberius, neque clarius à quoquam tradita fuerit. Poſt Bernhardum quoque, qui A.C. 1153. mortuus eſt, per tempora ſuccedentia ad annum uſque 1517. nunc in his, modo in illis Eccleſiis inventi ſunt, qui receptis Eccleſiæ Romanæ & Scholarum erroribus contradicerent; ſuperſtitioſos cultus redarguerent, ac Sedis Romanæ tyrannidem liberè perſtringerent. Cujus certam fidem nobis facit Catalogus teſtium Veritatis ex illorum temporum Scriptoribus collectus, nec unquam ab adverſariis Pontificiis ſolidè refutatus. Majus verò illud eſt, & quod ſine admiratione vix auditur aut legitur, quod etiam tum integri Chriſtianorum cœtus ſeceſſionem fecerunt ab Eccleſiâ Romanâ, ac puriorem Euangelii doctrinam ex verbo Dei reſtitutam prædicarunt. Hujus initia, progreſſiones & incrementa cognoſcere jucundum pariter ac utile fuerit. Circa A.C. 1160. hoc eſt, non multò poſt fata Bernhardi, Petrus Waldus Civis Lugdunenſis & mercator locuples, territus triſti amici ſui caſu, de irâ Dei, ejus placamento, nec non vitæ emendatione cogitare cœpit religioſius, quam ante fecerat, ac totum ſe Profeſſioni Euangelicæ conſecravit. Nec contentus ſe ſuamque domum reformaſſe, etiam alios, tenuiores maximè, his de rebus docuit, eorumque egeſtati liberaliter ſuccurrit. Progrediente paulatim ipſius tum in pauperes beneficentiâ, tum alios docendi ſtudio, & in his etiam diſcendi ardore creſcente, mediocri frequentiâ in cœtus coivêre, ac plures indies ſibi adjunxêre. Ideoque ut certam doctrinæ cultuſque normam, quam ſequerentur haberent, Scripturam V. & N.T. in linguam vernaculam gallicam vertendam curavit, vel ut alii rem narrant ipſe convertit. Inſuper collegit antiquorum Patrum teſtimonia, qui incorruptam Euangelii doctrinam ſcriptis conſignatam reliquerunt. Ordinavit quoque in cœtu illo, & de conſenſu ipſius Eccleſiæ Miniſterium ex Epiſcopis ſive Paſtoribus, Presbyteris & Diaconis, qui Eccleſiæ docendæ & regendæ, nec non curandis pauperibus præeſſent. Ex iis præter Waldum celebres Arnoldus, Speronus, Joſephus & Leo, & alii. Atque ut à loco & fortunâ Pauperes de Lugduno, ſic ab his Doctoribus ſuis Waldenſes, Arnoldiſtæ, Speroniſtæ, Juſepini & Leoniſtæ odioſè vulgò appellati ſunt. Dogmata ipſorum hæc ferè erant; Solis Scripturis Sacris V. & N.T. credendum eſſe, quæ neceſſariam fidei vitæque doctrinam contineat, non traditionibus Eccleſiaſticis aut Paparum decretis: Unum tantum eſſe Mediatorem Chriſtum, cujus merito & interceſſione ſervemur: Sanctos nec patronos noſtros eſſe, nec invocandos: Nullum eſſe purgatorium, aut locum tertium à cœlo & inferno diverſum: Duo tantum eſſe Sacramenta N. T. Baptiſmum ſimpliciſſimo ritu inſtitutum & Cœnam Dominicam, utroque ſymbo-

Period. II. art. II.

per Waldum & Waldenſes.

Waldenſium doctrina.

Period. II. art. II. lo diſpenſandam omnibus: cujus horrenda depravatio ſit Miſſæ Sacrificium, maximè ſi pro defunctis celebretur: Jejunia, Ciborum, dierum & ordinum Monaſticorum diſcrimina; vota, peregrinationes, benedictiones ſeu conſecrationes variarum rerum, totumque illum ceremoniarum apparatum, eſſe hominum ſuperſtitioſorum commenta, eoque ex Chriſti Eccleſiâ exterminanda. Primatum Papæ in Eccleſiis & Politiis Chriſtianorum eſſe tyrannidem Antichriſtianam; Papam eſſe ipſiſſimum Antichriſtum, & Eccleſiam Romanam Babylonem in Apocalypſi prædictam: Cœlibatum Sacerdotum eſſe fœdam fornicationem, conjugium honoratum caſtumque: Cœtus audientes Verbū Dei & ei obtemperantes eſſe veras Chriſti Eccleſias; atq; his non aliis claves regni cœlorum à Chriſto datos eſſe. Hæc ſumma fuit Theologiæ & doctrinæ Waldenſium. Qui ſchiſmatis ac hæreſeos poſtulati

Diſperſio & propagatio

primò ab Archiepiſcopo Lugdunenſi, mox ab ipſo Pontifice, cum nec diſſolvere conventus, nec doctrinæ renunciare vellent, excommunicati proſcriptique ſunt. Urgente igitur periculo Lugduno diſcedere, ac in varias terras dilabi ac diffugere coacti fuerunt. Ipſe Waldus peragrata Gallia in Picardiâ conſedit aliquandiu, ac diſcipulos fecit: qui Picardi dicti ſunt. Arnoldus collega ipſius diverſo itinere in Galliam Narbonenſem deſcendit, & Albæ Auguſtæ ſedem fixit: ex quo Albigæi & Albigenſes ſunt appellati. Alii in Sabaudiam & Longobardiam, & inde per Italiam in Siciliam uſque penetrarunt; ubique autem doctrinæ ſuæ ſemina ſparſerunt. Cæterum qui cum Waldo magiſtro in Picardiâ ſubſtiterunt, quod tutò illic manere non poſſent, partim trajecerunt in Angliam, partim in vicinum Belgium tranſierunt, & porrò in provincias Germaniæ ad Albim, Rhenum, & Danubium, atque adeò in Bohemiam & Poloniam contenderunt, variis & difficillimis caſibus paſſim jactati. Nunquam tamen dolo aut vi hoſtium deleri potuerunt. Subinde verò reſpirationis aliquid nacti ſeſe recollegerunt, & rem collapſam reſtaurarunt. Quod cum alibi, tum inprimis in Angliâ & Bohemiâ factum.

in Angliâ,

In Angliâ Johannes Wicleff, Scholæ Waldenſis diſcipulus, circa A.C. 1370. multa ſcripſit contra receptas ſeculi ſui opiniones & dogmata, & in tyrannidem ac ſuperſtitionem Sedis Romanæ graviter fuit invectus. Propter quæ hæreſeos damnatus, cum in exilium proficiſci juberetur, morte præventus deceſſit: ſed quadraginta & uno annis poſt, mandatu Martini V. Pontificis, exhumatus & publice crematus eſt.

in Bohemiâ.

In Bohemiâ doctrina Waldenſium Wicleffi ſcriptis illuſtrata, publicè tradita eſt à Johanne Huſs & Hieronymo Pragenſi Bohemis circa A.C. 1400. Quanquam Æneas Sylvius teſtatur ipſos dogmatis Waldenſium addidiſſe articulos de Communione ſub

utra-

Digitized by Google

utraque, & gratuitâ juſtificatione: quos tamen primi Waldenſes tenuerunt. Ambo contra fidem datam exuſti ſunt Conſtantiæ anno 1415. & 16. Sectatores autem in partes ſeceſſerunt. Una pars, contenta uſu calicis & ſacris vernaculis, pactis Baſileenſibus acquievit: qui promiſcuè Calixtini, Huſſitæ, Pragenſes, Bohemi nominantur. Altera Zelotarum, qui & Thaboritæ dicti, ab oppido Thabor, quod condiderunt & incoluerunt, non tantum Huſſi omnia aſſerebant, ſed etiam alia nonnulla in Papatu damnabant. Contra hos initâ conſpiratione ſe ſociarunt Papiſtæ & Huſſitæ, callidis conſiliis Johannis Rockazenæ concionatoris ſui ſeducti, & alteros Thaboritas oppreſſerunt. Id accidit A. C. 1443. Georgio Podibracio Rege. Poſt annos quatuordecim Ladiſlao I. rerum potiente nova à Calixtinis ſeceſſio facta eſt. Cum enim ex iis Viri pii & prudentes cernerent, veram doctrinam cothurnis involvi, & ad conjunctionem cum Pontificiis omnia dirigi, peculiares cœtus ex ſuis conſtituerunt, in quibus miſſis certaminibus ſincera religionis doctrina excoleretur, diſciplina morum ſeverius exerceretur, cæteraque ad priſcam formam componerentur: Eos cœtus Eccleſias Fratrum appellari placuit, quod & primi Chriſtiani ſic dicti eſſent, nec aliter Huſſus auditores ſuos compellaſſet. A communione Waldenſium, quorum poſteri in provinciis vicinis latebant, conſultò abſtinuerunt: quod metu perſecutionum non tantum confeſſionem ſuam diſſimularent, verum etiam ſacris Pontificiis quandoque communicarent. Quod etiam longè poſt Johannes Oecolampadius in eis reprehendit. Ipſi verò, quoties res & occaſio poſcebat, formulam confeſſionis ſuæ ſincerè perſcripſerunt, & intrepidè exhibuerunt, cum ex Bohemiæ civitatibus ejicerentur, itemque ſub Ladiſlao II. anno 1504. & 1507. iterum ſub rege Ludovico anno 1524. & deinceps. Ex quibus Theologia ipſorum ſive doctrina religionis omnibus eſt manifeſta.

Period. II. artic. II.

Pervenimus ad *Tertium* eumque noviſſimum *Articulum Secundæ* ſive ultimæ *Periodi* Eccleſiæ N. T. quo Deus Eccleſiæ ſuæ miſertus, Religionis doctrinam ab inveteratis Scholarum erroribus, cultum verò ab uſitatis ſuperſtitionibus repurgavit, ac Papam Romanum, qui illâ in ſede pro Chriſti vicario, ac totius Eccleſiæ Catholicæ capite ſeſe gerebat, detractâ ei larvâ, ipſiſſimum eſſe Antichriſtum verbo & opere clariſſimè teſtatus eſt. Tantæ mutationis, quæ annis 356. poſt Waldenſium à Papatu ſeceſſionem, & 116 poſt Huſſi reformationem contigit, hiſtoriam, quatenus ad rem præſentem facit, ex ſuperioris ſeculi ſcriptoribus fide dignis, pauciſſimis repetemus. A. C. 1516.

Artic. III. Reformatio inſtituta

Period. II. artic. III. Leo X. Papa Romanus, in Germaniam Johannem Tecelium, in Helvetiam Samſonem Mediolanenſem, in alia regna atque provincias alios ablegavit, qui largiſſimas indulgentias promulgarent iis, qui pretio ſibi eas comparaturi eſſent. Ad quas cum undique maximus fieret hominum concurſus, erant qui id ægerrimè ferrent, & inter hos præcipui nominis Martinus Lutherus, monachus Auguſtinianus, Profeſſor Theologiæ Wittenbergæ, & Hulderichus Zwinglius Helvetius, tum Parochus Glaronenſis. per Lutherum. Lutherus initio in Monaſterio ſuo homines monebat, agerent prudenter, nec merces à Tecelio propoſitas tanti emerent: præſtare facultatibus ſuis ſublevare pauperes, quam incertam gratiam certâ pecuniâ redimere. Quod cum Tecelium malè habere accepiſſet, anno ſequente 1517. prid. Kal. Novemb. Theſes numero 95. contra Indulgentias publicâ diſputatione propoſuit. Inſuper datis ad Albertum Moguntinum Archiepiſcopum Magdeburgenſem, literis eum oravit, ut Indulgentiarum loco Euangelium doceri juberet. Sed iſte nihil reſpondit. Epiſcopus verò Brandeburgenſis monuit Lutherum, ne quid temerè novaret. Et pariturus omninò fuiſſet, niſi Tecelius, Eccius, Prieras, Hoochſtratus, virulentiſſimis ſcriptis ipſum irritaſſent. Unde propoſitionum ſuarum de Indulgentiis declarationes edidit, ipſi Papæ Leoni X. inſcriptas, ut mitigaret adverſarios ſuos, ac multorum veritatis ſtudioſorum deſideriis ſatisfaceret. Papa de ſententiâ Maximiliani Imp. Lutherum Romam vocat. Sed Fridericus Sapiens Elector Saxoniæ obtinuit, ut in Germaniâ à Cajetano Cardinale audiretur: ad quem Auguſtam profectus eſt. Hic id agebat, ut partim blanditiis, partim minis ad palinodiam Lutherum adigeret. Quod niſi erroris convinceretur ex Scripturâ, facere renuit. Tandem interpoſitâ proteſtatione quâ à Papâ provocabat ad Concilium, domum rediit. Succeſſit poſtea diſputatio Lipſienſis cum Eccio, iiſdem de Indulgentiis: ex quâ novæ controverſiæ natæ ſunt. Siquidem eâ occaſione Primatus Papæ Romani, ejuſdemque in ſpiritualibus ac civilibus poteſtas in quæſtionem adducta. Diſceptatum quoque de pœnitentiâ & converſione hominis, de gratiâ ac libero arbitrio, juſtificatione, meritis operum, purgatorio, & poſtremò de utriuſque Symboli communione in uſu Cœnæ Dominicæ. Quibus omnibus motus Papa, ne latius ſerperet innovatio, Lutherum excommunicat. Hic viciſſim Antichriſtum proclamat, & appellat Concilium: aſſertiones ſuas, damnatas Romæ, defendit: & in Euchariſtiâ non mutilationem modo Sacramenti, ſed etiam ejus depravationem per tranſſubſtantiationem ac Miſſæ ſacrificium redarguit. Hucuſque cum invaluiſſent certamina, ipſe Cæſar Carolus V. Lutherum ad cau-

ſam

Digitized by Google

ſam dicendam Wormatiam evocat fide publicâ A. C. 1521. Auditus fuit publicè in Comitiis Imperii, & ad quæſita intrepidè reſpondit. Sed quod revocare dogmata ſua nollet, à Cæſare proſcribitur, à Papâ Leone iterum excommunicatur. Quod geminum fulmen tempeſtivo in Pathmum ſuam ſeceſſu declinavit, & ad tempus latitavit. Poſt Wittebergam rediit, ac porrò doctrinam Euangelii voce ſcriptiſque illuſtravit, nec per Germaniam tantum & regna vicina, ſed per univerſam penè Europam propagavit. Jam in Helvetiâ Zwinglius Glaronâ, ubi jam inde ab anno 1516. prædicarat puriorem doctrinam, ad famoſum Virginis Eremitanæ templum, & hinc Tigurum tranſlatus, concionibus ſuis hanc ſubſtravit hypotheſin: Fidem, vitam, ac vocationem noſtram uni ac ſolo verbo Dei conformem eſſe oportere. De cujus veritate poſtquam ſatis ſuperque confirmaret auditorum ſuorum animos, ad hypotheſin delapſus, quid in Eccleſiæ Romanæ doctrinâ, cultu, ac ceremoniis diſcreparet ab hâc normâ & cum eâ pugnaret, indicavit; atque hâc methodo non ſolum impoſturas nundinatoris Mediolanenſis detexit, ſed etiam receptæ doctrinæ errores, ſuperſtitiones & abuſus redarguit. Summam totius doctrinæ ſuæ Thematis 67. complexus eſt: quæ duabus Synodis, (ad quarum alteram plus minus ſexcenti Eccleſiarum Antiſtites & Sacerdotes confluxerant, non comparentibus licet Epiſcopis Conſtantienſi, Curienſi, & Baſileenſi, qui à Senatu Tigurino invitati erant) diſcuſſa & examinata obtinuerunt; factumque eſt decretum, ut Traditionibus hominum omiſſis purè doceretur Euangelium, è Veteris & Novi Teſtamenti libris. Duo tamen ſingulariter notanda de hâc Reformatione. Unum: quod non Imagines tantum ex templis amovit, ſed ſimul omnes ceremoniarum ſuperſtitiones abrogavit. Alterum: quod errorem corporalis præſentiæ Chriſti in Cœnâ maturè deprehendit, & publicè confutavit: eoque ipſo doctrinam Sacramentorum plenius & dilucidius, quam ante alii, explicavit. Sic igitur divino beneficio, & Lutheri, Zwinglii, aliorumque, qui ceu fidi paraſtatæ in partem operæ venerunt, miniſterio, Sacroſancta Theologia repurgata ab erroribus, primæve integritati reſtituta fuit. Sed cum Loci Theologici variè diſperſi, & diverſis ſcriptis diverſimodè explicati eſſent, paulatim in unum aliquod corpus doctrinæ redacti ſunt: quod eſſet hypotheſis ſanorum ſermonum in Eccleſiis ac Scholis Euangelicis tradendorum. Quo referenda ſunt Scripta tum publica Eccleſiarum, tum privata Doctorum. Primi generis cenſentur primò Confeſſiones Eccleſiarum, deinde etiam earundem Catechiſmi. Confeſſiones Eccleſiarum vocantur, quibus fidei rationem expoſuerunt, & aliis ſive petentibus,

*Period. II. artic. III.*

*per Zwinglium.*

*Scripta Theologica*

*Publica.*

*Confeſſiones Eccleſiarum.*



Digitized by Google

Period. II. Artic. III. ſive calumniis præoccupatis, reddiderunt ipſæ Eccleſiæ: idque exemplo Veterum, qui Symbola univerſalia & particularia condiderunt & ſcripta reliquerunt. Ejuſmodi plures, diverſis temporibus & occaſionibus, ſcriptæ editæque ſunt, inde à novâ hâc reformatione. Prima

Bohemica. eſt Bohemica, ex prioribus repetita, & Ludovico Regi anno 1524, uti diximus, oblata: quæ & Waldenſis appellatur, quod ſummam doctrinæ Waldenſium complectitur: Eam deinde auctiorem fecerunt, & quidem anno 32. Georgio Marchioni Brandenburgico petenti, poſt nimirum 35. Ferdinando I. Regi & 64. Maximiliano II. ejus Filio

Auguſtana. exhibuerunt. Secunda eſt Auguſtana, Auguſtæ Vindelicorum publico Proteſtantium nomine ſcripta à Philippo Melanchthone, à Luthero approbata, & à quibuſdam Imperii Principibus, ac Civitatibus Carolo V. Imp. tradita 1530. Annis tamen ſequentibus ita repetita fuit, ut nonnulla vel mutarentur, vel clarius ſcriberentur, adjuncta etiam apologia, quâ adverſariorum refutationibus reſpondetur. Ter-

Argentinenſis tia eſt Argentinenſis, ſive quatuor Civitatum, Argentinæ, Conſtantiæ, Memmingæ, & Lindaviæ, harum juſſu confecta à Martino Bucero, Wolfgango Capitone, & iiſdem Comitiis Auguſtanis Cæſari

Helvetica I. exhibita. Quarta eſt Baſileenſis pro Eccleſiis Helveticis autoritate publicâ Baſileæ concinnata, operâ Henrici Bullingeri, Oſwaldi Myconii & Simonis Grynæi, ut concordiæ Wittebergenſi ſerviret, anno

Saxonica. 1536. Quinta eſt Saxonica, compoſita à Philippo Melanchthone 1551. & ab Eccleſiis Saxonicis, Brandeburgicis, & Pomeranis, nec non aliis vicinis approbata, ut ad Synodum Tridentinam mitteretur.

Würtembergica. Sexta eſt Suevica, ſive Würtembergica, adornata à Johanne Brentio, Eccleſiarum Suevicarum nomine, & in Synodo Tridentina pro-

Gallica. poſita anno 1552. Septima eſt Gallica, ſcripta ab Antonio Sadeele Pariſiis in Synodo Nationali 1559. & biennio poſt Poſſiaci Carolo

Belgica. IX. Regi à Theodoro Beza oblata. Octava Belgica pro Eccleſiis Belgicis ad Philippum II. Hiſpaniæ Regem deſtinata anno 1561. ut conſtaret quænam eſſet eorum fides, qui in Belgio tam atroces perſecu-

Anglica. tiones patiebantur. Nona Anglica, in Synodo Londinenſi autoritate Epiſcoporum & Cleri condita anno 1562, & mandatu Reginæ Eliſa-

Helvetica II. bethæ publicata. Decima Helvetica poſterior, gravibus de cauſis, & uberioris explicationis gratia, priori Baſileenſi addita decreto publi-

Scotica. co, & ab Henrico Bullingero ſcripta 1566. Undecima Scotica, à

Polonica. Scoticis Eccleſiis concepta & publicata anno 1568. Duodecima Polonica, conſenſus teſtandi cauſâ cum Confeſſione Auguſtanâ atque Helveticâ ab Eccleſiarum Senioribus conſcripta anno 1570. Decimatertia

Palatina. Palatina, à Friderico III. Electore Palatino, nomine & re

Pio

Pio, conſignata, ſed ab Eccleſia Palatina approbata. Quâ cum conjungi meretur Palatina poſterior, evulgata anno 1607. Decimaquarta Friſica ſive Embdana ab Eccleſiæ Embdanæ miniſtris ſcripta, & à totius provinciæ Friſiæ Orientalis Paſtoribus approbata anno 1594. Omnes iſtæ Confeſſiones Nationales ſunt, vel Provinciales, ſingularum ſive Nationum ſive Provinciarum, doctrinam Euangelii profitentium, quarum nomina præferunt. Duæ tamen quodammodo Generales dici merentur, Auguſtana & Helvetica; quæ non tantum à pluribus Eccleſiis exteris approbatæ ſunt, ſed etiam ut propriæ earum confeſſiones receptæ. Conſenſus verò earum inter ſe tantus & tam evidens eſt in omnibus penè doctrinæ capitibus, ut jam olim ad Harmoniam revocatæ, & ſub diſtinctis titulis propoſitæ fuerint. Confeſſiones Eccleſiarum comitantur vetere inſtituto Catecheſes, quibus capita religionis Chriſtianæ ad captum rudiorum dialogiſticè, ſive per interrogationes & reſponſiones declarantur. Hæ ipſæ quoque ſunt plures numero & diverſorum temporum. Præcipuæ tamen, Catechiſmus Lutheri uterque, Major & Minor, Catechiſmus Buceri duplex, Catechiſmus Brentii: Gallicus item, Helveticus, Palatinus, Bohemicus: Ex quibus Generales, pluribus ſimul Eccleſiis communes cenſeri poſſunt, Catechiſmus Lutheri, & Palatinus. Secundi generis ſcripta ſunt, quæ privatâ piorum & doctorum Theologorum induſtriâ elaborata ſunt, ut corpus doctrinæ Theologicæ integrum exhibeant, Eccleſiæ & Scholarum bono. Variis autem nominibus appellari ſolent: Locorum Communium, Inſtitutionis, Theologiæ ac Methodi Theologiæ, Iſagoges, Compendii, Syntagmatis & Syſtematis Theologici, Corporis doctrinæ, & aliis: quæ tamen omnia unam eandemque rem ſignificant, nempe ſummariam ac methodicam doctrinæ Theologicæ explicationem. Theologi celebriores in hoc genere ſcriptionis ſunt: Philippus Melanchthon, Johannes Calvinus, Johannes Wigandus & Matthæus Judex, Petrus Martyr, Andreas Hyperius, Wolfgangus Muſculus, Martinus Chemnicius, Jacobus Heerbrandus, Benedictus Aretius, Zacharias Urſinus, Georgius Sohnius, Matthias Hafenrefferus, Guilelmus Bucanus, Amandus Polanus, & his vel æquales, vel recentiores innumeri alii; quorum ſinguli pro donationis Chriſti menſurâ ſcripſerunt. Præ cæteris tamen tres maximè eminent, Philippus Melanchthon, Johannes Calvinus, & Zacharias Urſinus, quorum Loci Theologici maximè approbantur, & in plurium ſunt manibus. Inſuper ex Scriptis Philippi peculiare Corpus doctrinæ collectum, & ut forma conſenſus de Religione, à multis ſimul Eccleſiis eſt receptum. His tantis ſucceſſibus doctrinæ Euangelicæ

Period. II. artic. III.

Embdana.

Cathechiſmi.

Scripta privata.

Papiſmi contrariæ molitiones.

Digitized by Google

Period. II. artic. III.

gelicæ cingebantur Pontificii, eique non tam impediendæ, quam opprimendæ ac delendæ alia ex aliis conſilia coquebant & capiebant. Initio bullis, excommunicationibus, anathematiſmis, proſcriptionibus, immanibus perſecutionibus ac piorum martyrum ſuppliciis tentata res eſt. Adhibiti deinde docti doli in colloquiis, conciliationibus, ipſorum Euangelicorum à ſeipſis diſtractionibus. Hinc ad arma ventum, & excitato funeſtiſſimo in Germaniâ bello Eccleſiæ diſſipatæ, Miniſtri earum pulſi, & in exilium acti, patroni ipſi, videlicet Principes ac Magiſtratus, alii vi capti, alii in ſervitutem pene redacti; univerſis autem nova forma Religionis, titulo Interim à Cæſare Carolo V. præſcripta. Ad extremum verò ad Concilium Tridenti indictum, ſed non ſemel interruptum, veluti ad Sacram anchoram recurſum: in quo, non auditâ parte alterâ, pro libitu Papæ Romani, controverſiæ religionis, à Luthero, Zwinglio, eorumque paraſtatis motæ, prætoriâ autoritate definitæ, & novum corpus doctrinæ Antichriſtianæ per Canones & decreta formatum, ac horrendis anathematis ſancitum fuit. De quo dignum eſt obſervatu, Fidem ac religionem, quæ tunc definita fuit, ad placitum Papæ Romani, ceu ad ultimum judicium ſupremi cujuſdam legislatoris, relatam fuiſſe, abſque quo nulla decreta Synodica rata eſſe poſſint. Hæc tum forma doctrinæ, ea facies Eccleſiæ fuit. Sicut verò Satanas mox à primâ Eccleſiæ N.T. reformatione factâ per Chriſtum ejuſque Apoſtolos; itemque ſtatim ab alterâ, quæ ſub Conſtantino M. contigit, ſchiſmatum ac hæreſium zizania ſeminavit in Eccleſiâ, quibus ſciſſa ejus unitas, & ſalutaris doctrinæ integritas vitiata fuit, ſic nec tum ceſſavit idem virus ſpargere, & ipſa renaſcentis Eccleſiæ incunabula inficere. Schiſma illud intelligo, quo primi illi & anteſignani Doctores Euangelicorum, Lutherus & Zwinglius, infelici diſſidio inter ſe colliſi, & Eccleſiæ nobiliſſimæ, Saxonica & Helvetica, quas cæteræ velut matrices ſectabantur, triſti divortio fuerunt ſeparatæ, occaſione levi quidem, nunquam tamen ſatis deploranda. Cum in Pathmo latitaret Lutherus, Theologi Wittebergenſes, conſenſu Electoris, præeunte Caroloſtadio, miſſam privatam abrogarunt, idola removerunt, Euchariſtiam ſub utroque ſymbolo celebrarunt, confeſſionem auricularem, preces ad Sanctos, diſcrimina ciborum, & id genus alia ſuſtulerunt. Eam mutationem improbavit Lutherus; tanquam præpoſtero ordine factam, & non tantum authores ejus, maximè Caroloſtadium, aculeatis concionibus pupugit, verũ etiam Imagines, ceu res adiaphoras, reſtituit, & ritus Pontificios, ipſamque adeò Elevationem Papiſticam multos annos, odio Caroloſtadii retinuit. Is viciſſim, quid in Luthero deſideraret, minime diſſimulavit; illud ma-

Schiſma Sacramentarium.

Occaſio ejus.

maximè, quod de Cœnâ Domini non rectè ſentiret, ſtatuens pro Tranſſubſtantiatione Conſubſtantiationem, hoc eſt, coexiſtentiam Panis & Corporis Chriſti in, cum, & ſub pane ac vino. Pacis tamen cauſâ ſeceſſit Orlamundam, Thuringiæ oppidum, ad Eccleſiæ miniſterium legitime vocatus A. C. 1524. Sed iſtic, uti Jenæ quoque propter εἰκονομαχίαν turbæ non multo poſt ſunt coortæ; ut Lutherum juſſu Electoris eò proficiſci oportuerit. Primò Jenam venit, & concionatus eſt, præſente tum Caroloſtadio. Pro concione perſtrinxit Munzerianos fanaticos, & Sacramentarios εἰκονομάχους, Caroloſtadium oblique notans. Quâ de cauſâ Lutherum convenit in hoſpitio, cui inſigne niger urſus. Ubi poſt multos inter ipſos ſermones, Lutherus dato arrhæ loco nummo aureo, ad ſcribendum publicè contra ſe de Cœnâ Domini Caroloſtadium provocavit, & belli Sacramentarii, cujus proh dolor! ne nunc quidem finis apparet, initium facit. Id actum Jenæ 22 Auguſti anni 1524. Biduò poſt Orlamundam perrexit Lutherus; ſed à Caroloſtadio, quantumvis loci paſtore, ne ſalutari quidem voluit. Reverſus domum effecit apud Electorem, ut Thuringiâ ejiceretur. Caroloſtadius igitur Argentinam, indeque Baſileam ſe recepit, & libellos quoſdam perbreves de S. Cœnâ contra Lutherum, inſcio Oecolampadio & reliquo Miniſterio evulgat. Sententia ipſius erat: Corpus Chriſti nec eſſe, nec comedi in Cœnâ oraliter: ſed celebrari ibi corporis pro nobis fracti, & ſanguinis pro nobis fuſi memoriam. Tropicam igitur locutionem in verbis Cœnæ agnovit: tropum verò non ſatis definivit aut declaravit, nec vocabulum τοῦτο ad corpus rectè retulit, quod de pane uſurpatur. Libri illi longe lateque ſparſi ſunt. Sed ad eos Lutherus mox reſpondit, libro quem inſcripſit Contra cœleſtes prophetas ſeu fanaticos. Paulo poſt Zwinglius etiam & Oecolampadius ſuam ſententiam de Cœnâ Domini editis in lucem libris declararunt: ſic tamen ut nec cauſam Caroloſtadii ſuſciperent, quam non probabant in omnibus, nec Lutherum lædere aut oppugnare ullo modo cogitarent: ſed ut ſe ſuaſque Eccleſias à calumniis Pontificiorum vindicarent. Hoc verò quum primum intellexiſſet Lutherus, indignans quemquam reperiri, qui cum Caroloſtadio præſentiam Chriſti corporalem in Symbolis Euchariſticis negaret, eodem impetu quo prius Caroloſtadium, etiam Zwinglium & Oecolampadium adortus eſt. Dogma autem ſuum primò ex Verbis Inſtitutionis ſolùm defendit: & tum una tantum erat controverſia de S. Cœnâ. Deinde præter illa Ubique-præſentiam corporis Chriſti in ſubſidium adhibuit, & ex unione hypoſtaticâ duarum naturarum in Chriſto, & ſeſſione ejus ad

Period. II. artic. III.

Initium à Luthero.

cum Caroloſtadio.

contra Zwinglium & Oecolampadium.



Digitized by Google

Period. II. artic. III. dextram Patris corpus Chriſti non minus præſens eſſe, quam ejus divinitatem in omni loco, ligno, lapide, canthаro, gramine, ac proinde etiam in pane Cœnæ docere & contendere cœpit. Quæ altera fuit controverſia de Perſonâ Chriſti, ex priore nata, & anno 27. & 28. præcipuè agitata, poſt rurſum abrupta & omiſſa. Sed priori inſtitit acrius & pertinacius. Cui componendæ Conventus Marpurgi indictus à Landgravio Philippo anno 1529. Habito colloquio inter Lutherum & Zwinglium, Philippum & Oecolampadium, conſenſus deprehenſus, ejuſque articuli ſcripti ferè in omnibus, uno hoc excepto: Num verum corpus & verus ſanguis Chriſti pani & vino Cœnæ corporaliter inſint? Utrinque etiam ſanctè promiſſa mutuæ charitatis officia. Qui verò priores ab hâc pactione diſceſſerint, apparet ex Epiſtolâ Lutheri ad Jacobum Præpoſitum Bremenſem, multò autem evidentius ex literis ejuſdem ad Albertum Brandeburgicum & Francofurtenſem Magiſtratum, de Sacramentariis ejiciendis, ſcriptis. Anno etiam ſequente 1530. cum Auguſtæ Vindelicorum Carolo Cæſari exhibenda eſſet Fidei Confeſſio, à Philippo & Brentio ſcripta, à ſubſcriptione ejus incluſi ſunt Argentinenſes & ſocii, horumque Theologi Bucerus & Capito: tantùm quod verba articuli decimi, Corpus & Sanguinem Chriſti ſub ſpecie panis & vini verè adeſſe & diſtribui veſcentibus in Cœnâ Domini, (quæ Tranſſubſtantiationem apertè ſonant,) illi mutare omnino nollent, hi approbare per conſcientiam non poſſent. Unde peculiarem Confeſſionem, jubente Cæſare offerre coacti ſunt. Lutherus quoque anno 33. edito libro de Miſſâ privatâ, nullâ re ab Helvetiis offenſus, eos acerbè perſtrinxit. Criminationes iſtas cum ſcriptâ Apologiâ amoliri vellent, concordiæ ſtudio eam ſuppreſſerunt. Quam tum meditabatur Landgravius, Melanchthone & Bucero Caſſellas ad ſe evocatis A.C. 1535. In hoc Conventu, cum Melanchthon ex declaratione Buceri Helvetiorum de præſentiâ Chriſti in Cœnâ doctrinam rectius percepiſſet, Dialogum quoque Oecolampadii de Cœnâ, Patrum teſtimoniis refertum, legiſſet, Concordiæ ſtudia & vias amplexus eſt, & expoſtulavit cum Brentio, quod is nil niſi Sacramentarios creparet, & omnem cum Helvetiis communionem diſſuaderet. Ipſa verò Concordia inita fuit anno ſequente 1536. Wittebergæ, de uno illo capite controverſo, nempe de Cœnâ Domini; idque inter Saxonicos & ſuperioris Germaniæ Theologos. Helvetii ad eandem invitati à Bucero, primò Confeſſionem ſuam de omnibus penè religionis articulis evulgarunt, ut quæ fides ſua eſſet publicè teſtatum redderent; ac rogarunt Bucerum, ut eam ad Conventum deferre, ejuſque interpres eſſe non gravaretur. Quam quidem quoad

Concordia inita Marpurgi.

rurſum rupta.

& Wittebergæ,

(quæ Baſileenſis prior.)

cætera

Digitized by Google

cætera approbavit Lutherus, ſed de Miniſterio Verbi & Sacramentorum uberiorem declarationem poſtulavit. Eam Baſileâ ſubmiſerunt ipſæ Civitates Euangelicæ per Helvetiam, menſe Novembri anni ejuſdem. Lutherus autem reſpondit anno 37. ſequente, ac nihil in eâ ſe deſiderare, & pacem omnibus modis ſervatam cupere teſtatus eſt. Sed Concordia iſta uti ſincera non fuit, ita duravit vix integrum ab eo biennium. Lutherus enim quo animo eſſet in Helvetios non obſcurè prodidit. Anno quidem 1539. in libro de Patribus & Conciliis Zwinglium Neſtorianiſmi inſimulavit, quod Divinam Chriſti Naturam dolores in morte paſſam negaſſet. Rurſum anno 1542. libellum dedit de precibus contra Turcas, in quo cauſam invaleſcentis ipſorum tyrannidis in Zwinglianos confert. Et anno ſequente 43. peſſime accepit, quod Tigurini novam Bibliorum ſuorum Verſionem in lucem emitterent. Sed erupit tandem in apertum diſſidium. Etenim cum ex Stephano Wildio medico intellexiſſet in Miſnia ſe de Zwinglianiſmo ſuſpectum, quod Landgravii ſuaſu Elevationem Sacramenti abrogaſſet, exacerbatus ſermone contra Sacramentarios ac Tigurinos inprimis ſcribere inſtituit, & anno 44. parvam ſuam Confeſſionem edit: in quâ non modo vehementer in Zwinglianos invehitur, ſed eos etiam palam hæreticos, Sacramentorum hoſtes, & æternum damnatos appellat. Cui, diſſuadente licet Calvino & ut Luthero ſeni parceretur, petente, honoris ſui tuendi causâ, modeſtè tamen, Tigurini reſpondent, Et Lutherum tandem nimiæ ſuæ vehementiæ pœnituit, ut Melanchthoni ante mortem ipſe teſtatus fuit, quæ incidit in 18 Februarii anni 1546. Hæc eſt ſeries Controverſiæ ſuperſtite Luthero de Cœnâ Domini, & aliquando etiam de Perſonâ Chriſti. Ex eo autem per bella & motus inteſtinos Germaniæ quies fuit, ad annum uſque 1552. quo Joachimus Weſtphalus Paſtor Hamburgenſis, primus eam turbavit, edito libello, cui titulum fecit: Farrago confuſanearum ac inter ſe diſſidentium opinionum, ex Sacramentariorum libris congeſta: quem oppoſuit conſenſui nuper facto inter Helveticas & Gallicas Eccleſias, Bullingeri & Calvini operâ, in negotio Euchariſtico. Acceſſerunt deinde alii qui controverſiam intenderunt, Flacius Illyricus, Johannes Wigandus, Tilemannus Heshuſius, & præcipuè Johannes Brentius & Jacobus Andreæ Smidlinus: qui alteram illam controverſiam de Perſonâ Chriſti, inde ab anno 1529. ſepultam, veluti ab inferis revocarunt: inprimis à morte Philippi Melanchthonis, quæ incidit in 19. Aprilis 1560. Ideoque quadriennio poſt 1564. Maulprunnæ de Ubiquitate Corporis Chriſti, & de ſenſu Verborum Cœnæ inſtitutum Colloquium inter

Period. II. art. III.

iterum rupta à Luthero

Diſſidia renovata.



Digitized by Google

Period. II. art. III. & aucta. Theologos Palatinos & Würtembergicos, & de his ſcriptis adverſariis diu multumque diſputatum. Paulatim verò alia quoque doctrinæ capita alendis infelicibus diſſidiis in contentionem adducta: etſi in illis ipſe Lutherus diverſum ſenſit. Nam anno 1580. prodiit Liber Concordiæ, ubi de quatuor potiſſimum diſceptatio inſtituta, de Cœnâ; Perſonâ Chriſti, Baptiſmo, & Prædeſtinatione. Anno 1586. Colloquio Mompelgartenſi inter Theodorum Bezam & Jacobum Andreæ non ſolùm illa diſcuſſa fuſius, ſed etiam de ſtatuis ſeu idolis, de fractione panis, & baptiſmo mulierum diſceptatum fuit. Imprimis tamen caput de Prædeſtinatione, & ei annexa de Libero arbitrio, gratia, perſeverantiâ agitatum, ac magnâ ſpecie coram populo traductum eſt: maximè poſtquam Samuel Huberus ab Helvetiis ad Wittenbergenſes tranſiit. Unde magis aucta diſſenſio, quam Polycarpus Liſerus & Ægidius Hunnius in Comitiis Ratiſponenſibus A. C. 1594. in ſedecim articulis affirmarunt conſiſtere, de quibus ſibi cum Pontificiis conſenſus eſſet, ſimul profeſſi ſatius facturum qui ad Pontificios, quam qui ad Calviniſtas defeciſſet. Ex eo non jam certis locis circumſcriptæ controverſiæ, ſed per totam Theologiam diſtributæ à Conrado Schluſſelburgio, Philippo Nicolai, Luca Oſiandro, Alberto Grawero, Balthaſare Mentzero, Henrico Eckardi, & aliis; ut alia plane Theologia Calvinianorum eſſe jactaretur, quæ nihil ſanctum inviolatumque relinqueret, & nec Deum in cœlo, nec Diabolum in inferno agnoſcerent aut metuerent. Quas calumnias Deo καρδιογνώστῃ judicandas committimus & commendamus.

Hæreſes. Diximus de Schiſmate ipſorum inter ſe Euangelicorum. Reſtat ut de Hæreſibus tam Anabaptiſtarum, quam Socinianorum agamus. Qui etſi ab utriſque, Euangelicis & Pontificiis ſeceſſerunt, & ſegreges cœtus habuerunt, illis tamen præ his infeſti fuerunt, atque Euangelicorum potiſſimum doctrinam oppugnandam ſibi propoſuerunt. Cauſa duplex fuit: Una, quod etſi idololatriam Pontificiorum ipſi quoque improbant, tamen cæteris fidei dogmatis, de peccato originali, libero arbitrio, gratia ac prædeſtinatione, bonis operibus, perfectione hominis, incertitudine ſalutis, apoſtaſiâ Sanctorum, iis magis affines ſunt, quam Euangelicis; quorum hîc, juxta Lutherum & Zwinglium, conſentiens eſt profeſſio. Altera, quod Paſtores & Doctores Euangelici voce ac ſcriptis naſcentibus hiſce hæreſibus atque hæreticis ſeſe oppoſuerunt, eorumque errores detexerunt & refellerunt, Pontificiis interea aut altum ſtertentibus, aut pro ſuâ tantum hierarchiâ pugnantibus. Anabaptiſtarum, *Anabaptiſtæ* exorti ſunt in Saxoniâ & Thuringiâ A. C. 1521. autoribus Nicolao Ciconiâ ſeu Storck, &

Thomâ

Digitized by Google

Thomâ Muntzero præcipuè qui uti famoſior eſt altero ob latè ſparſa furoris ſui ſemina, & concitatum bellum Ruſticum, ita ſectæ nomen dedit, ut Munzeriani vocarentur. Hic abſque vocatione Miniſterium docendi invaſit, ſimulans enthuſiaſmos & divinas revelationes, ac ſuos hortatus eſt, ut fugientes peccata manifeſta jejuniis edomarent carnis laſciviam, vultu tetrico & barbâ intenſâ triſtitiam animi, rudi veſtitu autem ac pauciloquio humilitatem teſtarentur; quæ eſſet vera carnis mortificatio & pietatis exercitatio. His artibus cum autoritatem ſibi paraſſet inter ſuos, nova dogmata promere ac proponere cœpit: Pædobaptiſmum non eſſe divinitus inſtitutum, eoque rebaptizandos eſſe, qui in primâ infantiâ tincti: unde Catabaptiſtarum & Anabaptiſtarum nomina: Conjugium infidelium, hoc eſt, à ſectâ ſuâ alienorum eſſe fornicationem, ac Diaboli lupanar: Deum ſomniis ac viſionibus nobis patefacere ſuam voluntatem; Scripturam non eſſe verbum Dei, ſed illud quod intus inſpiretur, ac cœlitus ex ipſo Dei ore procedat: Deum noviſſimo hoc tempore novum regnum moliri, in quo deletis impiis, id eſt Principibus & Magiſtratibus, ac præcipuè Epiſcopis, ſoli juſti ſanctique regnaturi eſſent: Denique libertatem Chriſtianam eſſe quidvis ſentiendi, prophetandi, agendique licentiam. Hæc inſano furore non tantùm docebat Cygnææ & Alſteti, ſed etiam editis libris in univerſam Germaniam diſſeminabat. Ejectus Alſteto in Helvetiam proficiſcitur, quos potuit in errorum ſuorum caſſes pertrahens. Sed mox in Thuringiam reverſus Mulhuſium ſibi delegit, ubi novam Eccleſiam conderet; vel potius ſedem ſtatueret belli ruſticani: quod ipſo incentore anno 1525 exarſit, nec ipſius ſolius ſupplicio, ſed multorum millium in bello hoc cæſorum ſanguine reſtinctum eſt. Cæterum inter eos, quos in Helvetiâ corruperat, præcipui erant, Balthaſar Hubmejerus, Felix Manzius, Conradus Grebelius, Laurentius quidam, Wolfgangus Ulmianus, & alii: qui Anabaptiſmum docuerunt Tiguri, exercuerunt, & in publico colloquio contra Zwinglium defendere auſi ſunt. Idem Walshuti, Baſileæ, Schaphuſi, Bernæ, Sangalli actum. Ab Anabaptiſmo autem progreſſi longius in alios atque alios errores lapſi ſunt. Juſtitiam operum urgebant majori zelo, quam ipſi Pontificii. Exegerunt publicam omnium peccatorum confeſſionem, quantumvis gravium vel occultorum. Docuerunt ut Chriſtiani pueris ſe moribus, geſtibus, ſermonibus conformarent: alii nudi inceſſerunt. Negarunt Chriſtianos poſſe Magiſtratum gerere, aut bella ſuſcipere; improbarunt juramenta. Cum autem tumultibus omnia replerent, & multa atrocia patrarent, cum connivere Magiſtratus amplius non poſſet, edictis & pœnis hominum

Period. II. artic. III. autor Munzerus.

dogmata.

propagatio,

per Helvetiam,

Period. II. artic. III. per Moraviam.

iſtorum petulantiam compreſſit. Ex Helvetiâ igitur partim in Moraviam, partim in Rhenanas provincias ſeſe infuderunt. In Moraviâ magno ære ſedes & hoſpitia redemerunt à Baronibus & Nobilibus iſtius provinciæ. Primi Eccleſiæ Anabaptiſticæ conditores iſtic celebrantur Jacobus Hutterus & Gabriel Scheldingius: qui territi aliorum caſibus quieti ſe continebant, interim dogmata fere eadem tuebantur. Hi diſcipulos ſuos ablegarunt in provincias vicinas, Sileſiam, Poloniam, Auſtriam & Bohemiam, qui fraudibus ſuis & impoſturis maximam hominum multitudinem contraxerunt, effeceruntque ut bonis ſuis divenditis, & in manus Gabrielis Hutteriq; traditis duriſſimam in Moraviâ ſervitutem ſervierint. Quæ bonorum inter eos communionis prima origo fuit, quæ ceu in Platonicâ quadam republicâ ibidem hodieque perdurat. Sed cum inter ſe non convenirent de omnibus, in duas mox factiones diſſilierunt: quarum una Hutterianorum, altera Gabrieliſtarum, dicta fuit à primis illis doctoribus. Ad Rhenum verò paſſim ſerpebant per Civitates & ſimpliciores ſeducebant: præcipuè tamen Wormatiæ & Argentinæ. Wormatiæ in publicum prodiit Jacobus Cautius, Eccleſiæ ibidem Miniſter, anabaptiſtico veneno infectus, qui ſeptem theſibus totidem errores Anabaptiſtarum publicè propoſuit, atque inſuper proprium dogma de ſatisfactione Chriſti propugnavit, quam exemplarem ſolùm dixit, idolum ex Chriſto facere affirmans, qui aliter loquerentur aut crederent. Confutatus quidem fuit contrariis theſibus duorum Collegarum ſuorum, atque urbe etiam ejectus, virus tamen ſuum in Palatinatum, maxime in præfecturam Alzeanam, effudit A.C. 1527. Sectatores enim iſtic complures nactus eſt, qui diu ibidem manſerunt, & cum Moravicis præcipuè communionem coluerunt. Ex his fuerunt, qui anno 1571. Francothalii, præſente ipſo Electore Frederico III. Pio cum Theologis Palatinis publicè diſputarunt. Argentinæ vixit celebris Doctor Anabaptiſticus, Melchior Hofman, qui inde anno 1528. Embdam migravit, & brevi tempore illic cœtum trecentorum utriuſque ſexus collegit. Sed quadriennio poſt, monitu hominis fanatici, diſcipuli ſui, Argentinam rediit, & cum Argentinenſibus Theologis publicâ diſputatione congreſſus, & convictus, cum non deſineret viſiones jactitare, & blaſphemias eructare, in cuſtodiam datus ibidem mortuus eſt. Capita doctrinæ, Argentinæ & Embdæ traditæ, erant: Pædobaptiſmum eſſe ex Diabolo; eoque Anabaptiſmo opus: Salutem poſitam eſſe in noſtris viribus: qui ſcientes aut volentes peccarunt poſt acceptam ſemel gratiam, his nullam veniæ ſpem ſupereſſe: Sermonem Dei non aſſumſiſſe carnem ex Virgine Mariâ, ſed ipſum factum eſſe carnem.

ad Rhenum.

Quam

Digitized by Google

Quam controverſiam ipſe primus movit. Quum Embdâ diſcederet. Period. II. artic. III.
Epiſcopum loco ſuo deſignavit Johannem opificem, qui ortâ inter ſuos controverſiâ inde conceſſit Amſterodamum, Harlemum & Leidam, ſicque Anabaptiſmum in Hollandiam intulit. Sed Harlemi emerſit novus propheta Johannes Matthias, piſtor, ſubdolus, audax & ore promtus, qui novis enthuſiaſmis ſe jactitavit, nova myſteria crepans, & diſcipulos fecit: quos impoſitione manuum conſecratos novo operi, binos & binos amandavit in Weſtphaliam, Friſiam, Transiſulaniam, & Hollandiæ civitates. Ex iis fuêre, qui occupato Monaſterio Johannem à Leiden ſartorem, Regem Anabaptiſtarum renunciarunt, & multa iſtic immaniter egerunt, anno 1534. meritis pœnis coërciti: itemque qui Amſterodami & per Friſiam populares tumultus concitarunt, & ſurſum deorſumque omnia verſarunt. Alii verò horrendas blaſphemias offuderunt, & veteres Nicolaitarum & Gnoſticorum abominationes ex orco revocarunt: quorum principes David Georgius, & Henricus Nicolai, Libertiniſmi autores. Propterea cum ſecta Anabaptiſtarum malè audiret, & malè paſſim mulctaretur, Menno Simonis, unde Mennonitæ denominantur, & cum ipſo alii Doctores Anabaptiſtici, habitâ deliberatione omnia illa rejecerunt, & enthuſiaſmos quoque repudiarunt: cœtuſque ſuos ad vitam pacate agendam & ſanctitatem hortati ſunt. Errores tamen retinuerunt de Pædobaptiſmo, de Juramento, Magiſtratu, Divortio, & Incarnatione Chriſti. Hi novos Doctores ordinarunt, qui ſecundum formam à ſe probatam docerent. Sed ortis inter ipſos controverſiis de Incarnatione Chriſti, deque Excommunicatione & communione cum excommunicatis, in varias partes diſtracti ſunt, & leviſſimis occaſionibus adhuc diſtrahuntur: ut non tantum abſtineant mutuâ vitæ conſuetudine, ſed etiam rebaptizent ab unâ ad alteram tranſeuntes. Hinc diu nulla communis Confeſſio inter ipſos obtinuit, ut meritò Eccleſia ipſorum Babel, doctrina autem farrago malè ſanorum ac malè cohærentium dogmatum appelletur. In Colloquiis tamen Francothalenſi anno 1571. Embdano 1578. & Leovardienſi 1596. habitis, pleraque capita ſententiæ ipſorum in lucem protracta: & noviſſime Confeſſioni communi inſerta fuerunt; quæ primum edita anno 1617. & triennio poſt 1620 repetita fuit. De cujus tamen conſenſu & approbatione per omnes Anabaptiſtarum cœtus, nonnulli adhuc ſummo jure ambigunt.

per Belgium.

*Sociniani* à Lælio ac Fauſto Socinis, patruo ac nepote, præcipuè tamen ab iſto, nomen ſortiti ſunt, initis Neo-Arriani, Tritheitæ, Samoſateniani ac Photiniani nuncupati. Horum hæreſis ut à diverſis pro-

Socinianorum hæreſis.

Period. II. art. III. profecta eſt autoribus, ita non ſimplex eſt & unica, ſed multiplex, potiſſimùm tamen ex Samoſatenianiſmo & Pelagianiſmo ſimul conflata, eoque peſtilentior & nocentior cæteris. Certè præter inane nomen vix quicquam retinet fidei ac religionis Chriſtianæ, cum tamen proh dolor! latiſſime ſpargatur inter Chriſtianos, eiſque paſſim facillimè obrepat. Pretium igitur operæ erit, ſi de ortu ejus ac progreſſu paucis diſſeramus. Scopus ejus. Qui primi hæreſeos hujuſce Doctores memorantur, id ſibi ſtudio fuiſſe profeſſi ſunt, ut quæ deeſſent Reformationi porrò ſupplerent, & totum genus doctrinæ diſſentientibus inter ſe conciliandis prudenter accommodarent. Laudabant in Luthero & Zwinglio: quod S.Scripturas in uſum revocaſſent, minuiſſent autoritatem Papæ Romani, imagines & idola templis ejeciſſent, variaſque ſuperſtitiones à majoribus acceptas ſuſtuliſſent. Addebant verò reliquos eſſe errores nonnullos in doctrinâ, atque inprimis in palmario illo capite de Deo, nondum animadverſos à primis informatoribus, qui deinceps ſint corrigendi. Præterea & illud notabant, doctrinam Euangelicam non ſatis aptam eſſe ad concordiam ſive cum infidelibus ſanciendam, ſive inter ipſos fideles ſervandam. Mahometanos & Turcas maxime offendi dogmate illo Trinitatis: abſque quo facile acceſſuri Chriſtianis, vel ſaltem vim & arma in eos omiſſuri ſint. Ipſos verò Chriſtianos, tam variè diſſectos, nunquam reconciliatum iri, niſi contenti articulis fundamentalibus & neceſſariis, qui pauciſſimi ſint, in articulis non-fundamentalibus, cujuſmodi ſint longe plurimi adeoque omnes controverſi, alii alios tolerent. Quod articulorum Theologorum diſcrimen receptâ doctrinâ non explicatur. Talis ergò ſcopus fuit in movendâ ac ſpargendâ hæreſi. Cujus præcipui autores fuére: Autores. Michael Servetus, Valentinus Gentilis, Lelius ac Fauſtus Socini. Mich. Servetus. Michael Servetus, qui & Revetus dictus, ex Arragonibus Hiſpanus, in ſcholis Mahumetanorum & Judæorum inſtitutus, venenum Arrianum ex Africâ in Hiſpaniam ac Galliam retulit. Is ſe ſummum orbis terrarum prophetam, nondum annos natus vigintiquinque prædicavit, ac ſub ementito Villanovani nomine fidem Trinitatis impugnare inſtituit. Scripſit contra Deitatem Chriſti, & de erroribus Trinitatis, nec non de Chriſtianiſmi reſtitutione. Quibus in libris negat diſtinctionem realem perſonarum in Deo: fingit diverſos modos, quibus unus ille Deus ſe repræſentarit, & pro quibus variè denominari voluerit. Negat quoque ante incarnationem Chriſtum exſtitiſſe, niſi per ideam in mente Dei. Similes blaſphemias complures habet, tam de illo, quam de aliis doctrinæ Chriſtianæ capitibus. Ob quas captus Genevæ, cum ne in vinculis quidem reſipiſceret, vivus crematus

Digitized by Google

tus eſt A. C. 1553. Valentinus Gentilis Conſentinus, ex Italia oriundus, in contrarium lapſus errorem, pro tribus perſonis tres Deos, cum Tritheitis, commentus eſt. Patrem dixit eſſentiatorem Filii & Spiritus Sancti, qui aliam à ſuâ eſſentiam utrique communicarit; ipſos eſſentiatos: Solum Patrem eſſe αὐτόθεον, apud quem unum Deitatis monarchia reſideat; Filii autem & Spiritus S. Deitatem defluere ac decidi ab aliâ Deitate. Convictus non tantum abjecit, ſed etiam ejuravit hæreſin, ac de eâ pœnitentiam publicam Genevæ egit. Poſt ad ingenium rediit, ſcriptoque publico eam defendit, ac diſſeminavit in Helvetiâ, & Poloniâ. Tandem verò etiam capite luit Bernæ Helvetiorum A. C. 1566. Lælius Socinus Senenſis, Marii JC. filius, relictâ patriâ Genevam, & hinc Tigurum migravit. Vir ſubtili ſed Academico ingenio ad omnia in religione movenda ac novanda, & tamen ita tecto ac hypocritico, ut deprehendi non poſſet. Duo omninò contulit ad novam hæreſin formandam. Unum, quod Samoſateniſmum ſive Photinianiſmum primus ab orco revocavit in Eccleſiam, & ſociis diſſentientibus ſuggeſſit commendavitque. Alterum, quod Pelagianiſmum quoque cum eo copulavit, cujus indicia manifeſta ſunt in quæſitis ad Calvinum. Nihil edidit ſub nomine ſuo. Ipſius tamen eſt Farrago ſententiarum contra hæreticorum blaſphemorum ſupplicia, ſub Martini Bellii nomine edita. Commentarius item in 1 caput Johannis. Reliqua ipſius ex Dialogis Ochini cognoſci queunt. Fauſtus Socinus, Lælii ex fratre nepos, Senæ natus fuit A. C. 1538. cum patruo autem Genevam primò, inde Tigurum migravit. Ingenio erat excellenti, ſed Academico & Sophiſtico: eoque peridoneus abſolvendæ hæreſi, quam alter meditabatur ac parturiebat. Informatorem Baſileæ nactus eſt Sebaſtianum Caſtalionem, eâdem lue infectum: ſub cujus diſciplinâ in linguis, logicis & Theologicis haud vulgariter profecit. Diu latuit priuſquam prodiret in lucem, ac partibus ſe in Poloniâ jungeret: ut mox dicetur. Præter varii generis ſcripta, tria ſunt, quæ eſſloreſcenti ſectæ ſuæ præſtitit. I. quod diſſidentes Neo-Arrianorum opiniones ad Photinianiſmum contraxit, eumque ſolum inter ſuos ſtabilivit. II. quod corpus doctrinæ Theologicæ integrum, omnibus partibus abſolutum, concinnavit, & variis libellis publicavit. III. quod etiam certam formam gubernationis ac diſciplinæ complexus eſt, & in cœtus Socinianos introduxit. Cætera alibi exſecuti ſumus. Hæc de Hæreſiarchis. Nunc ipſius hæreſeos progreſſum audiamus. Sumto Genevæ ſupplicio de Serveto, ac Valentino quoque Gentile in cuſtodiam tradito, & ad palinodiam adacto, Georgius Blandrata Salucienſis, & Paulus Alciatus Mediolanenſis, Itali ambo,

Period. II. artic. III. Valent. Gentilis.

Lælius Socinus

Fauſtus Socinus.

Propagatio per



Digitized by Google

Period. II. artic. III. inde aufugerunt in Poloniam: partim quod eo in regno major eſſet de religione diſſentiendi libertas: partim quod Aula Polonica propenſo eſſet favore in Italos, propter Reginam Bonam, ex Italiâ oriundam: quæ nupta fuerat Sigiſmundo I. Regi Poloniæ, & ei pepererat filium Sigiſmundum Auguſtum, in regno ſucceſſorem, filias item Iſabellam & Annam, felicibus nuptiis elocatas, illam Johanni I. Hungariæ Regi ac Tranſylvaniæ Principi, unde Johannes II. natus eſt: hanc verò Stephano Bathorio Principi Tranſylvaniæ, poſt Poloniæ Regi. Venerunt

Poloniam, in Poloniam A. C. 1559. hoſpitium nacti apud Franciſcum Lyſmannum Corcyræum, qui Reginæ Bonæ quondam à concionibus fuerat: ſed exutâ cucullâ ad Orthodoxos tranſierat. Quod & hi fecerunt, diſſimulatis dogmatis hæreticis. A. C. 1560. de Mediatore mota quæſtio à Franciſco Stancaro Mantuano. Cui ita ſeſe oppoſuerunt, ſimul ut aliis, clam licet, inſtillarent: Chriſtum ſecundum naturam divinam non tantum Mediatorem, ſed etiam Patre minorem eſſe: item, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum non eſſe unum Deum; verum Patrem eſſe eſſentiatorem, Filium & Spiritum Sanctum eſſentiatos, atque adeo eſſentiâ diverſos ab ipſo. Quæ Valentini Gentilis hæreſis erat; qui ipſe quoque in Poloniam conceſſerat, Genevâ elapſus. Contrariam autem ſententiam tuebatur Bernhardus Ochinus, ob editos impuriſſimos Dialogos à Tigurinis & Baſileenſibus Helvetiâ ejectus. In cujus ſubſidium Lælius Socinus Tiguro ſubmiſit libellum pro amplectendo Samoſatenianiſmo ſive Photinianiſmo à ſe ſcriptum, & à Caſtalione expolitum. Sic in partes itum. Alciatus autem progreſſus longius Mahometiſmum ſectari & profiteri cœpit. Quæ ubi Sigiſmundo Auguſto innotuerunt, omnes hoſce regno excedere juſſit A. C. 1565. Ipſi igitur in varia dilapſi. Valentinus Gentilis per Moraviam & Auſtriam rediit in Helvetiam, Bernæ plexus anno ſequente 1566. Alciatus ad Turcas profugit. Ochinus ad Anabaptiſtas tranſiit in Moraviam, ac ibi mortuus eſt. Blandrata ſe recepit in aulam reginæ Hungariæ, ac hujus favore filii, Principis Johannis II. medicus factus eſt.

Hungariam & Tranſylvaniam, Facile fuit impoſtori inficere Principem, ac in partes abripere. Per quem id deinde effecit, ut amoto Paſtore Orthodoxo, heterodoxus ei ſurrogaretur, nomine Franciſcus Davidis: qui dogmata Samoſateni & ſequebatur ipſe, & Blandratæ quoque perſuaſit. Dici non poteſt, quam brevi tempore Tranſylvaniam pervaſerit nova hæreſis, & inde in Hungariam quoque infuderit: quinimò etiam tranſierit in

Germaniam, Germaniam; idque per clandeſtina literarum commercia, quæ Blandratæ cum multis viris doctis erant. In Palatinatu anno 69. & 70. detecta quorundam conſpiratio, ac pro merito vindicata. Eodemque

tem-

tempore Maximilianus II. Imperator Comitiis Spirenſibus gràvem de aliis nonnullis adhuc latentibus querimoniam inſtituit. Cæterum in Poloniâ animum reſumſit, ac latius licentioſiuſque graſſata eſt, poſtquam Stephanus Bathorius Tranſylvanus per legatos, & hunc quoque Blandratam, regnum Poloniæ ambivit, atque impetravit A. C. 1576. Tum etiam ipſe Fauſtus Socinus, qui euſque ſubſtiterat Baſileæ, ac anno 70 ſcriptum anonymum de autoritate Scripturæ, tanquam Iſagogen in totam Samoſatenianorum Theologiam publicarat, de migratione in Poloniam cogitare cœpit, ac paulatim ſe aperire publicè. Quippe anno 77. & 78. diſſertationem de Chriſto Servatore cum Jacobo Coveto ſcripto inſtituit. Annis ſequentibus in Poloniâ partim Cracoviæ in urbe regiâ, partim ruri degens, editis variis libellis tum illa ipſa tum alia dogmata defendit ac vulgavit. Ex eo Rakoviæ fixit Eccleſiæ ſuæ ſedem, ſub Nobilibus: ubi doctrinæ corpus conſtitutum, Diſciplina ſevera ſancita, Scripta varia procuſa fuerunt: quibus Eccleſiæ Anti-Trinitariorum per Poloniam, Tranſylvaniam & Hungariam conjunctæ confirmatæque ſunt, uno duntaxat dogmate de adoratione Chriſti inter ſe diſcrepantes: Quod anno 1584 in Tranſylvania à Franciſco Davidis motum fuit. Ut verò longius diſſeminarent doctrinam ſuam, emiſſarii ſæpius ablegati in Germaniam, Belgium, Angliam, & Galliam: qui libros ſpargerent, atque ad ſententiam ſuam amplectandam alios ſollicitarent. Quod in Belgio factum anno 1594. à Chriſtophoro Oſtorodo & Andreâ Vaydovio. Iſtiuſmodi verò ſcripta, etiam vernaculâ linguâ, ab incautis lecta, tum Anabaptiſtas, tum Novatores quoque adſtipulatores repererunt, vel ſaltem minus ab ipſorum dogmatibus alienos reddiderunt. Et hæc de hæreſibus hujus articuli hactenus.

Period. II. art. III.

Poloniam rurſum.

Belgium.



Digitized by Google

# LOCUS SECUNDUS
## De
# VERBO DEI,
## *SIVE DE*
# SACRA SCRIPTURA.

DOCTRINA Religionis, quam Theologiam appellamus, eſt res perdifficilis, abſtruſa, & niſi Deo revelante imperveſtigabilis. In eo quippe ſita eſt tota, ut Deum rectè agnoſcamus, riteque colamus. Sed agnitionem veri Dei nec perſpicacia ſenſuum, nec rationis acumine aſſequimur: qui lucem habitat inacceſſam, quem nemo vidit unquam nec videre poteſt, 1 Tim. 6. v. 16. Ut meritò exclamet Ariſtoteles oculatiſſimus rerum naturalium indagator: Intellectum mentis noſtræ ad cœleſtia ac divina ſe habere, quemadmodum veſpertilionum oculi ad lumen diei: lib. 2. Metaph. c. 2. Cultus verò ille demum genuinus eſt ac legitimus, qui conformis eſt ſanctæ naturæ & juſtæ voluntati ipſius; quóque ipſum gaudere ac delectari conſtat. Animadvertit hoc Socrates, omnium mortalium olim habitus ſapientiſſimus, qui referente Auguſtino, dicere ſolitus eſt: Unumquemque Deum ſic coli oportere, quomodo ſe ipſe colendum eſſe præceperit. Cui ſubjungit Auguſtinus, alio modo Deum colentes, quam quomodo ſe colendum ipſe dixerit, non utique illum colere, ſed proprii cordis figmentum duntaxat. Quod certius multò Vocis divinæ autoritas paſſim in V. & N. T. comprobat. Quare ad Deum rectè cognoſcendum riteque colendum divinâ revelatione, certoque Dei Verbo opus eſt: quo ſe nobis patefaciat, naturam, voluntatem & opera ſua nobis declaret: quodque Verbum, tanquam unicam fidei cultuſque normam, nos preſsè & examuſſim ſequamur, ne incerto curſu vagantes, in exitialium errorum ſcopulos impingamus. Hujuſmodi Verbum nullo unquam tempore, nullâ hominum ætate paſſus eſt deeſſe Eccleſiæ ſuæ: licet nec eodem ſemper modo fuerit pro-

Digitized by Google

propoſitum, nec æquali aut revelationis menſurâ, aut evidentiæ luce diſpenſatum. Period. I. V.T.art. I.

*Primâ Eccleſiæ Veteris Periodo, Primoque* periodi hujus *Articulo*, à Creatione ad Diluvium, Deus ſolâ vivâ voce partim ſuâ, partim Patriarcharum, in tradendo Verbo ſuo, ac promulgandâ & conſervandâ Religionis doctrinâ uſus eſt. Ipſe quidem legitur allocutus primos noſtros Parentes in Paradiſo, ante & poſt lapſum, Gen. 2. & 3. capp. Cainum quoque ipſemet dehortatus eſt à fratricidio, eoque patrato ejus pœnam denunciavit, cap. 4. Noviſſime affatus eſt Noachum 120 annis ante, & iterum ſub ipſum diluvium, ejus cauſas aperiens, ſimulque omnibus reſipiſcentiam, Noacho verò quæ ad conſervationem ipſius pertinerent, imperans, Geneſ. 6. & 7. capp. Patriarchæ ante diluvium decem numerantur, Adam, Seth, Enos, Kainan, Mahaleel, Jered, Henoch, Methuſalem, Lemech, & Noah, Geneſ. 5. Hi non tantum familiarum ſuarum capita, ſed etiam Eccleſiæ ex iis collectæ Doctores fuerunt, & Verbum Dei, ab ipſo acceptum, vivâ voce prædicarunt. Et licet naturâ peccatores, gratiâ verò Dei ex parte ſolum regeniti eſſent, tamen in miniſterio docendi ſic extra ordinem gubernati ſunt, & afflati Spiritu Dei Sancto, ut errare in doctrinâ Religionis nequaquam potuerint. Certè Adamum, Henochum, Lemechum, & Noachum, præconem illum juſtitiæ 2 Pet. 2. v. 5. Prophetas fuiſſe ex hiſtoriâ clarum eſt. Gen. 2. & 5. capp. De cæteris quoque res obſcura non eſt, aut difficilis probatu. Denique iidem Patriarchæ ſingulari Dei benignitate in aliquot ſecula vitam produxerunt, non tam ad generis ſui propagationem, quam ut eſſent lumina & columina Eccleſiæ, & vivæ Dei bibliothecæ: & acceptam à Deo doctrinam pluribus impertirent, & à mundi corruptelis vindicarent. Memorabile eſt quod Semus anno 98 ante diluvium genitus, non tantum Noachi Patris, & avi Lemechi, ſed etiam proavi ſui Methuſalem, qui pluſquam 340 annos ipſum Adamum audiverat, ſupra 80 aut 90 annos diſcipulus fuit: qui poſtea doctrinam cœleſtem propagavit ad tempora uſque Jacobi, & annum ætatis ejus 50. Ut licet inter Adamum & Jacobum ſint generationes viginti & una, tamen Jacobus dici poſſit quartus ab Adamo. Sic ergò vivâ voce, ſive ſolâ traditione quaſi de manu in manum tranſmittebatur doctrina Religionis, abſque omni ſubſidio & adminiculo ſcriptionis. Autor eſt Joſephus lib. 1. Antiq. cap. 3. circa finem, Sethum ejuſque filios, memores duplicis mundi interitus per diluvium aquarum, & per incendium ignis, columnas duas, lateritiam & lapideam ſive marmoream, excitaſſe, quibus motuum cœleſtium doctrinam, & alia artium inventa inſcripſerint: ut ſi

Periodus V.T. prima, Artic. I. Verbum Dei promulgatum à Deo ipſo, à Patriarchis.

ſine Scriptura.



Digitized by Google

Period. I. artic. I. lateritia columna imbribus deleretur, lapidea rerum conſcriptarum memoriam conſervaret, & poſteris traderet: quam ſuo adhuc tempore in Syria exſtitiſſe ait Joſephus. Rei Fides penes autorem eſto. Moſes id totum præterit. Artium verò ac multarum rerum inventionem Cajinitis, hujus ſeculi filiis, adſcribit Gen. 4. Alii volunt librum illum, qui Henochi nomine inſcribitur, circa hæc tempora ab ipſomet fuiſſe ſcriptum. Sed dubio procul apocryphus eſt, utpote plenus fabularum, atteſtante etiam Auguſtino lib. 15. de C. D. cap. 21. Quanquam autem Auguſtinus non diffitetur, Henochum divina nonnulla ſcripſiſſe, ratio tamen, quâ movetur, nimis eſt diluta, nempe quia Judas Apoſtolus prophetiæ ejus, quæ jam non exſtat, meminit v. 14, 15. Atque Judas non dicit ſcripſiſſe Henochum, ſed prædixiſſe ea, quæ Apoſtolus ibi citat. Prædictio autem iſta traditione fuit propagata, haud ſecus quam alia Dei oracula, in Sacras literas deinceps relata. Ergò Verbum Dei ſolâ tam ipſius quam Patriarcharum voce tum ſonabat ac docebatur in Eccleſiâ: quod etiam Cain hypocrita à parente Adamo accepit. Poſtquam verò à facie Dei, ejuſdem ſententiâ, excluſus fuit, etiam à puritate Verbi divini cum cœtu ſuo diſceſſit; & tunc veram doctrinam depravavit, tum falſas opiniones ei aſſuit ex ſuggeſtione Satanæ; qui idem parentes ipſius initio impulerat ad apoſtaſiam à Deo. Ex quo duplex fuit Theologiæ Cajinitarum principium, Traditio divina humanitus corrupta, & Revelatio Satanica cum eâ copulata. Unde quæ dogmata fidei ac cultus exſtructa ſunt, & ceu peſtilentes fructus à venenatâ radice germinaverint, ſequentium locorum hiſtoria docebit. Sed etiam Filii Dei, pii Sethi propago, poſtquam connubiorum ſocietate Cajinitis, qui Filii hominum appellantur, ſeſe miſcuerunt, in doctrinâ pariter & cultu à traditione cœleſti deflexerunt, ſuaſque vias immane quantum corruperunt. In quo exemplaris fuit depravatio Verbi Dei, & defectio ab eo: quod Gen. 6. cap. non uno loco confirmatur. Nam ex eo quod v. 3. Deus dicit, Spiritum ſuum non diſceptaturum cum hominibus in ſeculum, ſatis apertum eſt, Verbum & miniſterium ejus per hominum contumaciam inefficax fuiſſe ad convictionem. Porrò v. 5. teſtatur auctam malitiam, & omne figmentum cogitationum cordis humani tantummodo malum fuiſſe omni tempore, ſignificat magis ſeſe obfirmaſſe homines contra Verbum Dei, ſubjici illi atque ab eo regi nolentes, ac ſibi figmentis ſuis blandientes. Denique v. 11, 12. dicitur corruptam fuiſſe terram coram Deo, & impletam violentiâ, quia omnis caro viam ſuam ſuper terram corruperat: abjecto omni metu Dei, verbique ejus reverentiâ ruentibus univerſis in quævis

Liber Henochi apocryphus.

Apoſtaſia à Verbo Dei Caini,

poſterorum Sethi.

Digitized by Google

vis flagitia ac ſcelera. Fuitque hæc apoſtaſia non ſolum à Lege ejuſque normâ, verum etiam ab Euangelio; quod primo quoque mundo prædicatum fuit, teſte Petro 1 Epiſt. 4. v. 6. Spiritu Chriſti per Noachum homines invitante ad reſipiſcentiam cap. 3. v. 19. 20. (qui hinc Præco juſtitiæ appellatur 2 Petr. 2. v. 5. tum legalis, tum Euangelicæ inprimis, quæ ſola valet apud Deum:) Sed per inobedientiam hominum repudiatum eſt: quam tandem poſt centum & viginti annorum tolerantiam immiſſo univerſali diluvio ſeveriſſimè Deus vindicavit. Period. I. artic. I.

Mox à Diluvio *Secundo* primæ Periodi *articulo*, etſi ſuperſtes eſſet Noach, qui patefactiones divinitus ante factas, & à Patribus traditas fideliter conſervarat, & ſuis tradebat, viſum tamen Deo novâ revelatione Verbum ſuum repetere, novâ acceſſione amplificatum, & ad ejus obedientiam paucos illos, tanquam novi mundi propagatores arctius obſtringere. Ita nobis deſcribitur Gen. 8. & 9. capp. Erat Verbum hoc omnibus filiis Noachi commune: tamen cuſtodia ejus, tanquam ſacri depoſiti in orbis Gentiumque diviſione, anno poſt diluvium 102 inſtitutâ, Semo peculiariter fuit concredita, ex quo Meſſias naſciturus, & in cujus poſteritate ſucceſſio Eccleſiæ continuanda erat Unde Deus Semi vocatur à Noacho, in ejus familiâ tentorium Eccleſiæ quaſi figitur, & hujus genealogia continuâ ſerie deſcribitur. Negari enim non poteſt, diutius & purius conſervatum fuiſſe inter filios ac nepotes ipſius, quam inter Japheti ac Chami poſteros; qui ſeparati à Noacho & Semo, & in ſuas ſedes locorum intervallis longius diſſitas profecti, Verbi divini lucem paulatim amiſerunt: ut poſt dicetur. Sed tamen ne quidem inter ipſos Semi poſteros, etiam eos qui Chriſti majores erant, diu expers labis & corruptelæ fuit. Etenim Tharah, pater ipſius Abrahami, Ure Chaldæorum degens cum ſuis, circa annum 250 à diluvio, jam à Verbo illo diſceſſerat, & cultui idolorum ſe addixerat: teſte Joſuâ cap. 24. v. 2. Non ajo in totum abjeciſſe traditionem veræ doctrinæ, ſed admixto fermento humano eam corrupiſſe & adulteraſſe. Ut Verbum Dei non amplius integrum traderetur in Eccleſiâ. Artic. II. Verbum Dei conſervatum in Semi familiâ. Depravatum.

Quare viſum Deo pro curâ illâ, quâ Eccleſiam ſuam complectitur, *Tertio* hujus Periodi *articulo*, Verbum ſuum novâ patefactione reſtaurare, & à corruptelis repurgare. Ideò ex turbâ idololatrarum, qui in hoc cœno demerſi hæſerunt, evocavit Abrahamum, ac Ure Chaldæorum Charanem Meſopotamiæ, & hinc porrò in Cananæam traduxit, ut Verbum ſuum ei committeret. Hinc non tantùm familiarius, ſed etiam diverſimodè ſive variis modis ſeſe revelavit; jam immediatè voce ſuâ ipſum allocutus, aſſumtâ etiam quandoque ſpecie humanâ: modo mediatè per Angelos, per viſiones item & ſomnia voluntatem ſuam Artic. III. Verbi conſervatio per Abrahamum,

Period. I. art. III. ſuam teſtatus eſt. Conſtituit etiam Abrahamum Prophetam, qui Verbum divinitus acceptum aliis quoque promulgaret, Gen. 20. cap. Sicut paſſim ſtruxit altaria ad invocandum & prædicandum nomen Dei. Sequentibus etiam temporibus immediate cum Iſaaco & Jacobo locutus, idem Verbum ipſis tradidit, & variis apparitionibus confirmavit. Jacob verò moriturus depoſitum hoc Verbi divini, Filiis ſuis, qui XII Patriarchæ uſitatè appellantur, tanquam teſtamento relictum diligenter, quaſi per manus poſteris tradendum, & conſervandum commendavit. Et quamdiu XII hi Patriarchæ ſuperſtites fuerunt, traditionem illam ſanæ doctrinæ incorruptam ſervatam fuiſſe, veriſimile eſt, maxime propter Joſephum, cui Verbum Dei & ipſi per ſomnia & viſiones patefactum. A cujus morte uſque ad exitum ex Ægypti 140 circiter anni interſunt. Quam certò autem ac fideliter intra tam breve temporis ſpatium puritas Verbi per traditionem conſervata fuerit, teſtatur Deus apud Ezechielem cap. 20. v. 7, 8. cum inquit, à morte filiorum Jacobi univerſum populum à Verbo Dei ad commenta & idola Ægyptiorum deflexiſſe. Et ita quidem in poſteris Abrahami & Eccleſiâ Iſraëliticâ evenit.

*Iſaacum & Jacobum.*

*XII Patriarchas.*

*depravatio in Ægypto.*

*Gentes Verbum Dei retinuerunt aliquandiu,*

In aliis Gentilibus, poſteris Japheti, Chami, & Semi quoque, longius à Verbo Dei ipſis tradito diſceſſum fuit: præſertim cum nulla fieret ipſis nova patefactio, prout ex hiſtoriâ Geneſeos non obſcurè colligitur. Sanè inter Chananæos Melchizedek Rex Salemi, idemque Sacerdos Altiſſimi, ætate Abrahami Verbum Dei retinebat, ac ſuos docebat incorruptum. Sic in Arabibus Jobus ætate Jacobi, aut ſaltem filiorum ejus floruit, qui à Verbo vivâ voce ſibi tradito non deſcivit: ſicut & amici ipſius ei adhæſerunt, qui viſiones ſuas & ſomnia, quibus ſe Deus ipſis revelaret, paſſim prædicant. At in Meſopotamiâ, in familiâ Nachoris, cujus caput poſtea fuit Laban Jacobi ſocer, ex inſtituto majorum corruptelas Verbi retinuerunt, cum Verbo à Semo tradito conjungentes ſuperſtitioſa Serugi, aut alius ex Majoribus commenta. Ex quibus fuiſſe videtur Bileam, à Balako Moabitarum Rege ad maledicendum Iſraëli adſcitus, Num. 22, 23, 24. capp. Apud Ægyptios Rex Pharao, apud Philiſtæos autem Rex Abimelech, ambo σύγχρονοι Abrahamo Gen. 12. & 20. capp. aliquam Verbi divini lucem ſervarunt reliquam. Sed aliæ Gentes, atque etiam hæ ipſæ, à primis conditoribus ſuis longius avulſæ, & in varias orbis regiones diſperſæ, doctrinam Verbi divini ex illorum ore hauſtam partim humanâ ſocordiâ & torpore effluere, partim Satanico aſtu & vafritie ſibi excuti paſſi ſunt. Nova autem commenta nimis cupidè ſuſceperunt, nimiſque ſtudioſè excoluerunt. Et hæc quidem alibi citius, alibi ſerius effloruerunt, prout

*Corruperunt.*

hoſtis

Digitized by Google

hoſtis Verbi divini; ac pater mendacii Satanas plus minuſve ſequaces Period. I. artic. III.
vel adverſantes nactus eſt adminiſtros in ſingulis Gentibus: donec tandem oppreſsâ Verbi luce, ac ſalutaribus Patrum de Deo monitis & traditionibus corruptis, ſuperſtitiones ac errores craſſiſſimi toto penè orbe obtinuerunt. Notandum autem duas præcipuè eſſe artes, quibus Satanas lucem Verbi in Gentibus obtenebravit primò, deinde Cauſa corruptionis.
verò exſtinxit. Una eſt, Verbi divini, vivâ voce traditi, ac Sacramentorum ei additorum contraria depravatio, aut in uſum à Deo prohibitum converſio. Altera eſt inſidioſa κακοζηλία & fucoſa imitatio revelationum actionumque divinarum; quibus Verbum ſuum pro divino hominibus propoſuit & obtruſit. Iis autem reſpondent totidem principia Theologiæ Gentilis, ſive Rudioris illius, quam Gentes etiam Barbaræ profeſſæ ſunt, ſive Cultioris, quam primo Chaldæi & Ægyptii, poſt etiam Græci & Romani tradiderunt. Et ſunt Traditio Majorum, longâ conſuetudine roborata; & novi Verbi, à Patre mendacii Satanâ profecti, revelatio. Obſcuratâ & exſtinctâ Verbi luce man- Reliquiæ inter gentes Traditionis veræ.
ſit nihilominus in omnibus Gentibus memoria quædam hiſtoriarum, dogmatum, ac rituum à Patribus traditorum, & traditione conſervatorum, fabulis licet miſerandum in modum involuta, & ab ortu, uſu, ac ſcopo ſuo detorta. Etenim hiſtorica de mundi Creatione, de hominis lapſu, patrum longævitate, inventione artium, etiam æris & ferri per Tubalcain, unde Vulcanum fabricarunt: de diluvio; de Japheto & Chamo, hujuſque maledictione, quod pudenda Patris traduxiſſet; confuſione linguarum in exſtructione turris Babylonicæ; conflagratione Sodomæ & urbium vicinarum, hæc, inquam, aliaque etiam Gentibus per traditionem nota fuerunt. Multa quoque dogmata, præcipuè quæ ad Legem pertinent, à Patribus accepta retinuerunt. Sacrificiorum autem genera quædam rituſque communes, cum inde à primâ diſperſione per tot ſecula in omnibus Gentibus permanſerint, haud aliunde quam ex traditione & diſciplinâ Patrum derivari queunt. Ut evidentia ſint in omnibus iſtis avitæ, ſimul verò corruptiſſimæ, Traditionis veſtigia. Præter eam autem acceſſit Revelatio Verbi Sata- Diabolicum verbum.
nici, quod purum putum eſt mendacium, hominibus magis excœcandis & obfirmandis ſuperinducti. Quemadmodum enim Deus variis modis immediatè ac mediatè Verbum ſuum patefecit ac promulgavit Patribus, & hi memoriam apparitionum divinarum ſtructis altaribus conſervarunt: ita Diabolus modo ipſe vivâ voce reſponſa ſive oracula evomuit, modo per vates ſuos, tartareo afflatu correptos atque concitatos vaticinia eructavit, & publicè decantavit. Et oracula quod Oracul.
attinet, valde probabilis eſt eorum ſententia, qui ipſas Sanctorum

K Patrum

Period. I. artic. III.

Patrum ſedes, eaque loca, in quibus piorum cœtus coire ſolebant, cœleſtis doctrinæ audiendæ cauſâ, in fœdiſſima mendaciorum luſtra à Diabolo fuiſſe converſa. Omnium Oraculorum antiquiſſima fuerunt

Jovis Ammonis.

hæc duo: Jovis Ammonis in Africâ, & Dodonæum in Epiro. Prius Græci dictum volunt ab ἄμμος, quod arenam ſignificat, quia locus ſit arenoſus & exſuccus. Sed rectius alii derivant à Cham, filio maledicto Noachi, quod nomen Hebraice æſtum notat. Diodorus Siculus lib 1. Ammonem dicit fuiſſe Patrem Oſiris, qui à Mizraim, Miſri, Meſori, & hinc Oſiris appellatus eſt per aphæreſin. Duo autem de ipſo commemorat, quæ hujus loci ſunt. Unum; quod pudendo virili divinitatem adſcripſerit. Damnatus fuit Cham, quod pudenda Patris Noachi infami digito oſtentaſſet. Id ne deridendi animo feciſſe videretur, & Patri, & ſibi, & filio, & cuivis genitali membro divinitatis opinionem affinxit. Pudendum appellavit τὸ φάλλον, hoc eſt, θαυμαστόν τι χρῆμα, admirandum aliquid. Alterum; quod de ſuo nomine urbem Chemmi condidit, (unde Ægyptus univerſa quoque Terra Chami nuncupata eſt) ſicut ante Nyſam in Arabiâ, ubi Mizraim ſive Oſiris natus eſt. Eâ relictâ navi in Ægyptum trajecit, quæ Hebræis dicitur תֵּבָה Theba, arca; unde Urbs Thebarum Ægyptiarum denominata eſt. Cham igitur cum filio Mizraim migravit in Ægyptum & religionem conſtituit: atque eo loco conventus ſuorum coëgit, cultus publici cauſâ. Hic poſtea, cum diris maledictionis urgeretur poſteritas ipſius, Diabolus ſedem ſtatuit oraculi ſeu revelationum novarum, propter religionem loci & antiquitatem: quæ duo conciliant venerationem apud poſteros. Alterum eſt Oraculum Dodo-

Dodonæum.

næum in Epiro, à nymphâ Dodonâ, ut fabulantur Græci. Revera autem à Dodanim Japheti filio, nepote Noachi. Exſtat apud Herodotum narratio, geminas Thebis Ægyptiis columbas nigras evolaſſe, quarum altera Dodonam delata, iſtic loci oraculum Jovis condi debere humanâ voce ſit elocuta. Quæ fabula procul dubio derivata eſt à columbis duabus, quas Noach ex Thebâ, hoc eſt arcâ emiſit, ut exploraret, num terra poſt diluvium ſiccata eſſet. Dodanim verò cum ibi conſediſſet, & religionem conſtituiſſet, deque hoc beneficio ſiccatæ poſt diluvium terræ ſæpius diſſeruiſſet, tandem evaneſcente atque amiſsâ veritate Satanas loco illo ad ſuum oraculum abuſus eſt. His duabus

Pythium ſeu Delphicum.

ſedibus conſtitutis, acceſſerunt alia plura: inprimis celebre Pythium apud Delphos. De cujus origine non eſt quod ſtemus fabulis Pauſaniæ, quod ex voragine exhalans ſpiritus capram inſpectantem miris agitaſſet geſtibus, paſtorem ſimiliter interſpicientem corripuiſſet, & vaticinia fundere feciſſet: cui voragini poſtea templum impoſitum

fuerit.

Digitized by Google

fuerit. Apud Stephanum in monte Parnaſſo ſedes oraculi figitur, ubi linter Deucalionis poſt diluvium conſederit, unde Larnas, & mutato uno elemento Parnas dictus ſit. Fuit igitur locus publicæ inſtitutionis poſt diluvium Noachi. Alii appellatum malunt Parnaſſum ab הַר mons, & נָחַשׁ augurium, quaſi Montem fatidicum, ubi Diabolus per ſuos Sacerdotes reſponſa dare ſolitus fuit. Hæc de Oraculis. Succedunt Vaticinia, per Vates tanquam Prophetas Diaboli edita ad impietatem ac ſuperſtitionem ſpecie religionis commendandam ac ſtabiliendam. Quod genus *μαντικῆς* nomine à Platone, ab aliis Græcis *θεομαντείας* voce ſignificatur. Porrò ipſi Vates à ſexu generaliſſime diſtinguuntur. Quia inde à primo ortu Gentiliſmi, alii Mares, alii Fœminæ fuerunt, qui Satanicas revelationes, ceu Verbum ipſius enunciarunt. Primi ordinis antiquiſſimi cenſentur Magi, Chaldæi quoque & Sapientes appellati, Geneſ. 41. v. 8. Exod. 7. v. 14, 15, 25. cap. 8. verſ. 7, 18, 19. Daniel. 2. v. 2. & ſeqq. cap. 4. v. 4. cap. 5. v. 7, 11. Magorum nomen Euſtathius, autor item Etymologici, aliique putant eſſe græcæ originis, à verbo *μάττω* vel *μάσσω ſubigo, pinſo*; unde *μαγεὺς piſtor, & μαγὶς menſa in qua pinſitur*, deſcendunt. Sed falluntur proculdubio. Nam dictio illa Homero & aliis antiquis ſcriptoribus eſt incognita. A Platone autem, Xenophonte, Strabone, Plinio uſurpatur ut vocabulum Perſicum, Hebrææ tamen originis, à גוש *ramentum*, & גָּשׁ Syris *ſcrutari*, unde eſt מְגוּשׁ *magus* derivatum. *Magi*, propriè ſic dicti, erant Sacerdotes Perſarum, quorum ſacra curabant, & apud quos ſapientiam profitebantur: Herodoto ac Strabone teſtibus. Cum verò iidem ad occultas & damnabiles ſcientias ſtudia ſua converterent, jam in malam partem accipi & infame eſſe cœpit: quo ſenſu hîc ſumitur. *Chaldæi* quoque vocantur, quia à Chaldæis, tanquam Magiæ inventoribus, artium magicarum diſciplina profecta eſt. Unde Cicero Divinationem Chaldæorum propriam facit, in libris de Divinationibus. *Sapientes* denique dicuntur, quia relictâ verâ Sapientiâ, in iis ſummam omnis ſapientiæ collocarunt, ac eâ ſe præcipuè jactitarunt. Origo ita habet. Chaldæi neglectâ doctrinâ religionis, quam à Patribus acceperant, totos ſe tradiderunt contemplationi corporum cœleſtium, inprimis Solis, Lunæ, & Siderum: eorum motus, influxus, atque effectiones in hiſce inferioribus perveſtigarunt, atque obſervarunt, ex obſervationibus autem hiſce non tantum conjecerunt de futuris, ſed etiam ea prænunciarunt. In quo cum ſubinde deficerent, adhibito Diaboli magiſterio plenius edocti, jam occultarum ſcientiarum notitiam, artemque vaticinandi de futuris pariter & obſcu-

Period. I. artic. III.

Vaticinia reddita per

mares.

Magos

Magiæ origo.

Period. I. Artic. III. obſcuris rebus quibuſcumque ſibi arrogarunt. Dimanavit ea etiam illâ ætate ad alios populos, Ægyptios præcipuè & Perſas, diſciplinarum magicarum profeſſione celeberrimos. Quas novis inventis, ex arcanis tamen Chaldæorum auxit Zoroaſtres Bactrianus, Magiæ autor habitus; ac poſt hanc Hyſtaſpes, Pater Darii Perſarum regis, uti refert Ammianus Marcellinus lib. 23. Cujus filius Xerxes in expeditione contra Græcos ſecum duxit Oſtanem, Magiæ Perſicæ magiſtrum, qui ſemina ejus, quâcunque commearet, latè diſperſit: Græci verò tam cupidè eam ſuſceperunt, tam ſtudioſe excoluerunt, ut Democritus & alii, atque inter eos ipſe Plato, Magiam, tanquam incorruptiſſimum Deorum cultum celebrarent, & integris voluminibus explicarent. Cæterum duplici ſpecie eam diſpeſcuêre, ut alia *μαντικὴ*, alia *πρακτικὴ* diceretur. Et hæc quidem in actione ſive in operatione conſiſtit, quâ præſtant, vel præſtare videntur, quod petitur. Huc pertinent Incantationes, præſtigiæ, faſcini, & aliæ artes magicæ, alibi nobis memorandæ. Illa verò, nempe *μαντικὴ*, hujus loci propria eſt, quæ de quæſitis reſpondet, ſive liquidò diſerteque, ſive per involucra, prædicit futura, interpretatur obſcura, & ſomniorum, oſtentorum, prodigiorumque omina revelat. Modi ejus varii fuerunt, ſed quatuor principales, omnibus penè ſeculis à diluvio in omnibus Gentibus uſurpati: divinatio, aſtrologia judiciaria, auſpicium ſive augurium, & haruſpicium, quæ aruſpicina dici ſolet. Divinationem exercebant, qui divini ſive vates dicebantur, & ex afflatu & revelatione Diaboli futura prænunciabant, non tantùm falſò & captioſè, ſed etiam verè: ut cæteris omnibus reſponſis fides haberetur. Aſtrologia judiciaria erat planetariorum & mathematicorum propria, qui ex aſtris, conſtellationibus, motu corporum cœleſtium, aliiſque rationibus ſuperſtitioſis caſus proſperos & adverſos prædicebant, atque ad commentorum ſuorum obſervationes homines adigebant. Auſpicium ſive augurium dicebatur, quum ex avium volatu, garritu, & paſtu pronuntiabant de futuris aut ignotis, eoque facienda vel omittenda definiebant. Haruſpicium ſive aruſpicina erat, quando ex harugis, hoc eſt, hoſtiis inſpectis, Deos propitios vel adverſos ſignificabant, & exinde de eventis pronunciabant. Dicebatur autem olim hoſtia haruga, ab harâ, in quâ ad mactationem uſque cuſtodiebatur. Secundi ordinis Vates erant Fœminæ quædam fatidicæ: quas prædictionibus ſuis enunciandis vel decantandis elegit Satanas, non tantùm præpoſterâ Dei imitatione, qui Propheticiſſas nonnunquam excitavit in Eccleſiâ Iſraëliticâ, etſi rariores Mariam, Deboram, Huldam: ſed etiam, quia ſexus ille imbecillior eſt naturâ ſimpliciorque ad proſpiciendas & præcavendas ejus inſi-

Margin notes: Species ejus. — Divinatio. — Aſtrologia judiciaria. — Auſpicium. — Haruſpicium. — per fœminas.

Digitized by Google

inſidias, tum etiam permovendis ac perſuadendis aliis accommodatior: quod vel primæ mulieris Evæ lapſu compertum habebat. Communi nomine *Pythoniſſæ* vocari ſolent, ἀπὸ τοῦ πυνθάνεσθαι à ſciſcitando, quod de futuris & ignotis conſulebantur. Quarum in ſacris quoque mentio exſtat 1 Sam. 28. Act. 16. Sed præ cæteris eminebant ac celebrabantur *Sibyllæ*. non à Kabalâ Hebræorum interpolatione quâdam literarum denominatæ; verum ſic dictæ nomine compoſito ex duobus græcis, βιὸς pro διὸς dialecto Æolicâ, & βουλὴ *conſilium*, quod Dei conſilium enunciet mortalibus, ut eſt apud Varronem de rebus divinis, Lactantium lib. 1. Inſtitutionum divinarum, & Servium in III Æneidos. Suidas Propheteſſas interpretatur. Officium earum erat, tradere doctrinam religionis, & de futuris afflatu divino reſpondere: utrumque non proſâ, ſed ligatâ oratione ſive carminibus præſtabant: quæ longo tempore etiam in Barbaris ſervata ſunt. Habuerunt autem ſingulæ penè gentes, uti certam doctrinæ formam, ita Sibyllas doctrinæ magiſtras. Antiquiſſima, quæ Chaldæa ſive Perſica erat, dicta fuit Sambetho, quaſi à Semo & Japheto appellata, quorum doctrinam propagavit à diluvio. Aliæ fuerunt Lybica, Phrygia, Erythræa, Samia, Helleſpontica, Cimmeria, Delphica, Tiburtina, Cumana. De quarum nominibus, patriâ, ætate, numero, ordine, aliiſque, Scriptores antiqui mirifice diſſentiunt. Nec de carminibus convenit, quæ de Chriſto, Filio Dei, mundi Servatore, vel etiam de SS. Trinitate cecinerunt. De quibus alibi.

*Period. I. artic. III.*

*Pythoniſſæ.*

*Sibyllæ.*

Ad narrationem de Verbo Dei regredior, de *Secundâ Eccleſiæ Veteris Periodo*, hujuſque *diverſis Articulis* diſtinctè acturus. Quum lux Verbi divini paulatim exſtingueretur, & occideret in Gentibus, in populo autem Hebræorum, inter Ægyptios idololatras degente, non amplius eſſent integra, adeoque gemino jam experimento à diluvio compertum eſſet, ne quidem in poſteritate Semi, cui ſe Deus familiarius patefecerat, ſolâ traditione conſervari poſſe doctrinæ cœleſtis puritatem; viſum Deo aliam deinceps inire rationem cuſtodiendæ, & ad poſteros ſine vitio tranſmittendæ religionis: ne novis ſubinde revelationibus eſſet opus. Quare poſt exitum populi Iſraëlitici ex Ægypto, in Arabiâ, circa montem Sinai, non tantum vivâ voce cœlitus ſonante idem Verbum, ſive eandem religionis doctrinam, ſed inſtructiorem ac pleniorem repetivit, verùm etiam literarum monumentis tradi ac commendari voluit. Utrum verò Deus ipſe hîc præiverit Moſi, ac novum revelationis modum exemplo prior ſanciverit, an Moſes ſcribendi fecerit initium, non convenit inter Theologos. Certum eſt, Deum digitis ſuis, ut ἀνθρωποπαθῶς loqui amat Spiritus

*Periodus V. T. ſecunda. Artic. I.*

*Verbum Dei ſcribi cœpit*

*à Deo ipſo,*

Period. II. artic. I. tus Sanctus, Decalogum duabus tabulis etiam iterato inſcripſiſſe: quæ opus Dei, & Scriptura Dei appellantur Exod. 31. v.26. & cap. 34. v.1,28. Nec minus certum, Moſen non temerè aut ſuopte judicio, ſed Domino ita præcipiente, & miraculis plurimis atque indubitatis vocationem ejus inſuper confirmante, ſcribere divina aggreſſum eſſe, Exod. 17. v. 14. cap. 34, v. 27. ac alibi. In ordinis differentiâ non multum eſt ſitum. Quanquam ſimplicius videtur, ſi narrationis ac temporis ſeries, quæ eſt Exod. 24. & deinceps, abſque anticipatione aut hyſteroſi ſervetur. Primò igitur Moſes, juſſu divino, acta præcipua in commentarios retulit, Exod. 17. v. 14. & ex iis confecit Librum Fœderis, complectentem tum promiſſiones Dei, tum ſtipulationes ſive leges, per quas populus officii ſui erga Deum commonebatur, ut eſt Exod. 24. v. 4, 7. Deinde Deus ipſe Legem Decalogi duabus tabulis lapideis inſculpſit. Quod facturum ſe pollicitus fuerat, ut populus Iſraël de voluntate ſuâ erudiretur Exod. 24. v. 12. Et reapſe præſtitit: ſemel cum tabulas illas Moſi traderet, Exod. 31. v. 18. Iterum cum iſtis confractis, ut eſt cap. 32. v. 15, 16, 19. Moſes dolaret alias, & Deus eadem verba iis inſcriberet, cap. 34. v. 1, 28. Tertiò, Moſes reliqua addidit, nec ſolùm perſecutus eſt cætera, quæ ad illuſtrandam Legis & Euangelii doctrinam pertinebant, verum etiam integram Eccleſiæ hiſtoriam ab origine mundi uſque ad gubernationenem Joſuæ ſucceſſoris ſui per annos 2494 pertexuit. Ex quibus, ſaltem de quatuor poſterioribus libris Moſis, colligi poteſt, ſucceſſive iis temporibus fuiſſe conſcriptos, quorum res geſtas complectuntur. De Geneſi ſunt qui dubitant, ejuſque compoſitionem ad vitam Moſis privatam referunt, in Midianitide: ſecuti opinionem Philonis & Judæorum: à quâ non videtur alienus Euſebius lib. 7. præparat. Euangel. cap. 2. Sed verior ac tutior ſententia eſt ad ſtatuendam canonicam libri autoritatem, quod à Moſe, vocato jam ad munus Propheticum, inque eo verſante confectus fuerit: cum ſit liber Propheticus, ſpirituſque prophetici. Cujus argumentum evidens ipſa libri materies ſuppeditat. Etſi enim eorum, quæ inibi refert, plurima ex traditione Majorum diſcere potuit: ut qui, ſi traditionis ſeriem ſpectemus, tertius à Jacobo, ſeptimus verò ab Adamo fuit, tamen tot circumſtantiæ temporum, locorum, perſonarum, tam diverſæ genealogiæ, ac tanta originum varietas, abſque revelatione divinâ Spiritus Sancti certò cognoſci, ac tradi aliis non potuerunt; ut cæteros divinitatis characteriſmos taceam. In ſcribendo uſus eſt linguâ Hebræâ, ut conſtat; nimirum quia ſcripſit populo Hebræorum, eoque linguâ ipſis notâ ac vulgari. In Ægypto non alio nomine noti erant, Exod. 1, 2. capp.

*Marginal notes:* & à Moſe. — Ordo ſcriptionis. — Liber Geneſeos quando ſcriptus. — Lingua Scripturæ prima Hebræa.

capp. In Cananæâ quoque ſic nuncupabantur filii Jacobi, argumento loci Geneſ. 39. v. 14. uti videtur inde à proavo ſuo Abrahamo, cui primo cognomen Hebræi tribuitur Gen. 14. v. 13. Non quidem à tranſitu Euphratis, quod fuerit *περάτης tranſitor*, ut reddunt LXX. & Vetus interpres; quorum opinionem approbat Chryſoſtomus hom. 35. in Geneſin: ſed ab Hebero Semi pronepote, in cujus familiâ poſt confuſionem linguarum ea perduravit, ac novum nomen adepta eſt, poſt etiam tranſmigravit in familiam Abrahami, trinepotis ipſius: fortè, ut quidem volunt, etiam ipſe Heber, quem 464 annos vixiſſe conſtat, in domum Abrahami conceſſit, atque in ſinu Iſaaci & Jacobi mortuus eſt. Hanc porrò linguam Heberi diverſam fuiſſe à Chaldæa probari poteſt tum ex Geneſ. 31. v. 47. ubi Labane nomen Chaldæum acervo lapidum imponente, יְגַר שָׂהֲדוּתָא, Jacobus aliud ex linguâ ſuâ vernaculâ addidit, גַּלְעֵד eodem plane ſignificatu *Cumulus teſtimonii*: tum ex Dan. 1. cap. quo refertur Danielem ejuſque ſocios, Hebrææ gentis adoleſcentes, non in artibus ſolùm, ſed etiam in linguâ Chaldæorum, ceu antehâc ignotâ, inſtitutos fuiſſe. Utrum verò eadem fuerit cum Chananæâ ſive Phœniciâ, diſputant eruditi. Scaliger quidem affirmat Abrahamum Chaldæum in Chananæâ demum eam, quæ Hebræa poſtea dicta fuit, didiciſſe. Alii tamen id inficiantur, hac ratione inter cæteras nixi, quod prorſus à veriſimilitudine alienum ſit, Gentem Chananæam, ſuper alias omnes maledictam, & cujus commercio Deus ſuo populo interdixit, linguam primigeniam conſervaſſe, atque ab eâ illius notitiam & uſum Eccleſiam accepiſſe. Fuit igitur alia lingua à Chananæâ, quâ Moſes ſua volumina deſcripſit. De cujus Characteribus quæſtio occurrit, quam originem habuerit figuræ, quæ hodie in contextu Biblico viſuntur. Hieronymi autoritatem in Prologo galeato & in Ezechielem quotquot ſequuntur, volunt Judæos ſpatio 70 annorum, quibus Babylonica captivitas perduravit, & linguæ veteris, & literarum priſcarum oblitos fuiſſe: propterea Eſdram, non ſine inſtinctu divino, novis quidem, ſed notis populo characteribus Chaldæis codices ſacros deſcripſiſſe, antiquos Samaritanis reliquiſſe: quorum exempla in Siclis, ante captivitatem cuſis, adhuc appareant. Sed quamvis ſpecie aliqua iſtud affirmatur, tamen accuratius omnia penſiculanti longè aliud videbitur. Notum enim eſt Exemplaria legis & Prophetarum veteri more ſcripta in Babylonem deportata, atque à Judæis diligenter lecta fuiſſe. Eadem procul dubio ab Eſdrâ & aliis ſenioribus, qui primi templi magnificentiam viderent, in Judæam fuerunt relata: Tum verò repudiatam priſcam ſcripturam, cui perſuadebitur? inprimis

Period. II. artic. 1.

differt à Chaldæâ.

& Chananæâ.

Characteres Hebræi, non Chaldæi.

Digitized by Google

Period. II. artic. I. mis cum Eſdras tantâ religione hîc verſatus ſit, ut ne literam quidem, aut apicem ullum mutare, nedum tollere vel adſcribere auſus fuerit.

Punctorum vocalium origo. Alia adhuc ſupereſt controverſia, hujus quoque loci, de Punctis vocalibus: quæ tribus differentibus ſententiis agitatur. Sunt enim, qui eorum originem ad Moſen referunt: alii Eſdram & viros Synagogæ magnæ, ex Babylone reduces, has notas literis appoſuiſſe arbitrantur: nonnulli denique Judæos quoſdam Tiberienſes autores faciunt, annis ferè quingentis poſt natum Chriſtum. Duæ priores divinam *αὐθεντίαν* punctis vendicant, tertia humanam duntaxat autoritatem iis tribuit. Anteſignani pugnantium ſententiarum ſunt, iſtinc Johannes Buxtorfius in Tiberiade, hinc Ludovicus Cappellus in Arcano punctationis revelato: unde rationes in utramque partem peti poſſunt.

Librorum Moſis appellatio. Porrò Libri Moſis univerſi uno communis nomine vel abſolute *Thorá* doctrina, ſive Lex, vel cum adjectione *Chómeſch* quinarius legis, item *chamiſſchá chummaſche thorá* quinque quintæ (ſcilicet partes) Legis appellantur. A Græcis autem nominatur πεντάτευχος, nempe βίβλος, id eſt, liber quinque voluminum. Nam τεῦχος inſtrumentum ſignificat, à verbo τεύχω fabrico ſeu ſtruo. Hîc autem intelligitur inſtrumentum acquirendi ſapientiam, nempe Liber ſeu volumen, per ſynecdochen generis Deut. 4. v. 6, 7, 8. Ab eo eſt latinum *Pentateuchum*, quomodo Hieronymus lib. adverſus Helvidium, Moſen autorem Pentateuchi nominat. Sigillatim autem quinque illi Libri Moſis Hebræis denominantur à primis eorum vocibus; quemadmodum. JC.ti cum leges Juris Romani allegant, à voce initiali eas deſignant.

Diſtributio. Itaque liber primus Moſis dicitur *Bereſchith*, ſecundus *Veelle ſchemoth*, tertius *Vajikra*, quartus *Vajedabber*, quintus *Elle haddebarim*. Græci, ac horum imitatione Latini, eoſdem libros denominant à ſubjecto, ſive à materiâ. Et primus utriſque dicitur *Geneſis*, hoc eſt, generatio; quia in eo narratur ortus mundi & Eccleſiæ. Secundus *Exodus*, exitus; quia exitum populi Iſraëlitici ex Ægypto deſcribit. Tertius *Leviticus*, à cultu Dei externo per Levitas adminiſtrato. Quartus Ἀριθμοὶ *Numeri*, à numeratione ſive recenſione Iſraëlitarum, armis gerendis aptorum. Quintus *Deuteronomium*, quod ſit quaſi δεύτερος νόμος ſecunda Lex, hoc eſt, Legis ante latæ repetitio.

Geneſis *Geneſis* capitibus quinquaginta abſolvitur; cujus partes tres ſunt: Prima ſex capitibus à Creatione ad diluvium, recitat originem Mundi, creaturarumque omnium, & inter homines primævæ Eccleſiæ, Altera à Diluvio ad Abrahamum, uſque ad cap. 12. hiſtoriam inſtaurati mundi, & confuſionis linguarum exponit. Tertia inde uſque ad finem, fœdus gratiæ & curricula Patriarcharum, Abrahami à cap 12. ad 21, Iſaaci à cap. 21. ad 27.

Jacobi

Digitized by Google

Jacobi à cap. 27. ad 37. & Joſephi à cap. 37. & deinceps, diſtinctè deſcribit. *Exodi*, capitum quadraginta, duæ ſummæ partes ſunt: Exitus Iſraëlitarum ex Ægypto, & quæ eum anteceſſerunt Servitus populi, Vocatio Moſis, & ejus apud Pharaonem obita legatio: à principio uſque ad cap. 19. deinde Commoratio eorum ad montem Sinai, ubi Lex data eſt, & tabernaculum ſtructum ac conſecratum, à cap. 19. uſque ad finem. *Levitici*, capitibus viginti ſeptem conſtantis, partes tres ſunt: Prima deſcribit varia Sacrificiorum genera, eorumque leges: capp. primis ſeptem: Secunda narrat conſecrationem Aaronis & filiorum ejus, & quæ circa eam evenerunt, à cap. 8. ad 11. Tertia leges miſcellaneas, varii generis, eorumque ſanctiones ſubjicit, à cap. 11. uſque ad finem. *Numeri* capita triginta ſex, partes majores quatuor habent. Prima eſt recenſio omnium tribuum Iſraëlis: capp. quatuor primis. Secunda eſt recitatio variarum legum populo tum datarum, à cap. 5. ad 10. Tertia eſt rerum quarundam memorabilium narratio à cap. 10. uſque ad cap. 28. Quarta mixti generis, partim hiſtorias complectens, à cap. 28. uſque ad finem. *Deuteronomium* capitibus triginta quatuor, partibus majoribus tribus abſolvitur. Prima eſt repetitio quædam rerum geſtarum in deſerto, tribus primis capp. Altera eſt hortatio ad obedientiam legis divinæ, ejuſque fuſior explicatio, à cap. 4. ad cap. uſque 29. Tertia eſt deſcriptio actuum Moſis extremorum cum populo, à cap. 29. ad finem uſque. Hæc ſumma eſt, ſive diſtributio generalis totius Pentateuchi, ſive omnium librorum Moſis. Quorum finis ſive ſcopus præcipuus fuit, ut in Eccleſiâ Iſraëliticâ, atque adeo in Eccleſiâ univerſâ uſque ad mundi interitum eſſet doctrinæ ac cultus religioſi, adeoque fidei ac vitæ certa ac infallibilis regula. De quo manifeſtiſſima dicta in libris Moſis reperiuntur. Lex ipſa, vivâ voce Dei promulgata Exod. 20. & à Moſe repetita Deut. 5. quæ non tantum præſcribit facienda & omittenda: ſed etiam obligat, utpote Thorá, ſimul doctrina & lex. Sanctiones ejus per promiſſa & minas Levit. 26. Deut. 27. & 28. capp. eandem canonis autoritatem confirmant. Quam etiam ſtabiliunt teſtimonia ſingularia, eaque expreſſiſſima, Deut. 4. verſ. 2. item v. 6, 7. cap. 6. v. 5. item v. 7, 8, 9. cap. 12. v. 32. cap. 29. v. 29. Poſtquam verò Deus Legem Decalogi vivâ voce promulgatam duabus tabulis inſcripſerat, Moſes quoque totam Legem ſcripſerat & populo prælegerat, Tabulas Decalogi Arcæ fœderis, quæ in Sanctuario depoſita aſſervabatur, ipſe Moſes impoſuit Exod. 40. v. 20. Suos autem libros, divinâ inſpiratione ſcriptos, collocari voluit in latere arcæ, ſive extra eam in Sanctuario, Deut. 31. v. 26. Et ſacri hujus depoſiti cuſtodes conſtituit Sacerdotes,

Period. II. art. III. Exodus.

Leviticus.

Numeri.

Deuteronomium.

Scopus eorum

Cuſtodia Scripturæ.

Period. II. artic. I. filios Levi, ſacrorum & Arcæ inprimis adminiſtros: tum etiam cunctos Seniores populi Iſraël v. 9. Exemplar autem prototypi hujus fuit non ſolum apud Regem, qui illud perpetuo tractare ac meditari jubetur Deut. 17. v. 18. nec tantum apud Sacerdotem Maximum v. 11. vel alios Sacerdotes, qui illud legere & prælegere debebant cap. 31. v. 9. ſeq. Sed etiam apud populum; quia quotidianos de lege ſermones haberi, illamque in fronte, in manibus, in poſtibus ſcribi juſſit, cap. 6. verſ. 7, 8, 9. & cap. 11. v. 18, 19, 20. Uſum etiam expreſſe oſtendit Deut. 31. tum v. 11, 12. præcipiens ut legatur coram toto Iſraële, cujuſcunque ætatis & ſexus, ut ad omnium notitiam perveniret. tum v. 26. aſſervari jubens, ut ſit loco teſtis contra ipſos.

Kabbala ſeu Lex ἄγραφος. Hæc de Thorá, ſive Lege Moſis divinitus tradita, & in literas relata: quæ Verbum Dei ἔγγραφον dicitur. Præter eam verò Moſi traditum eſſe Verbum aliquod ἄγραφον, quod ipſi Kabbalam nuncupant, contendunt Judæi. Appellatur autem Kabbala à קִבֵּל in Pihel, & eſt accepit, recepit animo aut manu. Notat verò doctrinam de ore alterius antiqua. acceptam, & rurſum aliis vivâ voce traditam. Qualis fuit doctrina Patriarcharum ab Adamo uſque ad Moſen: qui Legem conſcripſit. Sed hujus Kabbalæ paucula admodum ſuperſunt; cujuſmodi ſunt ſeptem præcepta filiorum Noachi, de Judiciis, Benedictione, Idololatriâ, Moſaica Judæorum. Homicidio, Libidine, Rapinâ, & Sanguine. Cæterum huic Kabbalæ ſucceſſiſſe fingunt Moſaicam: quæ ſit Lex oretenus tradita, & legis ſcriptæ expoſitio: quam Moſes dies quadraginta & totidem noctes in monte Sinai commoratus, ex ore Dei didicerit: & ſine quâ multa Legis præcepta ambigua, obſcura, & inter ſe pugnantia intelligi nequeant. Moſen igitur accepiſſe Legem & Expoſitiones ejus. Legem ſcriptis conſignâſſe; Expoſitiones non ſcripſiſſe, ſed vivâ voce tradidiſſe Joſuæ: Joſuam LXX Senioribus Sanhedrin; hos prophetis prioribus, Samueli ac cæteris; eos rurſum poſterioribus inter quos Haggæus, Zacharias, & Malachias: iſtos Viris Synagogæ magnæ; & hos ſuis per varios gradus ſeu multas ætates ſucceſſoribus, uſque ad illud tempus, quo tandem fuit mandata literis, & inde Talmud confectum. Ita Judæi pro vanitate ſuâ & fabulandi libidine docent. De falſa eſt. quibus Galatinus in libris de Arcanis Catholicæ veritatis. Sed non tantum præter, verum etiam contra legem ſcriptam. Eâ enim non tantum legem, ſed ejus explicationem quoque Moſes complexus eſt, quantum opus ad inſtitutionem Eccleſiæ. Deuteronomium enim quid eſt aliud, quam Legis repetitio, & uberior declaratio. Præterea diſertè vetat quicquam addi vel demi: adeoque Kabbalæ locum non relinquit. Ubique inſuper remittit ad legem: nullâ unquam Kabbalæ

men-

mentione factâ. Sic apud Prophetas tum priores, tum poſteriores, non Period. II
occurrit ulla ejus memoria. Poſtremò gloſſa ne quidem diverſa à tex- artic. I
tu, multò minus ei contraria eſſe debet: unde conſequitur Kabbalam, tantopere à Lege ſcriptâ diſſidentem, gloſſam ejus aut expoſitionem nequaquam dici poſſe: atque adeo pari cum aliis Judæorum fabulis loco habendam eſſe.

Hæc de primâ Origine S. Scripturæ, ac Lege & libris Moſis. Nunc quod *librum Præliorum Iehovæ* attinet Num. 21. v. 14. fuit is Catalogus duntaxat ſive recenſio bellorum, non aliquod volumen, nec de religione ſed de rebus bellicis & civilibus ſcriptus. (Liber Præliorum Jehovæ non fuit ſacer.) *Liber* tamen *Iobi* Moſi vulgò, nec ſine ratione tribuitur. (Liber Jobi ſcriptus à Moſe.) Ipſe Job, ut ſupra monuimus, multò prior fuit Moſe, σύγχρονος Jacobi & filiorum ejus; ut longævitas ipſius, & ratio ſacrificii evincunt. Originem LXX Interpretes ad Eſavum referunt, & quaſi fuerit de filiis Eſavi, & quintus ab Abrahamo: forte occaſione loci Gen. 36. v. 33. Sed iſtic non exſtat Jobi, verum Jacobi nomen: quæ ipſis literis radicalibus differunt apud Hebræos. Probabilior igitur, imò verior eſt ſententia Hebræorum, atque etiam Hieronymi Quæſt. Hebr. in Geneſin; Jobum ortum ducere à Nachore, Abrahami fratre, utpote cujus filius dicitur Hutz Geneſ. 22. v. 21. Jobi progenitor. Quod & Beda confirmat libro I. Expoſitionis in Jobum. Hiſtoria contigit illo tempore, quo Iſraëlitæ in Ægypto commorabantur. Cujus adverſaria ab ipſo Jobo confecta linguâ Arabicâ, ei nativâ ac vernaculâ: narratio autem formâ voluminis digeſta à Moſe, & ſermone Hebræo expoſita: quæ rurſum eſt ſententia Hebræorum Doctorum, nec non Iſidori lib. 6. Originum cap. 2. Nunquam alioquin librum in Canonem admiſiſſent Hebræi; cum Arabum gens & lingua à communione Eccleſiæ aliena eſſet. Conſilium Moſis hoc fuit proculdubio, ut ſancti viri exemplo ſolaretur populum contra tot adverſos caſus, & læti exitus ſpe ſuſtentaret uſque ad extremum: quod etiam Pſalmo 90. agit. *Liber Iobi* continetur capitibus quadraginta duobus, partibus majoribus quatuor diſtinctus. Prima cum felicitatem Jobi, tum varias ejus calamitates, & in utraque fortunâ ſummam pietatem deſcribit, cap. 1. & 2. Secunda ſermones Jobi & quatuor amicorum ejus ultrò citroque habitos commemorat, à cap. 3. ad 38. ſed duobus actibus interciditur: Prior continet diſſertationem Jobi & trium amicorum ejus, Eliphazi Themanitæ, Bildadi Suhitæ, & Tzopharis Nahamititæ à cap. 3. ad 32. Poſterior complectitur orationem Elihu Buzitæ, quâ diſſertationes illas repetit, & additâ ἐπικρίσει concludit, à cap. 32. ad 38. Tertia eſt Sermo Dei ad Jobum, quo judicium ſuum interponit, & controver-



Digitized by Google

Period. II. artic. II. ſiam definit à cap. 38. ad 42. Quarta eſt læta cataſtrophe, nempe reſtitutio Jobi in integrum, cap. 42. ſive ultimo. Poſt Moſen ſubinde excitavit Deus ſive Prophetas, ſive viros Propheticos, qui Sacram hanc ſcriptionem juſſi continuarent, & Verbum Dei ſuo tempore editum, literis mandarent. Cujuſmodi primo hujus Periodi articulo fuerunt

Joſua. Joſua & Samuel. Joſua, filius Nunis, ſucceſſor Moſis in gubernatione populi Iſraëlitici, authoritate divinitus inſtructus, ſui temporis acta prodere aggreſſus eſt illo libro, qui nomine ipſius inſignitur. Non enim Eleazarum Pontificem, ſed ipſummet ejus autorem eſſe liquet ex cap. 24. v. 26. Cumque eſſet diſcipulus & ſucceſſor Moſis, dubio procul etiam ejus exemplo acta gubernationis ſuæ conſignare voluit: præſertim cum ipſi nec ſcientia, neque ejuſdem Sancti Spiritus gratia ad ſcribendum deeſſet. Certè Moſis imitatione Librum ſuum inferri in Sanctuarium, & Legi Moſis adjungi juſſit: argumento loci cap. 24. v. 26. Genus doctrinæ non aliud tradidit & inculcavit, quam quod à Moſe didicerat, & lege præſcriptum erat. Ad hanc enim normam ipſe adſtringitur divinitus cap. 1. v. 7, 8. ad eam revocat populum Iſraël

Liber Joſuæ, cap. 23. v. 6. & juxta eam fœdus renovat cap. 24. Porrò *Liber Ioſuæ* universè capitibus viginti quatuor, partibus autem majoribus tribus abſolvitur. Prima agit de occupatione terræ Canaan, trajecto Jordane, expugnatis variis urbibus, multiſque excellentibus & mirandis victoriis obtentis, capitibus primis 12. Altera eſt de diviſione illius terræ, inter tribus duodecim, nec non deſignatione civitatum refugii, & Levitarum, à cap. 13. ad 23. Tertia continet cohortationes Joſuæ jam Senis, ad populum Iſraëliticum, de conſtantiâ in vero Dei cultu præſtando, capp. 23. & 24. Jam Samueli Prophetæ communis opinio attribuit libros tres, nempe Judicum, Ruthæ, & primi Samuelis uſque ad mortem ipſius; ut eſt apud Iſidorum lib. 6. Originum cap. 2. Alii tamen duos priores vel Eſdræ, vel ipſis Judicibus, quorum ſinguli

Judicum. ſui temporis acta annotarint, adſcribere malunt. *Liber Iudicum* ſtatum Iſraëlitarum à morte Joſuæ uſque ad Eli Sacerdotem ſub XII Judicibus deſcribit, inde à principio uſque ad cap. 17. Deinde incertorum temporum hiſtorias ſubjicit, idoli Michæ, uxoris Levitæ conſtupratæ, indeque enati belli civilis inter reliquas tribus omnes & tribum Benjamin, capitibus reliquis quinque: ut capita univerſim ſint viginti & unum. Illud autem memorabile, quod paſſim populus culpatur & punitur ob defectionem à Lege Moſis, & ad eam ſolam revocatur: ut

Ruth. non alia tum fuerit doctrinæ cultuſque regula in Eccleſiâ. *Liber Ruthæ* ad Jephthæ tempora pertinere videtur; ac quatuor capitibus exponit, quomodo ipſa mulier Moabitis ſecundis nuptiis Boazo Bethlehemitæ juncta

Digitized by Google

junсta fuerit, atque huic Obedum, avum Davidis pepererit: ex quo Chriſtus ſecundum carnem genitus eſt. *Liber primus Samuelis* ſic dicitur communiter ab Hebræis, à Græcis verò liber τῶν βασιλειῶν regnorum, & à Latinis Regum appellatur. Scriptum eſſe à Samuele ad hiſtoriam uſque mortis ipſius cap. 25. conſtat ex 1 Chron. 29. v. 29. Depoſitum etiam in Sanctuario ſaltem veriſimiliter colligitur ex 1 Sam. 10. 25. Reliqua libri ab aliis ejuſdem temporis prophetis attexta. Diſtingui poteſt in partes tres, quæ omnes capitibus triginta & uno continentur. Prima hiſtoriam Eli Sacerdotis & Judicis Iſraëlitici, primis quatuor capitibus, Secunda gubernationem Samuelis ad cap. 11. & Tertia regnum Saulis, ante & poſt abdicationem ejus deſcribit, à cap. 11. uſque ad finem.

Period. II. artic. I. 1 Samuelis.

*Secundo* Periodi hujus *articulo* floruerunt in Eccleſiâ Iſraëliticâ, atque etiam ſcripſerunt Prophetæ, David rex, Nathan, Gad, Salomo rex, Ahias, & Iddo: prout ſeries temporum illos diſpeſcit. *Davidis* opus illud eſt, quod Hebræi תְּהִלִּים ſive laudum à potiore dicere ſolent, quod bona ejus pars Dei laudes celebrat. Græci & Latini ψαλτήριον *Pſalterium* vocant, ab inſtrumento muſico, quo ipſi Pſalmi decantabantur. Sunt autem numero centum & quinquaginta, in codicibus Hebræis. Nam qui additur in Græco 151. eſt ſuppoſititius, non tantum ab Hebræis, ſed etiam à Concilio Laodiceno rejectus. Hos omnes Auguſtinus lib. 17. de Civit. Dei cap. 16. uni Davidi adſcribit: qui tamen ſibi non conſtat, expoſitione Pſal. 1. in titulo. Rectius ſentiunt, qui inſcriptionum titulos ſecuti, nonnullos Moſi, Aſapho, Koræ, aliiſque piis, ac divinitus illuminatis viris eos adſcribunt. Autor eſt Athanaſius in Synopſi, nec non Hilarius in præfatione Pſalmorum, Eſdram univerſos in unum collegiſſe Volumen, & eo quo exſtant ordine digeſſiſſe. Uſitate diſtinguuntur libris quinque: quorum priores quatuor clauduntur voculâ Amen. Primus liber Pſalmos quadraginta & unum primos. Secundus habet triginta & unum, nempe à 42. ad 73. uſque. Tertius ſeptendecim, à 73. ad 90. Quartus item ſeptendecim, à 90 uſque ad 107. Quintus denique quadraginta tres, à Pſalmo 107 uſque ad finem. Obſervandum tamen Pſalmos in Græcâ ac Vetere Latinâ editione ferè aliter numerari, atque in Hebræâ. Nam utraque Pſalmos nonum ac decimum conjungunt, ac pro uno computant: ideò in ſequentibus uſque ad 114. unitate pauciores faciunt. Deinde 114. & 115. juxta Hebræos, iterum conjungunt, & viciſſim 116. in duos dividunt; quemadmodum & 147. diſſecant, ut tres tantum poſteriores numeris inter ſe reſpondeant. Hinc in allegationibus Pſalmorum apud Patres Græcos & Latinos numerus perpetuò penè diſcrepat à numero Hebræorum. Elogium Pſalmorum breviſſi-

Artic. II.

Pſalmi Davidis.

Period. II. artic. II. viſſimum ſed veriſſimum exſtat apud Baſilium: qui Pſalterium nominat κοινὸν ταμεῖον ἀγαθῶν διδαγμάτων commune penu optimarum doctrinarum. Quia doctrinam Legis & Euangelii non tantum pluribus declarat; ſed etiam ſpiritualium exercitiorum documentis illuſtrat: ſic tamen ut ad Legem Moſis, ſcripto comprehenſam, omnia referat, Pſal. 1. 19. & 119. ſicuti alibi paſſim. *Nathan* & *Gad* Prophetæ cenſentur Scriptores *libri ſecundi Samuelis*, qui ab aliis Secundus Regum appellatur, ut eſt 1 Chron. 29. v. 29. A Samuele verò denominatum credunt nonnulli, vel quod opus, à magiſtro Samuele inchoatum, totum ipſius nomine inſcribendum putarint; vel quod utrumque Regem, quorum hiſtoria utroque libro deſcribitur, mandato Dei regno inauguraſſet, 1 Sam. 10. & 16. Partes libri generales duæ ſunt, capitibus viginti quatuor deſcriptæ. Prima eſt de regno Davidis initio in ſolo Juda, inde in toto Iſraële, ejuſque felici ſucceſſu ac ſtatu, à cap. 1. ad 12. Altera de ſtatu Davidis calamitoſo ac miſero, in quem cum ob alia peccata, tum præcipuè ob adulterium ac homicidium incidit; à cap. 12. uſque ad finem.

2 Samuelis.

*Salomon* filius Davidis, rex Iſraëlis, tria millia Parabolarum ſive ſententiarum, hoc eſt, breviter & argutè dictorum protuliſſe legitur, ex ſapientiæ ſuæ theſauro: Cantica verò mille & quinque cecini ſſe 1 Reg. 4. v. 32. Ex quibus quæ hodie exſtant, congeſta ſunt in Proverbiorum librum, & Canticum Canticorum. Verum quis hæc redegerit in ordinem, & uno volumine utraque complexus ſit, difficilis eſt divinatio. *Proverbiorum* collectionem Hebræorum alii Jeſaiæ, alii Ezechiæ tribuunt, argumento loci cap. 25. verſ. 1. Sed probabilior eſt opinio Lyrani & aliorum, qui exiſtimant, jam ante Ezechiam à Salomone & aliis collectas ſententias uſque ad cap. 25. Eas verò quæ inde uſque ad finem leguntur, comportatas eſſe cum ab aliis, tum præcipuè à viris Ezechiæ. Is enim, ut tradunt Talmudici, cum religionem collapſam in regno ſuo inſtauraret, ſimul quoque Scholas ac earum Magiſtros reſtituit, qui operam eâ in re ſuam collocarunt.

Salomonis.

Igitur Liber Proverbiorum capitibus triginta & uno continet varias & inſignes ſententias, de utriuſque tabulæ Decalogi virtutibus, ad piè, juſtè, temperanterque vivendum conſignatas. Et quatuor partibus definitur. Prima, uſque ad cap. 10. eſt inſtar præfationis, quæ fundamenti loco ſubſternit exhortationem ad Sapientiam hoc eſt, ad veram Dei cognitionem, verumque ejus timorem. Secunda à cap. 10. uſque ad 25. proponit ſententias de omni officiorum ſive virtutum genere, quocunque vitæ ſtatu non tantum utiles, ſed etiam neceſſarias. Tertia habet ſententias Salomonis collectas à Viris Ezechiæ, à cap. 25. ad 30. Quarta addit verba quædam Aguris, nec non matris

Proverbia.

Digitized by Google

atris Salomonis Bathſabæ, capitibus duobus ultimis. *Canticum Canticorum κατ' ἐξοχὴν* ſic nominatur, quod ſit præſtantiſſimum & excellentiſſimum. Scriptum eſt dramaticum & myſticum, quo Salomo ab typo conjugii ſui cum filiâ Pharaonis, deſcribit ac deprædicat ſpirituale connubium Chriſti cum Eccleſiâ. Partes Cantici quatuor ſunt, octo capitibus pertractatæ. Primo enim tanquam ſponſalia celebrantur inter Chriſtum & Eccleſiam. Deinde amor mutuus Sponſi & Sponſæ deſcribitur. Tum reconciliatio Sponſæ cum Sponſo, quæ non rarò ſolet Sponſum offendere. Poſtremò Canticum hoc profeſſione æterni ac mutui amoris inter Sponſum & Sponſam, certâque ſpe nuptiarum in vitâ æternâ celebrandarum concluditur. Præter duos hoſce libros, atque etiam poſt illos ſcripſit Salomon *Eccleſiaſten* ſuum, qui Hebræis genere fœminino קֹהֶלֶת Cohcleth, concionatrix dicitur, quaſi vanitatis ſuæ cenſorem, ac pœnitentiæ teſtem: utpote extremis vitæ ſuæ temporibus ſcriptum, cum jam animum omni ſcientiarum, experientiæ, ac voluptatum genere ad ſatietatem uſque expleſſet. Unde nihil illi ſupererat præter mundi contemtum ac faſtidium. Quod autem pœnitentia illa diſertè non prædicatur, hæc videtur fuiſſe cauſa, quia idola quæ erexerat non ſuſtulit, ut conſtat ex 1 Reg. 11. v. 13. ſive per vitæ poſt reſipiſcentiam brevitatem illi non licuerit; ſive Uxorum amori & bono pacis id indulſerit, ut, peregrinæ cum eſſent, liceret illis patrios Deos colere. Liber ipſe capitibus duodecim, ſed partibus generalibus duabus deſcribitur. Prima pars eſt doctrina de hominis felicitate in hâc vitâ: quæ non conſiſtat in nudâ poſſeſſione aut fruitione bonorum terrenorum quorumcunque, ſed partim ac principaliter in tranquillitate animi, ſive gaudio ſpirituali, quod oritur ex filiali Dei timore, partim in hilari fruitione bonorum terrenorum, quæ cuique divinitus contigerunt. Altera pars eſt commonefactio, quâ dehortatur à ſolicitudine acquirendi bona terrena, adhortatur contra ad filialem Dei timorem, ac hilarem bonorum divinitus conceſſorum fruitionem. Quæ duæ partes mixtim ferè tractantur. Hæc de Scriptis Salomonis veris & genuinis. Nam cætera non ſunt hujus cenſus. Joſephus lib. 8. Antiq. cap. 2. refert, præter alia ſcriptas à Salomone fuiſſe incantationes, quibus morbi curantur, & dæmones pelluntur. Quæ præterquam quod non exſtant, ipſi fallò adſcripta ſunt à ſuperſtitioſis Judæis. Fortaſſe hinc eorum quidam occaſionem arripuerunt, Salomoni attribuendi librum magicum, longe perniciosiſſimum, qui inſcribitur Clavicula Salomonis. Majore ſpecie LXX. & poſt eos vulgatæ editiones latinæ Bibliorum ipſi autori adſcribunt librum *Sapientiæ*, argumento congenerem, & nomen Salo-

Period. II. artic. II. Canticum.

Eccleſiaſtes.

ψευδεπίγραφα Salomonis.

etiam liber Sapientiæ.

Period. II. artic. II. Salomonis in fronte præferentem: cui in ordine librorum Biblicorum immediatè vulgò ſubjicitur. Sed non convenit inter aſſertores hujus ſententiæ. Sunt enim, qui totum Salomoni acceptum referunt, non minus dictionem, quam ipſas ſententias. Alii autem volunt, Sententias quidem hujus libri eſſe Salomonis, ſed collectas in unum volumen, & græcis verbis expreſſas à Philone, non illo qui Caji Imperatoris tempore floruit, ſed alio antiquiore. Ita Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 10. & 13. & lib de Scriptorib. Eccleſiaſticis. Verum priori ſententiæ contradicit Hieronymus præfat. in Proverbia Salomonis, quod non exſtet in Codicibus Hebræis, ſed tantum in Græcis, & Philoni Judæo ob dictionis convenientiam jure merito tribuatur. Alteri reclamat partim hiſtoria Salomonis, quæ teſtatur populum Iſraëliticum ejus imperio fuiſſe liberrimum. quum hic ſcriptor hoſtium imperio ſubjectum eſſe queratur cap. 15. v. 14. partim etiam ipſius doctrina, quia agnoſcit & docet creationem animarum à Deo, & totius hominis originalem depravationem Eccleſ. 12. v. 9. Prov. 20. verſ. 9. pro quâ μετεμψύχωσιν Pythagoricam, & originem vitii ac corruptionis expertem ſcriptor libri inculcat cap. 4. v. 12. & cap. 7. v. 27. & cap. 8. v. 19, 20. Alias repugnantias cum Bibliis Canonicis V. T. alibi annotavimus. Commentum de duplici Philone tum fidem inveniet, ubi illud teſtimoniis indubitatis antiquorum ſcriptorum comprobaverint. Poſt Salomonem ſcripti ſunt *libri duo Regum.* Sed initium ſolum libri *prioris* ad Articulum ſecundum pertinet: Cujus ſcriptores fuêre Nathan, qui poſtrema Davidis attexuit, 1 Chron. 29. verſ. 29. itemque Ahias & Iddo, qui res geſtas Salomonis, unà cum Nathane deſcripſerunt 2 Chron. 9. v. 29. Reliqua libri primi, ut & totus liber *Secundus Regum*, ad *Articulum tertium* ſecundæ hujus Periodi referenda ſunt.

Artic. III. Ac ſcripta putantur non ab uno aliquo Prophetâ, ſed à diverſis: ſingulis annotantibus geſta ſuorum Regum, ſub quibus vixerunt. Sicut fecerant Prophetæ priores: & ut Chron. 20. verſ. 34. dicitur de Jehu propheta, quod res Joſaphati juſſus ſit referre in librum Regum Iſraëlis: Rabanus de Inſtitut. Cleric. lib. 2. cap. 54. & Iſidorus lib. 6. orig. cap. 2. volunt hoſce libros à Jeremiâ collectos & editos, cum antea per ſingulorum Regum hiſtorias ſparſi eſſent.

1 Regum. *Primus liber Regum* numerat capita viginti duo, duabus partibus comprehenſa: quarum una continet hiſtoriam reliquam regni integri, ad cap. 12. altera hiſtoriam regni diviſi, Judæ ſub quatuor, & Iſraëlis ſub octo primis Regibus, à cap. 12. ad finem.

2 Regum. *Secundus liber Regum* deſcribit res geſtas reliquorum Regum, Judæ ſedecim, & Iſraëlis duodecim. Capita ſunt viginti quinque univerſè: partes verò iterum duæ. Prior eſt à defectione

Moabi-

Digitized by Google

Moabitarum à Rege Iſraël ad regni Iſraëlitici deſtructionem, capitibus 17 primis, & initio decimi octavi. Poſterior à deſtructione regni Iſraël ad deſtructionem regni Judæ ſub Nebucadnezare; capitibus reliquis. Hoc temporis intervallo in utroque regno divinitus excitati ſunt & floruerunt complures Prophetæ, prophetiis & miraculis celeberrimi: quorum nonnulli quoque ſummam prophetiæ & concionum ſcripto comprehenſam publicè propoſuerunt, tandemque in libros redegerunt, cæteris Scriptis Canonicis V. T. addita. Nomina ex inſcriptionibus librorum nota ſunt: Jonas, Amos, Hoſeas, Joël, Eſaias, Micheas, Nachum, Jeremias, Sophonias, Habakuk, & Obadias. Horum ætas variè definitur, & pro eâ ordo quoque diverſimodè conſtituitur. Et in Prophetis quidem majoribus, quos vocant, ac minoribus poſterioribus tribus res manifeſta. In novem minoribus prioribus difficultatem habet, ſive illi inter ſe, ſive etiam cum majoribus comparentur: cum plures eodem tempore, & iiſdem ſub Regibus vixerint: quidam certâ temporis annotatione careant; in Hebraicis etiam & Græcis editionibus eodem ordine non collocentur. Hebræorum ſententia ex Seder Olam cognoſci poteſt. Nos quod maximè probabile ex veſtigiis Scripturæ legemus, & ſequemur: ſi tamen illud prius monuerimus, non referri huc *Epiſtolam Eſaiæ*, quam antequam raperetur in cœlum ſcripſerat ad Joramum Judæ Regem Joſaphati filium, ut ſuo tempore ipſi traderetur 2 Chron. 21. v. 12. & ſeqq. Nam ea jam olim deſiderabatur. Fortè etiam non publico Eccleſiæ, ſed privato Jorami uſui fuit conſecrata. Ergo primus Prophetarum Poſteriorum, ceu vulgò appellantur, quorum ad nos monumenta pervenerunt, eſt *Jonas*, fallò creditus ab Epiphanio lib. de vitâ Prophetarum, & Hieronymo in prologo, filius viduæ Sareptanæ, quem Elias excitarat à mortuis. Nec enim nititur aliâ ratione quam traditione & conjecturâ Hebræorum quorundam veterum ex nomine Amithai. Sed ei repugnat, quod Jonas Hebræum ſe nautis fatebatur, vidua verò Sareptana gentilis erat. Hic Jonas poſt Eliam & Eliſæum claruit in regno Iſraël ſub Jeroboamo II. rege, Joæ filio, pronepote Jehu, qui totos 41 annos regnavit, 2 Reg. 14. Ei prædixerat Jonas, fore ut recuperaret, quæ majoribus ſuis ademta erant, ab ingreſſu Emathæ, uſque ad aſphaltidem lacum: quæ tamen prophetia non exſtat, ſed ea tantùm quæ Ninevitas ſpectat, excidium iis denuncians, niſi reſipiſcerent. Partes ejus duæ ſunt. Prior duobus primis capitibus, vocationem ipſius, fugam, & poſt eam reſipiſcentiam ac miraculoſam liberationem deſcribit. Altera pars eſt ſecunda Jonæ vocatio, & ad ejus conciones ſecuta Ninevitarum pœnitentia, & conſervatio, ob

Period. II. artic. II.

Ordo librorum Propheticorum.

Jonas.



Digitized by Google

Period. II. art. III. quam humanâ infirmitate indignatur, & cum Deo expoſtulat, capitibus duobus reliquis. Proximus à Jonâ prophetavit *Amos*, non pater Eſaiæ, ut volunt Hebræi, qui Amoz dictus eſt, ſed alius Iſraëlita, teſte Hieronymo, qui floruit ſub eodem Jeroboamo II. rege, ex bubulco propheta factus cap. 7. v. 14. Prophetia ejus capitibus novem, partibus verò tribus haud incommodè diſtinguitur. Prima eſt concio ſeveriſſima adverſus vicinas populo Dei gentes, quæ perpetuis bellis regnum Judæ & Iſraël infeſtabant, cap. 1. & 2. verſibus primis. Altera eſt denunciatio variarum pœnarum, quæ ob varia peccata Judæis & Iſraëlitis obventuræ erant, à cap. 2. ad 7. Tertia eſt confirmatio denunciationis per divinas viſiones, quibus ipſe pœnæ adumbrabantur, ad majorem prædictionis ἀσφάλειαν, capitibus tribus ultimis; propterea à filio Amaziæ Sacerdotis fuſte inter tempora percuſſus interiit: ut Epiphanius teſtatur lib. de vitâ ac morte Prophetarum. Amoſum ſequitur *Hoſeas*, quippe qui prophetavit ſub finem regni ejuſdem Jeroboami II. cum Uzias demum anno ejus 27. regnum Judæ inierit. Fuit autem de tribu Iſaſchar, ſi Epiphanio credimus. Prophetia ejus capitibus quatuordecim, partibus duabus conſtat. Prior tribus capitibus non modo vocationem Prophetæ, ſed etiam conjugium ejus cum ſcorto, nec non myſteria, quæ ei typicè adumbrantur deſcribit. Poſterior ab initio cap. 4. uſque ad finem libri, populi Iſraëlitici, Sacerdotum, ac Regum peccata atque ſcelera perſtringit, additis comminationibus pœnarum, & promiſſionibus gratiæ propter Chriſtum exſpectandæ. Circa idem tempus & *Ioël* vaticinatus eſt: qui etſi tempus ſuum non indicat, res tamen ipſæ, de quibus vaticinatur, huc referendum eſſe declarant. Fuit Propheta regni Judæ, ut percipitur ex principio cap. 2. quo cives Hieroſolymitanos compellat. Prophetia ipſa capitibus tribus, partibus duabus abſolvitur. In quarum priore commemoratione variarum calamitatum, & graviorum comminatione eos ad ſeriam, & quidem publicam reſipiſcentiam hortatur: cap. 1. & 2. ad verſ. 18. In altera inde uſque ad finem, reſipiſcentibus pollicetur liberationem cum temporariam à malis illis, quibus affligebantur, tum æternam in Chriſto; cujus beneficia deprædicat. In eundem ſynchroniſmum propheticum incidit curriculum *Eſaiæ* prophetæ: qui tamen Jeroboamo II. fuit poſterior, cum ejus non meminerit; nec etiam initia regni Uziæ attigit, quæ cum fine Jeroboami cohærent. Vixit tamen & docuit ſub Uziâ, Jothamo, Achazo, & Ezechiâ per annos circiter quinquaginta, idque Hieroſolymæ in ipſâ regni metropoli. Prophetia ejus prolixior eſt cæteris ſexaginta ſex capitibus comprehenſa. Revocari tamen poteſt ad partes generales quatuor. Earum

Margin notes: Amos. — Hoſeas. — Joël. — Eſaias.

Earum primâ, 12. capp. conſtante, continentur prophetiæ immediatè Period.II. direćtæ ad Judæos, quos variè reprehendit ob peccata, hortatur ad reſipiſcentiam, & ſpe veniæ conſolatur. In alterâ parte, à cap. 13. uſque ad 29. ſequuntur prophetiæ in gratiam populi Dei, gentibus exteris, ejuſdem populi hoſtibus, atque etiam ipſis Iſraëlitis denunciatæ. Tertiâ parte, à cap. 29. ad 49. recitantur prophetiæ, quibus prædicitur populo Iudæ tum excidium per Babylonios, & captivitas Babylonica, uſque ad cap. 40. quibus tamen hiſtorica nonnulla annexa ſunt capp. 36, 37, 38, 39. tum etiam liberatio ex captivitate Babylonicâ, velut ſymbolum ſpiritualis liberationis, ad cap. 49. Quartâ & ultimâ parte deſcribuntur prophetiæ de regno Chriſti, ejuſque beneficiis, quæ electis morte ſuâ acquiſivit, & per Spiritum Sanctum confert in hâc & futurâ vitâ, à cap. 49. uſque ad libri finem. Scripſit autem de Chriſto tam copioſè & perſpicuè, ut Euangeliſta potius, quam Propheta fuiſſe videatur, teſte Hieronymo: ſub Manaſſe rege, optimi Patris peſſimo filio, ſerrâ diſſectus fuiſſe traditur, quod & Apoſtolus videtur innuere Heb. 11. v. 37. Eſaiam excepit *Micheas*, qui ſcribit ſe prophetaſſe in diebus Jotham, Achaz, & Ezechiæ, & omittit Uziam, quem Eſaias poſterioribus adjungit. Prophetia ejus capitibus ſeptem, partibus verò tribus ſummatim comprehenditur. Primâ accuſantur peccata Iſraëlitarum ac Iudæorum, & meritæ pœnæ utriſque denunciantur; primis tribus capitibus. Secunda capp. 4. & 5. habet inſignes promiſſiones de regno Chriſti, miniſterio Apoſtolorum in mundum univerſum propagando. Tertia capp. duobus poſtremis repetit tum accuſationes & minas; tum conſolationes Euangelicas, quibus pii erigantur & ſuſtententur. Huic proximus eſt *Nahum*, qui poſt Ezechiam, abductis jam in captivitatem x tribubus vaticinatus eſt contra Aſſyrios, quibus exitium, non ut prius Ionas, ſed ſine conditione denunciat. Partes libri pro numero capitum tres ſunt. Prima eſt comminatio generalis vindictæ divinæ adverſus Aſſyrios, quâ pios Iſraëlitas conſolatur. Secunda prædictio excidii Ninives per Babylonios. Tertia enumeratio cauſarum, quibus tantam calamitatem erant promeriti. Poſt Nahumum prophetavit *Ieremias* filius Chilkiæ, ex familiâ Sacerdotali, inde ab utero ad munus Prophetæ ſanctificatus. Id orſus eſt ab anno 13. regni Ioſiæ, & continuavit ad annum II. ultimi regis Iudæ, nempe Zedechiæ, & ipſam captivitatem Babylonicam. Quo tempore invitus cum reſiduo populo in Ægyptum abductus, & ab Aprye Ægypti rege interfectus, vel, ut vult Epiphanius, à populo ſuo lapidibus obrutus fuit. Scriptos reliquit libros duos, qui hodieque in Canone Vetere habentur, Librum unum Prophetiarum, & alterum Threnorum,

artic. III.

Micheas.

Nahum.

Jeremiæ.



Digitized by Google

Period. II. artic. III. idque ſpeciali Dei mandato. Quippe præceperat Deus, ut omnia verba, quæ ad ipſum locutus fuerat, in libro conſcriberet; & cum liber ille ab impio Rege Jojakimo conſciſſus & flammis abſumtus eſſet, ut eadem ſecundâ vice repeteret, ac Baracho ſcribenda dictaret, cap. 36.

Prophetiæ, *Liber Prophetiarum* capita numerat quadraginta duo, ſed quæ partibus majoribus quatuor comprehenduntur. Primâ parte continentur conciones aliquot pœnitentiales, in quibus Propheta partim reprehendit Judæos propter multa ac varia ipſorum peccata & ſcelera, & ad reſipiſcentiam eos hortatur: partim denunciat impœnitentibus pœnas divinas, ac nominatim ſiccitatem, excidium Hieroſolymæ, & captivitatem Babylonicam: partim denique reſipiſcentes conſolatur promiſſione liberationis tum corporalis à captivitate Babylonicâ, tum ſpiritualis è poteſtate Diaboli per Chriſtum. Omnia hæc proponuntur à cap. 1. ad 39. uſque. In ſecundâ parte narrat complementum prophetiæ ſuæ in deſtructione urbis, & deportatione populi: unà cum eventu gemino, præfecturâ Godoliæ, & reliquiarum fugâ in Ægyptum à morte ipſius, à cap. 39. ad 46. Tertia prænunciat clades & calamitates gentium exterarum, videlicet Ægyptiorum, Philiſtæorum, Phœnicum, Moabitarum ac Ammonitarum, Idumæorum, Syrorum, Perſarum, Chaldæorum ſive Babyloniorum; qui Iudæos innumeris malis afflixerant, à cap. 46. ad 52. Quarta repetit hiſtoriam excidii Urbis Hieroſolymæ, eâque veluti ſignaculo totam prophetiam obſignat, cap. 52.

& Threni. *Threnorum* ſive *Lamentationum* liber, metris ſcriptus, ordine alphabetico diſtinguitur memoriæ cauſâ. Capita quinque, partes autem duas habet. Una primis quatuor capp. deplorat tum peccata populi ac aliorum ordinum, tum pœnas quibus affligebatur, inprimis deſtructionem Urbis, vaſtitatem provinciæ, ac captivitatem populi. Altera eſt ſupplex deprecatio ad Deum, quâ miſericordiam ejus implorat pro obtinendâ liberatione, cap. 5. ſive ultimo.

Ψευδεπίγραφος Epiſtola. Adſcribitur præterea Ieremiæ à nonnullis Epiſtola illa ad Captivos in Babyloniâ, quæ exſtat cap. 6. Baruchi; quâ hortatur eos, ut in fide veri Dei perſiſtant, & à cultu idolorum abſtineant. Sed non eſſe Ieremiæ, verùm ſcriptum ſuppoſititium, conſtat, partim quod non Hebraicè ſed græcè tantum exſtat, partim quod à ſtylo & phraſi ejus diſcedit, pro ſeptuaginta annis ſeptem generationes computans.

Sophonias. Σύγχρονος Ieremiæ fuit *Sophonias*, ad finem regni Ioſiæ referendus, argumento loci cap. 1. v. 1. & 4. Vaticinia ipſius capitibus tribus, at partibus duabus comprehenduntur. Nam quemadmodum cap. 1. Iudæis impiis, & initio cap. 2. Gentibus, exitium prænunciat; ita parte alterâ cap. 2. & cap. 3. toto, pios promiſſione venturi regni Chriſti conſolatur. Ei ſucceſ-

Digitized by Google

ſucceſſit *Habakuk*, paulo ante captivitatem Babylonicam, de quâ tanquam jam inſtante, nec non de interitu ipſorum Chaldæorum diſertè vaticinatur. Partes pro numero capitum tres ſunt. Primo capite contra Judæos concionatur, & ſimul ultionem à Deo contra Babylonios petit. In ſecundi cap. parte priore de adventu regni Meſſiæ, ejuſque beneficiis, in poſteriore de excidio regni Babylonici prophetat. Capite tertio ſubjungit carmen euchariſticum, quo totius prophetiæ ſuæ ſummam complectitur. Ultimus Prophetarum hujus ordinis eſt *Obadias*, qui docuit & ſcripſit poſt deportationem Jehojachini, atque etiam poſt ipſam captivitatem Babylonicam. Siquidem meminit belli Chaldæorum contra Judæos, & captæ urbis Hieroſolymæ. Prophetia potiſſimum dirigitur contra Idumæos, & capite uno, partibus duabus abſolvitur. Parte primâ exitium minatur Idumæis, quod Judæis afflictis addidiſſent afflictionem, & in præſidiis externis confiderent. Parte alterâ à v. 17. uſque ad finem, gloriam Eccleſiæ N.T. & regnum Chriſti ſpirituale deſcribit. Præter Prophetas, de quibus diximus, etiam Scriptores quidam Eccleſiaſtici, pro ſerie temporis ad tertium hunc ſecundæ V.T. periodi articulum referri ſolent: Tobias, Manaſſes, Eliakim, & Baruch. *Tobias* unà cum filio cognomine à Salmanaſſare in captivitatem Aſſyriacam abductus, & Niniven tranſlatus, ſcripſit rerum ſuarum commentarium Chaldaicè, ut vult Hieronymus. Nam ex Chaldæo exemplari ipſe convertit in Latinum; quod tamen deſideratur memoriâ noſtrâ. Hebræa exſtant duo; ſed exercitationis causâ, uti apparet, à Judæo quodam confecta. Cætera Græca ſunt, à LXX reddita. In ipſo libro non pauca reperiuntur Judaicæ vanitatis veſtigia, de dæmone rivalem agente cap. 3. v. 8. de mendacio Angeli cap. 5. v. 15. de conſilio magico in profligando dæmone, ſuffitu ex corde & hepate piſcis facto cap. 6. v. 9. & cap. 8. v. 3. de oblatione precum per angelum creatum cap. 12. v. 12. & alia his ſimilia, quæ à veritate Scripturarum Divinarum apertè deviant. *Manaſſi* regi Judæ tribuitur Oratio, quæ nomen ipſius præfert. Sed græcè olim tantum exſtabat, nunc latine tantum, ſi pleroſque codices græcos, in quibus deeſt, ſequamur. In genere doctrinæ ſuſpectum eſt, quod juſtis in hâc vitâ pœnitentiæ neceſſitatem derogat, niſi commode explicetur. *Eliakim* author eſt libri *Juditha*, ſi Joſepho credimus, lib. 1. contra Appionem; & alio nomine Iojachim appellatur, Sacerdos magnus Hebræorum, Iudith cap. 4. & 15. Ætate Hieronymi legebatur Chaldaicè. An Hebraicè unquam exſtiterit, dubium, imò controverſum. Recenſet victoriam divinitus reportatam ab Hebræis contra Holofernem, principem militiæ Aſſyriorum: idque conſilio

Period. II. artic. II. Habakuk.

Obadias.

Apocriphi ſcriptores.

Tobias.

Manaſſis oratio.

Judith.



Digitized by Google

Period. II. artic. III.

& virtute Iudithæ fœminæ nobiliſſimæ & viduæ caſtiſſimæ. Sed res illæ tam illuſtres vix ulli tempori ſatis conveniunt: etſi communis opinio ad regnum Merodachi Baladan eas referat: neque à Ioſepho ſcriptore gentis ſuæ diligentiſſimo memorantur: ut poëma ſacrum potius, quam hiſtoria dici mereatur. Certè ſuperſtitionem Iudaicam haud obſcurè redolet cap,8.v.6. & in celebrando Simone atque Levi cap.9. hiſtoriæ Moſaicæ manifeſtè contradicit Geneſ.49.v.4, 5.

Baruch.

*Baruchi* libellum Barucho Ieremiæ amanuenſi falsò attribui, evincit lingua græca, quâ ſcriptus eſt. Nihil enim cauſæ erat, cur peregrino ſermone alloqueretur populares ſuos, quos adverſus idololatriam confirmare ſtudebat. Ex hebraico græcum factum non eſſe, phraſis quæ tota eſt græcanica, oſtendit; quo κριτηρίῳ in dijudicandis & internoſcendis libris apocryphis priſcam quoque Eccleſiam uſam fuiſſe, teſtis eſt Euſebius lib.3.cap.19. His igitur tanquam ſcriptis humanis à Canone Scripturæ Sacræ ſequeſtratis, apparet totâ hâc ſecundâ Periodo Eccleſiæ V.T. regulam fidei ac vitæ fuiſſe Libros Moſis ac Prophetarum hactenus memoratos: atque ex eorum præſcripto cultus publici reformationem ſub piis Regibus eſſe inſtitutam. Samaritani tamen illi, qui Iſraëlitis deportatis ſucceſsére, quum quinque Libros Moſis reciperent, aliorum Prophetarum ſcripta, qui poſt Moſen ſcripſerunt, prorſus repudiarunt: In cauſâ videtur fuiſſe, quod primitus tantum Libros Moſis, non etiam Prophetarum accepiſſe, veriſimile ſit ab Iſraëlitico illo Sacerdote, qui à Rege Aſſyriorum mittebatur ad illos docendos, quiſquis tandem ille fuerit. Nam quod Epiphanius hæreſi 8. eum putat fuiſſe Eſram, quem etiam Damaſcenus ſecutus videtur, non tempori ſolùm, ſed etiam ipſi textui repugnat: qui teſtatur eum fuiſſe ex captivis Samariæ, 2 Reg.17.v.28. Poſteri verò horum Samaritanorum ideò pertinacius inhæſerunt erroneæ Majorum ſententiæ, quod ſedem ſacrorum ſuorum ſic facilius ſe tueri poſſe arbitrarentur.

Samaritani ſolos Moſis libros receperunt.

Gentilium libri Sacri.

*Iam de Libris Sacris Gentilium* aliquid hâc Periodo dicendum reſtat. Principio omnes Gentes, à populo Dei ſecretæ, ſolâ traditione acceptam à majoribus religionem conſervarunt atque propagarunt. Qui mos, maxime in Gentibus barbaris, ad Eccleſiam uſque N.T. perduravit: Ita quidem ut documenta Sacrorum verſibus, memoriæ causâ, illigarent, atque etiam decantarent. Id de Gallorum Druidibus teſtatur Julius Cæſar lib.5. Commentariorum. De Germanis idem affirmat Corn. Tacitus lib. de moribus Germanorum. At Gentes cultiores ſapientiæ præceptis imbutæ, Chaldæi ſive Babylonii, Ægyptii, Græci, & Romani, impulſu Diaboli, qui etiam in hoc genere

Digitized by Google

Period. II. artic. III.

genere pateſactionis veri Dei ſimius eſt, doctrinam religionis, ac totum Sacrorum apparatum literarum monumentis tradere cœperunt. Quod quidem uti non uno tempore aut loco, ita nec ab uno hominum genere factum legimus. Primi Legiſlatores, ſimulatis occultis cum Diis colloquiis, ad eos legum ſuarum originem retulerunt. Siquidem Mneves apud Ægyptios à Mercurio ſe leges ſuas accepiſſe gloriabatur, Zamolxis apud Getas à Veſtâ, Zathrauſtes apud Arimaſpos à bono Dæmone, Minos apud Cretenſes à Jove, Lycurgus apud Spartanos ab Apolline, Numa Pompilius apud Romanos à Deâ Egeriâ. Diodorus Siculus lib. 1. & Plutarchus in Numâ. Ex his porrò Mneven, Minoa, Lycurgum & Numam etiam ſcriptis mandaſſe eaſdem leges, ac publicis tabulis propoſuiſſe, eorundem Scriptorum, ſicut & Herodoti ac Livii fide doceri poteſt. Præterea Sybillæ quæ canebant oracula libris complexæ ſunt, ac ſcripta reliquerunt in uſum poſteritatis. Quod de Cumanâ teſtatur Lactantius lib. 1. cap. 6. Sed de reliquis vel hinc demonſtrari poteſt, quod refecto Capitolio Libri Sybillini non ex Italiæ ſolum, ſed etiam ex Græciæ Aſiæque civitatibus collecti, & Romam allati ſunt, ut in omnibus rebus dubiis conſuli & audiri per Augures, Duumviros, Decemviros, & tandem Quindecemviros poſſent, Livius 1 Decad. lib. 1. in Tarquinio Superbo, 3 Decad. lib. 7. & 4 Decad. lib. 2. & 10. Sic Lucanus lib. 1. & Claudianus lib. 1. Inſuper Poëtæ, maximè vetuſtiores, Orpheus, Linus, Muſæus, Homerus, Heſiodus, quorum aliqui etiam Theologi dicti ſunt, ob carmina quæ de Diis fecerunt, Theologiam ſuam literis mandarunt: ut eſt apud Auguſtinum lib. 18 de Civ. Dei cap. 25. & 37. Sicut de Homero referunt Bocchus, & ex eo Solinus lib. 8. quod multos Sybillæ Delphicæ verſus poëmatis ſuis intexuerit. Taceo ipſos Sacerdotes, Sacrorum antiſtites, paulatim quicquid ad religionem pertinebat, diligentiſſime conſignaſſe, & alios quoque, quorum intererat, docuiſſe: prout ex Herodoto, Diodoro Siculo, Varrone, Cicerone, aliiſque Scriptoribus antiquis manifeſtiſſimum eſt. Verum hæc poſterioris ævi fuêre.

Leges oraculo datæ.

Libri Sybillini.

Poëtarum vetuſtiorum carmina.

Sacerdotum libri.

Periodus V.T. tertia. Artic. I.

Quare ad *Tertiam Veteris Eccleſiæ Periodum* progredior. Sunt qui putant, incenſo templo Hieroſolymitano, & exciſâ Urbe, ſimul libros Moſis & Prophetarum conflagraſſe: atque ita *Primo* Periodi hujus *Articulo* Eccleſiam Judaicam, Babylone captivam, Scripturâ di-inâ prorſus caruiſſe: quæ demum per Eſdram reſtituta fuerit. Hæc pinio cum aliis, tum Irenæo lib. 3. cap. 25, tribuitur. Quem ſequunr Tertullianus lib. de habitu mulierum, Euſebius Hiſt. Eccleſ. lib. 5. p. 8. Auguſtinus item de mirabilibus Scripturæ lib. 2. circa finem.

Moſis & Prophetarum libri non perierunt.

Etſi

Period. III. artic. 1. Etſi ipſa autographia Moſis & Prophetarum fortè interciderunt, quæ periculi metu jam olim abſcondita fuerant, 2 Reg. 12. v. 8, 10, tamen apographa eorum, quæ in piorum manibus erant, & vulgò legebantur, ſervata, & in captivitatem quoque aſſumta fuerunt. Cui enim veriſimile videatur Ezechielem & Danielem prophetas, qui Legem, qui Prophetas docuerunt etiam in captivitate, eorum exemplaribus deſtitutos fuiſſe? Vide Danielem cap. 9. Aut quis credat inter tot pios, Sacerdotes, Levitas, Iſraëlitas, ne unum quidem extitiſſe, cujus animum cura illa ſervandi Codicis ſacri ſubierit? prout factum legimus ſub Antiocho Epiphane 1 Maccab. 1. v. 59. Præſertim cum ante excidium jam multi in captivitatem abducti eſſent, & poſt illud non pauci relinquerentur in Judeâ, quibus utrobique ſacrorum ſuorum libertas relicta fuit. Judæi quidem longè aliter rem interpretantur, non de ſimplici abolitarum Scripturarum reſtitutione, ſed de novâ earundem correctione, Eſdræ miniſterio factâ: teſte Eliâ Levitâ, itemque Rabbi David Kimchi. Quam ipſam ſententiam etiam alii Patres approbant, Athanaſius in Synopſi, Epiphanius de Epicuræis hæreſi 8. Hilarius præfatione in Pſalmos, & alii. Argumentum quod pro ſtabiliendâ illâ opinione ex lib. 4. Eſdræ cap. 14. petitur, nullius eſt momenti: tum quia liber ille apocryphus eſt, etiam Bellarmini confeſſione lib. 1. cap. 4. qui ſententiam quoque autoris rejicit lib. 2. cap. 1. tum quia alia etiam fabuloſa de libris ſacris ibidem memorantur.

In Captivitate acceſſit Ezechiel. Quare omninò ſuperfuerunt in populo captivo Moſis ac Prophetarum monumenta: quibus etiam tum alia acceſſêre ab Ezechiele & Daniele Prophetis concaptivis ſcripta. *Ezechiel* cum Jechoniâ Rege abductus in Babyloniam, quinto transmigrationis Jechoniæ anno captivis vaticinari cœpit, liberumque ſcripſit tantis refertum myſteriis, ut Hebræi à principii & finis illius lectione Juniores non minus excluſerunt olim, quam à trium priorum capitum Geneſeos, & totius Cantici Canticorum lectione: autoribus Origene præfat. in Canticum, & Hieronymo prologo in Ezechielem. Prophetia univerſa capitibus quadraginta octo abſolvitur. Partes ejus ſunt duæ. Prima continet viſionem plane admirabilem de vocatione Ezechielis ad munus propheticum, & confirmatione illius in iſto munere: capp. tribus. Altera continet prophetias ipſas per Ezechielem Eccleſiæ annuntiatas, eaſque geminas; alias de excidio regni Judaici & captivitate populi à cap. 4. ad 25. nec non de cladibus hoſtium & ruinis regnorum Judæos infeſtantium, à cap. 25. ad cap uſque 33. alias verò de reſtitutione Eccleſiæ tum corporali per reductionem populi è Babyloniâ in Judæam, tum ſpirituali per Chriſtum in carne patefactum,

abſol-

Digitized by Google

abſolvendâ in confirmatione mundi, à cap. 33. uſque ad finem. *Daniel* in tribu Judâ nobili genere natus, & ipſe in captivitatem deportatus fuit, ſed ſub Jehojakimo Rege, & in eâ perduravit uſque ad Cyrum Regem Perſonarum: pleniſſimus Spiritus prophetici, & ob id gratiſſimus Regibus, etiam idololatris Babyloniis & Perſis & ab iis magnis honoribus cultus. Nullus autem Prophetarum, teſte Hieronymo, apertius de Chriſto vaticinatus eſt. Neque enim ſolum ſcribit fuiſſe venturum, quod commune eſt cum cæteris: verum etiam quo tempore venturus eſſet, docet: & Reges per ordinem digerit, & annos enumerat, & manifeſtiſſima ſigna prænunciat, tanta dictorum fide, ut Prophyrio, Celſo, & ſimilibus non videatur futura prædixiſſe, ſed narraſſe præterita. Porphyrius quidem, Plotini Philoſophi diſcipulus, ex quindecim libris, quos contra Chriſtianos evulgavit, duodecimum ſigillatim oppoſuit Danieli, contendens non ab ipſo, cujus nomine inſignitur, eſſe compoſitum, ſed à quodam qui Antiochi Epiphanis ætate vixerit in Iudeâ, idque propter ſolam hiſtoriæ evidentiam ac veritatem. Rabbini etiam nonnulli ejus lectione abſtinere ſolent, quod caput novum tempus adventus, paſſionis ac mortis Meſſiæ clarè nimis deſignat. Tota Prophetia Danielis capitibus duodecim comprehenditur, & in partes duas commode diſtribuitur. Prior primis ſex capp. hiſtorica eſt, enarrans hiſtoriam tum ipſius Prophetæ ac ſociorum ejus; tum trium Regum, Nebucadnezaris & Balthazaris Babyloniorum, & Darii Medi. Altera eſt Prophetica à cap. 7. ad finem, quatuor viſionibus conſtans; de quatuor beſtiis cap. 7. de ariete & hirco inter ſe pugnante cap. 8. de Chriſto venturo ac paſſuro, deque excidio Hieroſolymæ cap 9. denique de ſucceſſoribus Alexandri M. uſque ad Chriſtum, de Antichriſto, reſurrectione mortuorum, & fine ſeculi, cap. 10. & duobus ſeqq. Sermo, quo exaratus eſt liber, duplex eſt, Hebræus & Chaldæus. Nam caput primum, & primi tres verſus cap. 2. hebræo, à v. 4. cap. 2. ad finem uſque cap. 7. omnia chaldæo, quinque ultima capita rurſus hebræo ſermone ſunt perſcripta. Didicerat enim Daniel in Babylone juſſu Regis, linguam, & literas Chaldæorum. Impulſu autem divino linguâ illa, quantumvis peregrinâ, in ſcribendo uſus fuit, ut fides hiſtoriarum illarum, quæ ex actis publicis Chaldæorum depromtæ erant, apud exteros integra permaneret, ac Deus eo pacto de regibus gentibuſque exteris, eorum ſermone, operâ Prophetæ ſui velut triumpharet. *Additiones*, quæ in Vulgatâ verſione Danieli ſubjunguntur, meritò ut apocryphæ rejiciuntur; tum quia in Canone Hebræo non exſtant: tum quia in Adjectionibus illis reperiuntur manifeſtè falſa, & cum authentico Daniele pugnantia:

Period. III. artic. I. Daniel.

Additiones ad Danielem apocryphæ.



gnantia:

Digitized by Google

Period. III. artic. I. gnantia: ut quod dicitur fuiſſe de tribu Levi, filius Habdæ Sacerdotis, quod *αὐτονομίᾳ* ſuâ, & judiciorum capitalium privilegio Iudæi etiam captivi gaviſi fuerint; & quod per ea Daniel jam puer innotuerit. Illud conſtat, additamenta hæc non aliunde ad nos perveniſſe, quam ex Theodotionis, olim hæretici Marcionitæ, mox apoſtatæ Iudæi impurâ verſione. Unde Hieronymus ea ex Canone ſuſtulit, veruque (ut loquitur) jugulante expunxit.

Artic. II. Reduces ex Babylone

Poſt Captivitatem Babylonicam, *altero Periodi hujus Articulo*, cum populus, ducibus Zorobabele, Ioſuâ, atque Eſdrâ, in Iudæam remigraſſet, juſſu atque autoritate divinâ, duo circa S. Scripturam ſuſcepta ac præſtita fuêre. Primò enim novi quidam libri exarati ſunt, abſolvendo Canoni V.T. Deinde tum illi ipſi, tum cæteri omnes à Moſe & Prophetis ante ſcripti, collecti, emaculati, & in certas claſſes, Eſdræ potiſſimum ac aliorum operâ, diſtributi fuerunt. De utroque priuſquam agamus, illud ante omnia expediendum videtur, quâ linguâ ſcripſerint Prophetæ poſt captivitatem, quâ item populus Iudaicus in vitâ

quâ linguâ uſi.

communi tum uſus fuerit. Bellarminus lib. de verbo Dei cap.4. uti alii quoque contendunt; Iudæos cum abducti eſſent in Babylonem, cœpiſſe oblviſci linguæ ſuæ, & addiſcere linguam alienam, hoc eſt, Chaldaicam. Quod tamen perfectè eam pronunciare non poſſent, & ſemper aliquid ex Hebræâ retinerent, hinc factum ut lingua quædam tertia naſceretur, mixta ex Hebræâ & Chaldæâ, atque eam eſſe quam pro vulgari ac maternâ deinceps Hebræi habuerint, quæ Syriaca dicta fuerit à dialecto Syrâ, & Hieroſolymitanâ, à gentis metropoli Hieroſolyma. Verùm quidquid ſit de populari linguæ uſu, certum eſt Prophetas poſt captivitatem hebraicè non minus, quam etiam Prophetas autores ſcripſiſſe, ſi excipiantur partes quædam libri Eſdræ, nimirum à v.8. cap.4. uſque ad extremum cap.7. niſi quod à verſiculo 19. cap.6. uſque ad v.11. cap.7. hebraica chaldaicis interpoſita. Sic menſium quædam nomina apud Zachariam Prophetam Chaldaica ſunt. Apud Eſdram, quæ Chaldaice leguntur, pleraque meras recitationes continent literarum publicarum à Regibus Perſicis eorumque Præfectis de rebus Judaicis ſcriptarum. Quæ ipſa tamen charactere hebræo exarata erant, & à Iudæis facile intelligebantur, quod ob diuturnum apud Chaldæos exilium utriuſque linguæ Hebraicæ & Chaldaicæ, ſecus quam ante 2 Reg 18.v.28 periti eſſent. Idem de partibus illis, quæ apud Danielem exſtant, pronunciamus. Atque hæc Chaldaica lingua, Danielis & Eſdræ monumentis expreſſa, uti purior, ſic eadem tum erat cum Syriacâ. Recentiores autem illius, quæ lapſu temporis paulatim ſucceſſit, alia eſt ratio: utpote quæ pro fortunâ gentis Judaicæ,

Digitized by Google

daicæ, Arabicis, Perſicis, Græcis, & Romanis vocibus variè permiſce- Period. III.
tur. Hæc verò eſt, quæ nunc dicitur Syriaca, & Hieroſolymitana; cui artic. II.
Hebræa illa antiqua Moſis & Prophetarum, non ſolum foro, totaque
Judæâ, ſed etiam ſocietate explicandæ Legis & Prophetarum, ſcriptâ
Paraphraſi Caldaicâ, ceſſit; ipſa poſt tot mutationes in templum &
ſynagogas quaſi relegata. Proinde lingua Judæorum poſt captivita-
tem vulgaris & popularis, non fuit purè Hebraica, ſed corrupta exter-
narum vocum admixtione. Nec minus tamen Hebraica dicta fuit
Nehem. 13. v. 24. Act. 25. v. 14. coll. cum cap. 21. v. ult. & cap. 22. v. 2.
cum tamen eſſet dialectus peculiaris linguæ puræ, quam aſſidue lege-
bant & intelligebant in libris Moſis & Prophetarum; teſte Joſepho
lib. 2. contra Appionem. Iam de reliquis V.T. libris dicamus, qui Poſt Cap-
poſt reditum ex captivitate Babylonicâ ſcripti cenſentur. Sunt au- tivitatem
tem duorum generum, alii Hiſtorici, alii Prophetici. Hiſtorici ſunt Li- ſcripti
bri Chronicorum, Liber Eſdræ, Nehemiæ, & Eſtheræ. *Libri Chronico-* Libri
*rum* ſive Annalium, Hebræis דִּבְרֵי הַיָּמִים Verba dierum, Græcis Chroni- corum.
*παραλειπομένων* ſive Præteritorum libri appellantur, ab Eſdrâ, ut He-
bræis videtur, compoſiti. Qui quidem diverſi ſunt ab illis, qui in li-
bris Regum, Verba dierum Regum Judæ & Iſraëlis appellantur. Quip-
pe in his nihil eſt de ſolio eburneo Achabi 1 Reg. 22. v. 39. nihil de
Menahem Rege Iſraëlis 2 Reg. 15. v. 21. ſicut nec de filiis Ioæ (de
quibus 2 Chron. 24. v. 27.) quicquam eſt in commentario Regum
illic memorato: ut hinc pateat, ibi quoque librum notare diverſum
à libris Regum, quos in Canone habemus. *Prior liber* poſt genealo- Primus.
gias ab Adamo uſque ad Eſdræ tempora & reditum ex captivitate
Babylonicâ primis novem capitibus deductas, cum interitu Saulis
integram regni Davidis hiſtoriam contexit, uſque ad finem cap. 29.
*Poſterior* verò ab initio regni Salomonis progreſſum & finem regni Ju- Secundus.
dæ ad reditum uſque ex captivitate Babylonicâ ordine commemorat,
capitibus triginta ſex. Poſt Chronicorum libros *Eſdra* hiſtoriam populi Eſdras.
ex captivitate reducis deſcribit capitibus decem. Et primò quidem
narratur ipſa populi liberatio, capp. primis quatuor: inde à cap. 5.
uſque ad 9. Templi reædificatio: & duobus poſtremis capp. aliena-
rum mulierum ſeparatio exponitur. Præter hunc librum tres alii par-
tim ipſi attribuuntur, partim nomine ipſius inſcribuntur. Sed liber *ſe-* Ψευδεπίγραφοι
*cundus* eſt ipſius Nehemiæ; ut docet inſcriptio cap. 1. v. 1. qui paſſim Eſdræ.
de ſe in prima perſonâ loquitur. *Tertius* & *quartus* communi ferè ſen-
tentiâ pro apocryphis habentur: adeoque ipſe Bellarminus repre-
hendit Genebrardum, quod quartum Eſdræ, fabulis Judaicis ſcaten-
tem, ad Canonem refert, lib. 1. de Verbo Dei cap. 20. Ergo liber *Ne-*



Digitized by Google

Period. III. artic. II. Nehemias. *hemia* eſt ipſius, & primis ſeptem capitibus de Urbis deſolatæ reſtitutione agit: deinde à cap. uſque ad finem cap. 13. memorat, quomodo labaſcens Dei cultus ac neglecta diſciplina ſecundum Legem per ipſum ſit reſtituta, Supereſt liber *Eſthera*: cujus autorem Iſidorus lib. 6. Orig. cap. 2. facit Eſdram: alii referunt ad Mardochæum patruum & nutricium ipſius; quorum ſententiam juvant; quæ habentur cap. 9. v. 20. Philo autem Iehojakimo Pontifici, Iohoſuæ ſucceſſori, eum adſcribit. Nec minor de tempore, quo illa geſta ſunt eſt controverſia. Duæ tamen præcipuæ ſunt ſententiæ: Una Hebræorum, quam etiam Iunius & Scaliger approbant, Aſſuerum illum eſſe Xerxem, Darii, Hiſtaſpis filium. Altera Ioſephi lib. 11. antiq. cap. 6. nec non Sulpitii Severi lib. 2 hiſt. ſacræ, eſſe Artaxerxem Longimanum, Liber univerſus capitibus decem, partibus tribus finitur. Primò narratur evectio Eſtheræ ad conjugium Aſſueri & regnum Perſicum: cap. 1. & 2. Deinde exitiale Hamanis in Iudæos conſilium exponitur, à cap. 3. ad 6. uſque. Tertio additur liberatio Judæorum per Mardochæum & Eſtheram, nec non ipſius Mardochæi ſumma in monarchiâ Perſicâ dignitas: à cap. 6. uſque ad finem. Reliqua ſeptem capita, quæ decem Canonicis vulgo adjiciuntur, apocrypha eſſe liquet ex his, quæ habent aliena, & cum illis pugnantia, alibi nobis memorata. Nec hujus temporis eſſe, id argumento eſt, quod Hamanem gente Macedonem, ſcilicet Monarchiam à Perſis ad Macedonas transferre conatum eſſe falſo affirmatur cap. 16. v. 14. Hæc de Hiſtoriis. Libri Prophetici ſunt ſcripta poſtremorum Prophetarum, qui poſt reditum è Babylone prophetarunt, Haggæus, Zacharias & Malachias. *Haggæus* primâ libelli ſui parte, capite videlicet primo & initio ſecundi, reprehenſis populi peccatis, eum ad continuandam & abſolvendam templi ædificationem exhortatur: parte verò alterâ vaticinatur de adventu Chriſti, & gloriâ templi ſecundi à Chriſto; reliquo capite ſecundo. *Zacharias* ac σύγχρονος, eadem penè urget & agit. Prophetia ipſius univerſè capitibus quatuordecim, partibus tribus abſolvitur. Primùm enim ſex primis capitibus variis viſionibus non modo popu'um, ſed & Iehoſuam Pontificem, & Zorobabelem Ducem ad templi ac cultus Divini reſtaurationem excitat & hortatur. Secundò occaſione quæſtionis cujuſdam de Jejunio, quod Judæi exulantes Babylone inſtituerant, copioſius tradit doctrinam de vero Dei cultu, contra cultus humanos, capp. 7. & 8. Tertiò à cap. 9. uſque ad finem de adventu Meſſiæ, illius beneficiis erga Eccleſiam, & judiciis adverſus hoſtes clariſſimè vaticinatur & vix ullus eſt Propheta, in quo plures circumſtantiæ totius vitæ & converſationis Chriſti Servatoris noſtri annotantur.

Eſther. | additiones apocryphæ. | Haggæus. | Zacharias.

*Mala-*

Digitized by Google

*Malachias* utroque illo poſterior fuit: ut qui ædificato jam templo munus ſuum inchoavit: Prophetarumque omnium ultimus in V. T. à plerisque habetur. Hebræi Doctores eum putant eſſe Eſdram Scribam, quod eam inſectetur in ſuâ prophetiâ, quæ & Eſdras nono ac decimo libri ſui capitibus. Origenes nomine deceptus, non hominem, ſed Angelum fuiſſe credidit: quia Maleachi Hebr. angelum ſignificat; quod refellit Hieronymus in procemio. Fuit igitur peculiaris propheta, ab aliis diverſus, quem Epiphanius, libro de vitâ ac morte prophetarum, ait fuiſſe de tribu Zabulon, ac obiiſſe juvenem. Prophetia ejus quatuor capitibus, & duabus partibus comprehenditur. In priore objurgat peccata Sacerdotum & populi circa cultum Dei ac conjugia & utroſque ad ſeriam reſipiſcentiam cohortatur, cap. 1. & 2. In alterâ ſolatur pios promiſſione adventus Chriſti & Iohannis Baptiſtæ, prodromi ipſius, jubetque ut interea temporis meditentur Legem Moſis, & ei conſtanter adhæreant cap. 3. & 4. Ab hoc tempore poſt Eſdram & Malachiam, in Eccleſiâ Judaicâ V. T. ordo atque ſucceſſio Prophetarum abrupta fuit, & ſcriptio quoque θεόπνευςος ac prophetia uſque ad tempora N. T. defecit. Etſi enim deinceps non pauci eximiis Spiritus Sancti donis exornati fuerunt, ad illuſtrandam doctrinam & vindicandam Eccleſiam; vocatione tamen propheticâ caruerunt, nec munus Prophetarum proprium in Eccleſiâ Judaicâ obiverunt aut exercuerunt. Quod quidem ex monumentis Sacris & Eccleſiaſticis non difficile eſt probatu. Clara ſunt verba Malachiæ in eam ſententiam. Nam concludens prophetiam hortatur populum ad diligentem lectionem & meditationem Legis, donec veniat Elias, Chriſti prodromus cap. 4. v. 4, 5. innuens, alium interea prophetam non exſpectandum. Ideò cum hâc clauſulâ Veteris Teſtamenti initium Novi Teſtamenti apertè connectitur Marc. 1. v. 1, 2. & Luc. 1. cap. Idem ex aliis teſtimoniis Sacris & Eccleſiaſticis manifeſtum eſt. Eſai 30. v. 20. Pſal. 74. v. 9. 1 Maccab. 4. v. 46. Doctores quoque Hebræi non ſine ratione & autoritate tradunt, quinque omnino ornamenta defuiſſe templo ſecundo, quibus primo inferius fuerit; Præſentiam Jehovæ, dantis reſponſa ex propitiatorio; Donum prophetiæ, quo divinitus afflabantur Prophetæ; Ignem ſacrum, inflammandis ſacrificiis cœlitus delapſum; Urim & Thummim; Arcam fœderis cum propitiatorio & Cherubinis. Secundum autem ſic interpretantur; non quaſi chariſmate prophetico prorſus caruerit, ſed quod illud reſtituta Eccleſia mox defecerit, ſtante adhuc Perſarum monarchiâ. Quod ipſum Joſephus quoque lib. 1. contra Appionem, nec non vetus chronicon Hebræorum Seder Olam, teſtantur; & Auguſtinus lib. 17. de Civit. Dei,

Period. III. artic. II. Malachias.

Defectus Prophetarum.



Digitized by Google

Period. III. artic. II.

Dei, cap. ult. diſertè comprobat. Atque ita habet hiſtoria Librorum ſacrorum V. T. ordine temporis, quo ſcripti ſunt ſinguli, digeſta.

S. Scripturæ in unum codicem collectio.

Reſtat ut collectionem eorum in unum codicem ſacrum, & à ſe invicem diſtinctionem cognoſcamus. Quam curam atque operam Doctores Hebræi, & Patres quoque, Eſdræ ac collegis ipſius, Magnæ Synagogæ viris, magno conſenſu tribuunt. In incendio templi perierat liber Legis authenticus, in capſâ Eccleſiæ reconditus: perierant quoque autographa aliorum Prophetarum. Et quæ in piorum manibus erant exemplaria, variè & à variis deſcripta, mendis ſuis & ſphalmatis, uti fit, non carebant. Præterea circumferebantur, atque etiam legebantur libri, non tantum à Prophetis, ſed etiam ab aliis, ſive viris Eccleſiaſticis, ſive etiam Pſeudoprophetis confecti; non ſine certo erroris periculo.

facta à viris Synagogæ magnæ.

Igitur reædificatio jam templo, ac cultu divino reſtituto, Magna, quam diximus Synagoga, ſive viri ejus numero C X X. hanc quoque partem Reformationis Eccleſiaſticæ aggreſſi ſunt. Caput & præſes univerſorum erat Eſdras, ſacerdos & ſcriba, Legis divinæ peritiſſimus, & in totius Sacræ Scripturæ tractatione & deſcriptione exercitatiſſimus. Unde etiam *κατ' ἐξοχὴν* סוֹפֵר hoc eſt, *γραμματεὺς* ſive Scriba appellatur, Eſd. *7.* v. *6.* &.alibi, tam à ſcribendo ſic dictus, quam ab explicandis iis, quæ in Sacris literis comprehenduntur. Utrâque enim laude excelluit in Eccleſiâ reduce, v. 10, 11, 12. Poſt Eſdram eminebant in cœtu illo Haggæus, Zacharias, Malachias prophetæ; Zorobabel & Nehemias Duces; Iehoſua ſummus Sacerdos, aliique primarii Sacerdotes ac Levitæ, & quotquot pietatis in populo lumina & columina fuerant. Hi omnes communi conſilio ſelegerunt, & collegerunt ſcripta Moſis ac Prophetarum, numerum eorum definiverunt, certumque librorum ſacrorum Canonem, ſeparatis ſcriptis heterogeneis condiderunt. Examinarunt inſuper ipſos libros authenticos & canonicos, ne quid alienum pravumque, ſive temporum injuriâ, ſive hominum incuriâ ipſis adſcriptum continerent. Sunt denique qui volunt, quum publicum exemplar authenticum deſideraretur, loco illius ex privatis exemplaribus inter ſe collatis, autore Dei Spiritu, confeciſſe unum, quod authenticum deinceps haberetur, aſſervareturque, ut communis aliorum canon.

itemque diſtributio, in claſſes majores.

Conſtituto numero Librorum Canonicorum, iiſque in unum Scripturæ corpus redactis, diviſerunt illud in tres partes principales: nempe תּוֹרָה *Legem,* נְבִיאִים *Prophetas,* & כְּתוּבִים *Scripta ſancta*, quæ Hagiographa nobis dicuntur. Hanc diviſionem probavit Salvator noſter Luc. 24. verſ. 24. totam V. T. Scripturam diſtribuens in Legem, Prophetas, & Pſalmos. Ubi Pſalmi ponuntur pro omni-

Digitized by Google

omnibus libris, qui Hagiographorum parte continentur. Porrò tres Period. III.
hæ partes poſtea fuerunt ſubdiviſæ in alias, libri etiam ſuo ordine col- artic. II.
locati. *Lex* pro diverſitate materiæ, & hiſtoriæ ſubdiſtincta fuit in libros quinque, qui Hebræis à vocibus initialibus, Græcis ac Latinis à materiâ denominantur: Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomion: de quibus ſupra. *Prophetæ* ſubdiviſi in נביאים ראשונים Prophetas priores, & נביאים אחרונים Prophetas poſteriores. Priores quatuor numerati, qui librorum Joſuæ, Judicum, Samuelis, & Regum titulis nominantur, ſic dicti, quod iſtis in libris de primis Prophetis agitur. In his Samuelis pro uno libro, Regum ſimiliter pro uno primitus recenſitus fuit, qui poſtea in duos diſtincti. Hinc Samuel propheta appellatur Act. 13. v. 20. Poſteriores Prophetæ itidem quatuor, Eſaias, Jeremias, Ezechiel, & duodecim Minores. Hi poſtremi in unum Librum conjuncti fuerunt, ne parvitate ſuâ diſtraherentur aut perirent. De quibus eſt Act. 7. v. 42. ſicut ſcriptum eſt in libro Prophetarum, hoc eſt Prophetarum minorum, nempe Amos. 5. verſ. 25. *Hagiographa* ſunt omnes reliqui libri. Dicti autem fuerunt Hebraicè כתובים Scripta, per ſynecdochen generis, ſcilicet Sancta; eò quod fuerint ברוח הקדש per Spiritum Sanctum ſcripta, id eſt, per immediatum Spiritus Sancti inſtinctum, non autem Spiritu prophetico, aut per prophetiam propriè ſic dictam, quæ futurorum eſt prædictio. Sic Daniel & Eſdras quaſi hiſtorici habiti ſunt, divino inſtinctu hiſtoriam Eccleſiæ pertexentes, quo & Chronicorum libri pertinent. David & Salomon majori parte ſcripſerunt, quæ ad doctrinam ac inſtitutionem ſpectant, etſi in Davide multa quoque prophetica inveniuntur. Quinque libelli parvi, quos חמש מגלות vocant, ſimiliter ut didactici & hiſtorici judicati ſunt. Hagiographa autem primitus numerati fuerunt libri novem, Pſalmi, Proverbia, Job, Canticum, Eccleſiaſtes, Eſther, Daniel, Eſdras, Chronica. Ubi Eſdras Nehemiam quoque comprehendit, & duo Chronicorum libri pro uno ſumuntur. Liber Ruth autem ad librum Judicum propter hiſtoriæ continuationem fuit relatus, & Threni ad Jeremiam, propter eundem autorem. Hâc diſtinctione libri Biblici in univerſum computati fuerunt XXII. juxta numerum literarum Hebraicarum. Id patet ex Ioſepho lib. 1. contra Appionem, tum etiam ex primis Patribus Eccleſiæ Chriſtianæ; de quibus ſuo loco. Rabbini in Hagiographis numerant libros undecim, relatis eum in ordinem Ruth & Threnis, univerſos

Digitized by Google

Period. III artic. II.

verſos autem libros Codicis Sacri XXIV ſupputant. Unde & deinceps Biblia appellata fuerunt in hunc uſque diem עשרים וארבעה Viginti quatuor. Hujus diſtinctionis meminit etiam Hieronymus in Prologo Galeato.

In Sectiones.

Poſt diviſionem Librorum Sacrorum in certas claſſes ſive ordines, ſingulos libros in ſectiones, tum majores, tum minores diſpeſcuerunt. Majores ſunt non quæ nunc Capita appellantur, ſed ſeparatæ & diſtinctæ partes textus ſacri, quæ unoquoque Sabbatho in Synagogis legebantur: Hebraicè dictæ פרשות à ſingulari פרשה à radice פרש; quod verbum hoc ſenſu ſemel legitur Ezech. 34. v. 12. In textu Sacro notatur per tria majuſcula פ, & quandoque per tria majuſcula ס: quorum illa ſectionem apertam, iſta clauſam ſignificant. Sectiones totidem fuerunt, quot erant in anno Sabbatha: quo ita ſingulis annis perlegi poſſent, & finiri in feſto tabernaculorum, rurſumque ſequenti Sabbatho ab initio repeti. Hæc diviſio ante ætatem Eſdræ in ſolo Moſe obtinuit. Sed cum abrupta eſſet Captivitate, non tantum in Moſe renovata, ſed etiam in Prophetis; & ut nonnulli volunt in Hagiographis quoque inſtituta fuit: Actor. 15. verſ. 21. & cap. 13. verſ. 27. ut ſectiones Propheticæ Moſaicis ſenſu, vel memoriali quodam ſymbolo reſponderent: eaque peculiari nomine הפטרות dicebantur à radice פטר liberari, liberum demittere, quod eâ lectione peractâ populus dimitteretur. Minores Sectiones ſunt Verſus illi, quibus majores Sectiones, Paraſchoth & Haphtaroth dictæ, adeoque toti libri diſtinguebantur, appoſitâ diſtinctionis notâ Soph paſuk: quod ibi cujuſque verſus finis eſſet. Ante enim totus libri contextus cohærebat, continuâ vocum ſerie, abſque omnibus cauſarum, vel majorum diſtinctionum aut periodorum notis. Qualis forma eſt libri Legis convoluti, qui in Synagogis Judæorum in arcâ ſanctâ ad lectiones ſolennes publicas ſervatur, & etiamnum hodie ſine illis verſuum atque etiam punctorum & accentuum ſignis viſitur. Minutiora alia circa voces & literas, nec non earum dinumerationem ſciens prætereo. Nec repetam quæſtionem de punctis vocalibus, aut novis characteribus adhibitis; quæ alibi expedita eſt.

Apocryphi repudiati.

Ex his jam colligere promtum eſt, cæteros libros, qui præter ſcripta Moſis & Prophetarum variis temporibus & occaſionibus confecti editique ſunt, ab Eſdrâ & Magnæ Synagogæ viris non receptos aut approbatos, neque in Canonem Hebræum relatos fuiſſe. Unde etiam Apocryphi dicti ſunt; vel quod abeſſent ἀπὸ τῆς ἁγίας κρυπτῆς, à ſanctâ illa cryptâ & theſauro Eccleſiæ, in quo ſoli libri Canonici reponebantur: vel ἀπὸ τοῦ

ἀπο-

Digitized by Google

ἀποκρύπτειν ab occultando, quod illi libri non omnibus proponerentur, nec in templo aut Synagogis uti iis liceret, dignique eſſent, qui abſconderentur magis, quam qui legerentur; ut concinnè Athanaſius interpretatur in fine ſynopſeos. Auguſtino tamen placuit Apocryphos dici propter occultam originem, quæ non cláruit Patribus: ſicut ἀποκρυφὴ latibulum ſignificat; lib. 15. de Civit. Dei cap. 23. & contra Fauſtum Manichæum lib. 11. cap. 2. Ejuſmodi Apocrypha multa exſtiterunt in V. T. pleraque ſub Sanctorum nominibus conficta; quæ refert Athanaſius in Synopſi: Henoch, Patriarchæ, Oratio Joſephi, Teſtamentum Moſis, Aſſumtio Moſis, Abraham, Eldad & Medad: aliique libri Eliæ, Sophoniæ, Barucho, Abacuco, Ezechieli & Danieli prophetis, & alius Zachariæ, patri Johannis, falſo inſcripti. Meminit & Origenes lib. 3. περὶ ἀρχῶν cap. 2. libelli de adſcenſione Moſis, ex quo exiſtimat in Epiſtolâ Judæ citari illa de contentione Michaëlis & Satanæ ſuper corpore Moſis. Præcipuè tamen eò referendi ſunt libri illi Eccleſiaſtici, qui in Vulgatis editionibus libris Canonicis V. T. uſitatè ſubjiciuntur, ſuis ſinguli locis à nobis notati: Sapientia Salomonis, prout vulgò appellatur, Liber Tobiæ, Oratio Manaſſis, Epiſtola Jeremiæ, Judith, Baruch, Ajectiones ad Danielem, Eſdræ liber tertius & quartus, & Adjectiones ad Eſtheram. Reliqui quatuor infra ſuo loco memorabuntur. Quando verò iidem libri cum Canonicis conjungi, unoquoque volumine comprehendi & legi cœperint, non ſatis claret ex monumentis Veterum. Probabile tamen videtur id factum demum poſt Verſionem Græcam, à LXX. aut aliis editam: Græca enim græcis facilius aptari potuerunt: inprimis cum ipſa dogmata non malè convenirent, & in Apocryphis hiſtoricis pertexeretur ſeries rerum Judaicarum, ab exceſſu Prophetarum uſque ad Chriſtum. Hujus opinionis argumentum non leve eſt, quod Ioſephus ἀρχαιολογίας ſuæ libros non tantum ex Canonicis Vet. T. ſcriptis, ſed etiam ex ipſis apocryphis concinnavit: licet diſcrimen, quod eſt inter utraque, lib. 1. contra Appionem, non diſſimulet, ſed evidenter declaret. Notæ ex quibus Apocrypha ejuſmodi ſive adulterina agnoſci, & à verè Canonicis diſcerni queunt, duæ ſunt potiſſimæ. Una intrinſeca, quod non ſunt libri Prophetici: utpote nec à Prophetis profecti, nec linguâ propheticâ, hebræâ, ſcripti, nec denique doctrina propheticâ, per omnia cum Prophetis conſentiente, inſtructi, 2 Pet. 1. verſ. 19, 20, 21. Altera extrinſeca, quod ab Eccleſiâ Judaicâ, vel etiam à Synagogâ magnâ, cui Eſdras præfuit, nunquam approbati ſunt, ut Canonici; vel in Canonem, cujus partes tantum ſunt Lex, Prophetæ & Hagiographa, relati, Luc. 24. verſ. 24. Atque

Period. III. artic. II.

quando conjuncti Canonicis.

Notæ Apocryphorum.



Digitized by Google

Period. III. artic. II. hæc de libris Canonicis V. T. atque etiam Apocryphis dicta ſufficiant.

Artic. III. Scripturæ verſio in Græcam ſermonem. Pergimus igitur ad *Tertium* eumque ultimum Articulum hujus *tertiæ Periodi*, quo libri Sacri ſive Canonici V. T. qui couſque linguâ Hebræâ tantùm exſtabant, & publicè privatimque legebantur, in linguam Græcam tranſlati, eâdem quoque uſurpari, ac innoteſcere cœperunt. Quod quidem non ſine ſingulari Dei providentiâ factum eſt, partim ad utilitatem Judæorum Helleniſtarum, qui in tot peregrinationibus, quibus ſub Alexandri Magni ſucceſſoribus jactitati, ſermonis patrii paulatim obliti fuerunt: partim etiam in gentium uſum, ut iis myſteria religionis Judaicæ quodammodo innoteſcerent, & ſic ſenſim ex præpararentur ad recipiendum Euangelium, Chriſto exhibito ipſis prædicandum. De quo Euſebius lib. 8. de præparat. Euangel. cap. 1. Cæterum quo tempore Verſio græca V T primùm adornata fuerit, non ſatis convenit inter Scriptores Eccleſiaſticos. Qui longiſſimè abeunt, affirmant, ſtante adhuc Perſarum Monarchiâ, ante Alexandri M. imperium, Scripturas ab incerto autore græcè fuiſſe verſas: ſed quæ non multò poſt neglecta interciderit. Ita Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatôn, & Euſebius lib 8. præparat. Euang cap. 1. qui ſententiæ iſtius autorem allegant Ariſtobulum Judæum ad Ptolomæum Philometora. Alii initium referunt ad Ptolomæi Lagi regnum, teſte eodem Clemente Alexandrino lib. 1. Stromat. nec non Irenæo lib. 3. cap. 25. ſub quo Judæi, qui in occupandâ Ægypto adjutores fuerant Alexandro, cives Alexandrini jure Macedonico facti ſunt, ut ſcribit Ioſephus lib. 12. cap. 1. atque etiam Synagogas ſuas habuerunt. Sed quicquid ſit de hiſce verſionibus, communis ſententia, quâ Veterum, quâ recentiorum, primam antiquiſſimam & auguſtiſſimam interpretationem ſtatuit LXX Seniorum, auſpiciis Ptolomæi Philadelphi adornatam, anno 17 regni ipſius, ut notat Epiphanius, ducentis triginta, ut Athanaſius vult, ad minimum annis ante Chriſtum; quanquam Epiphanius plures ſupputat. Hanc Scriptores antiqui magnis encomiis celebrant, Philo lib. 2. de Vita Moſis; Joſephus lib. 12. Antiq. cap. 2. Tertullianus in Apologetico cap. 18. Euſebius lib. 8. de præparat. Euang. cap. 1. Athanaſius in Synopſi, Epiphanius de menſuris & ponderibus; Hieronymus præfatione in Pentateuchum, & Auguſtinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 45. Quin exſtitit olim libellus Ariſteæ, de hâc verſione LXX peculiariter ſcriptus, & â Joſepho, Tertulliano, aliiſque laudatus: qui nunc reperitur in Bibliothecâ Patrum tomo VII. editionis ſecundæ: ſi tamen ſit ille ipſe, qui cum ipſis LXX. vixit. Quare de hâc verſione paulo operoſius nobis eſt agendum. Ptolomæus Philadelphus Lagi filius, Regum ſui temporis eruditiſ-

quando facta.

LXX Seniorum.

Hiſtoria ejus.

Digitized by Google

ditiſſimus, cum bibliothecam Alexandriæ multis jam librorum millibus undecunque comportatis inſtituiſſet, cognoviſſetque divinos libros Moſis ac Prophetarum, docentes de Deo & mundi creatione aliiſque Religionis dogmatis, apud Judæos literis & linguâ eorum conſcriptos haberi ſuggeſtu Demetrii Phalerei, principis literatorum, quem bibliothecæ ſuæ præfecerat, ab Eleazaro, tum temporis Pontifice Judæorum, & libros, & interpretes petiit, ac impetravit, à quibus Hebraici illi libri græcè verterentur, in bibliothecâ regni poſtmodum reponendi. Fuerunt autem Interpretes illi LXXII. numero, ſed propter rotundationem LXX uſitatè appellantur, ſeni nimirum ex unaquaque tribu, ut refert Joſephus, delecti. Neque obſtat, quod decem tribus, ex quo in Aſſyriam deportatæ ſunt, in patriam nunquam redierunt. Nam tribubus Judæ, Benjamin, & Levi, quibus reditus in patriam conceſſus à Cyro, multi ex omnibus tribubus ſeſe adjunxerant. Nomina Interpretum Joſephus dicit ſponte ſe præterire; niſi quod Eliſæi Sacerdotis inter eos meminit; & Damaſus Papa multorum aliorum, epiſtolâ ad Hieronymum. Univerſi autem Seniores appellantur, non quod eſſent omnes de Senatu Sanhedrin, ſed quod ætatu provectiores, eoque in libris Sacris totâque religione exercitatiores eſſent. Quid porrò verterint, Utrum integrum Codicem ſacrum, an verò Legem Moſis duntaxat? diſcrepant autorum ſententiæ. Poſterius aſſerit Joſephus lib. 12. cap. 2. & Judæi alii, ut refert Hieronymus. Contra Juſtinus Martyr oratione ad Antoninum Epiphanius de menſuris & ponderibus, & Baſilius præfat. in Pſalmos prius tenent, & facilius etiam perſuadent. Neque enim Rex Ptolomæus contentus fuiſſet ſolius Pentateuchi tranſlatione. Et cum Aquila, qui primus poſt LXX vertit, ſub Adriano Imperatore floruerit, Eccleſia Græca eouſque lectione librorum Propheticorum caruiſſet. Certe Origenes in Hexaplis edidit integram Verſionem omnium librorum V. T. ſecundum LXX. Unde illa, ſi LXX non omnes libros græcè reddiderunt? Commentum de cellulis, quibus ſigillatim aut bini recluſi LXX. opus abſolverint, meritò irridet Hieronymus prologo in Pentateuchum. Ex Ariſteâ autem, qui negotio interfuit, nec non ex Joſepho refert, eos in unâ baſilicâ congregatos quotidie inter ſe contuliſſe de verſione in horam uſque nonam, & ſic conferendo Verſionem ſtato tempore feliciter abſolviſſe. Porrò quanta ſit ac eſſe debeat Verſionis hujus Autoritas jam olim diſceptatum eſt inter eruditos. Quia enim Eccleſiæ communiter utebantur hâc interpretatione, multis ſic ea probata fuit, referente Auguſtino lib. 15. de Civit. Dei cap. 11. ut divinam eſſe, & interpretes in eâ errare non potuiſſe contenderent. Quam ſententiam & ipſe Au-

*Ferio I. III. artic. III.*

*Eſt totius V. T.*

*Autoritas humana eſt.*

Period. III. artic. III. guſtinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 44. ſub finem, & alibi paſſim conſtanter ſequitur. Ex recentioribus eadem tuetur Bellarminus lib. 6 de Verbo Dei cap. 6. Sed verior eſt ſententia Judæorum, tum etiam Hieronymi ac aliorum, LXX Interpretes eximiis licet Spiritus Sancti donis præditos, & magnâ fide atque induſtriâ in toto opere verſatos, divinam tamen autoritatem non habuiſſe, ſed ut homines errare in interpretatione potuiſſe, & revera alicubi erraſſe. Etenim Judæi non pauca in eâ notarunt ac deſiderarunt, tam Juſtini Martyris, quam Auguſtini & Hieronymi ætatibus, à fontibus Hebræis devia. Iuſtinus dialogo cum Tryphone, Auguſtinus de Civit. Dei lib. 28. cap. 42. & Hieronymus in diverſis præfationibus; etſi alioquin veritatis teſtimonium ei perhiberent. Hieronymus autem libello de optimo genere interpretandi, item ad Sunicam & Fretelam, & paſſim in Commentariis & quæſtionibus Hebraicis multis oſtendit, LXX quædam addidiſſe de ſuo, alia rurſus detraxiſſe, non pauca etiam vertiſſe ſenſu alieno. Additionis ac detractionis certus teſtis eſt Origenes, qui in recenſione Codicum Græcorum illa obeliſcis, iſta aſteriſcis notavit, ut eſt apud Auguſtinum lib. 18. de Civit. Dei cap. 42. Aberrantis verò Verſionis exempla collegit Hieronymus lib. de opt. gen. interpret. & in quæſt. Hebr. longè plura deprehendit Santes Pagninus, ex perpetuâ fontis Hebræi & verſionis Græcæ collatione; ut Iſagoges ſuæ cap. 9. docet. Quare autoritas hujus Verſionis humana eſt, non divina: quia LXX duntaxat Interpretes, non Prophetæ fuerunt: & veritas omnis ac certitudo interpretationis in convenientia ac conſenſu cum textu Hebræo ſolum conſiſtit. Nec refert, quod Euangeliſtæ & Apoſtoli in Nov. Teſt. hâc verſione uſi ſunt. Id enim non eſt perpetuum. Nam in multis veritatem Hebræam ſequuntur: exempli gratia Matth. 2. v. 15. Ioh. 19. v. 37. 1 Cor. 2. v. 9. Et cum citant editionem Græcam non aliâ de cauſâ faciunt, quam quod editio illa in omnium manibus verſaretur, vulgoque lecta in Synagogis, uſuque recepta eſſet; non autem quaſi pari loco cum Scripturis Canonicis eam haberent. De quo Hieronymus libello de opt. gen. interp. fuſius. Prætereundum tamen non eſt, Græcam editionem, quæ hodie exſtat, eſſe quidem LXX Seniorum, ſed interpolatam, ac multis partibus corruptam. Nec mirum, cum germanam illam & antiquam tranſlationem, ut à LXX græcè facta erat, Hieronymus jam ſuâ ætate ſic vitiatam ac violatam fuiſſe conqueratur præfation. in Paralip. ut pro varietate regionum diverſa ferrentur exemplaria, totuſque orbis inter ſe varietate iſta compugnaret. Quod ipſum quoque novæ editiones, tam Romana Sixti V. auſpiciis publica-

Hodie vitiata habetur.

ta,

Digitized by Google

ta, quam Wecheliana à Franciſco Iunio adornata, comprob nt. Period. III. artic. III.
Primi omnium Judæi hac verſione uſi ſunt, ſed Helleniſtæ ſive Græcani: qui τοῖς ἑβραΐζουσι ſive Hebræis contradiſtinguuntur: idque non tantum privatim ad quotidianæ lectionis uſum, ſed etiam publicè in ſacris, per Synagogas. Horum mentio exſtat Act. 6. v. 1. cap. 11. v. 20. Ab iis ſive ipſorum Apoſtolorum, ſive aliorum Euangelii præconum commendatione ad Gentes, adeoque ad in univerſam credentium Eccleſiam derivata eſt, & per annos ferè quadringentos magnum uſum atque autoritatem obtinuit. Quo tempore etſi in Eccleſiis Occidentis latina Hieronymi editio tandem prævaluit, in Oriente tamen & per Eccleſias Græcas verſio Græca LXX in hodiernum uſque diem permanſit. Lingua hujus verſionis Græca quidem eſt, ſed peculiari idiotiſmo deflexa & diſcrepans à cæteris, quæ vulgo recenſentur, dialectis græcis: quam nonnullis Helleniſticam placuit appellare. Siquidem non modo phraſis paſſim Hebraiſmum redolet, ſed etiam vocabula alia noviter formata ſunt de Hebræis aut Syris, alia novâ ſignificatione uſurpata, quo ſenſum ac emphaſin vocum Hebræarum clarius pleniuſque exprimerent. Ut ſtylus nec purè Græcus ſit, nec purè Hebræus, ſed ex utroque quaſi mixtus, & ſubjectæ materiæ prudenter accommodatus: ita tamen ut græcè ſcientibus facile intelligantur. Ante annos non ita multos evulgavit Conradus Kircherus Auguſtanus Concordantias V. T. Græcas, Hebræis vocibus reſpondentes: quibus homonymiam ac ſynonymiam Græcam & Hebræam; quin & Hebraiſmorum variorum explanationem Græcam, viciſſim Græciſmorum elocutionem Hebræam, & ſic factâ collatione linguæ, quam vocant, Helleniſticæ genium eruditè declarat. Plura ex Scaligeri ac Druſii monumentis, nec non Heinſii Ariſtarcho Sacro peti poſſunt.

Lingua ejus non pure græca.

Poſt abſolutam & receptam jam in Eccleſiâ ab Helleniſtis Verſionem LXX. alii quoque libri ſcripti ſunt, partim ad morum inſtitutionem, partim ad hiſtoriæ Judaicæ continuationem. Primi generis eſt *Ieſus Sirach* qui autor eſt libri qui *Eccleſiaſticus*, itemque Sapientia Jeſu filii Sirach inſcribitur. Vixit tempore Ptolomæi Euergetis, Regis Ægypti, & græce ſcripſit humanâ induſtriâ, nec ſine magnâ difficultate, ut ipſe in prologo fatetur: ubi etiam hoc ſcriptum à Lege & Prophetis, hoc eſt, à libris verè Canonis diſertè diſtinguit. Errores libri coarguunt ea, quæ habet de creata Sapientia cap. 1. v. 4. & alibi de Samuele poſt mortem prophetante cap. 46. v. 23. ex depravato ſenſu hiſtoriæ, 1 Sam. 28 v. 3 & 6. nec non de Eliâ corpore ſuo reverſuro cap. 48. v. 10. ex Malach 4. v 4, 5. male intellecto. Ut ſcriptis Apocryphis jure merito accenſeatur. Secundi generis ſunt *Libri Maccabæorum*, ceu vulgò

Libri Eccleſiaſtici tunc ſcripti.

Siracidis Eccleſiaſticus.

Maccabæorum libri.

Period. III. artic. III. vulgò appellantur. Nomen Maccabæorum ſub Antiocho Epiphane Syriæ, & Ptolomæo Phylometore Ægypti rege inclaruit, initio tributum Judæ Aſmonæo Matthatiæ filio. Hic enim cum in teſtimonium fiduciæ de auxilio Dei ſymbolum vexillis inſcriptum uſurparet, מִי כָמֹךָ בָּאֵלִים יְהוָה *quis ſimilis tibi inter Deos ô Domine:* ex quatuor literis initialibus מכבי ipſe Machbai, & ab ipſo reliqui quoque Machbæi, ſive Maccabæi denominati ſunt. Unde jam manifeſta eſt ratio inſcriptionis, cur libri Maccabæorum appellantur; nimirum, quia deſcribunt res eorum tempore & ab ipſis fortiter feliciterque geſtas pro libertate Eccleſiæ ac gentis Judaicæ, contra Seleucidarum, maxime Antiochi Epiphanis, tyrannidem. Quod eſt argumentum duorum

Tertius. primorum librorum. *Tertius*, qui annis nimirum quinquaginta prior eſt, & ad tempora Ptolomæi Philopatoris pertinet, communi tamen Maccabæorum nomine inſignitur, propter argumenti cum duobus illis ſimilitudinem. Scriptor, ſi quis conjecturæ locus, eſt Philo, qui etiam Sapientiæ librum confecit: ut ſupra monuimus. Nam ovum ovo non eſt magis ſimile, quam unius libri ſermo, ſermoni alterius. In melioribus editionibus dicitur Simeonis Sacerdotis ſummi, non illius, qui Juſtus ſalutatus, cujus elogium recitatur Eccleſiaſt 50. ſed qui filius fuit Oniæ illius, cujus habetur hiſtoria apud Joſephum lib. 12. Antiq. cap. 4. Pater autem alterius Oniæ, qui fœdus cum Romanis & Spartanis fecit, 1 Maccab. 12. v. 20. Hieronymus in Prologo galeato vocavit Πάστορα ſive Páſtorem, latino caſu, non Paſtórem: nempe ἀπὸ τῆς παστάδος ſive παστίδος, id eſt, ab atrio, in quo Sacerdos ſummus cum fideli comitatu ſuo interceſſit, ne Bex Ptolomæus Philopator in Sanctuarium irrumperet: quo ex principio reliqua hiſtoria eſt conſecuta. Liber ipſis Pontificiis Apocryphus eſt, non minus quam quartus Maccabæorum, qui in quibuſdam editionibus reperitur. *Pri-*

Primus. *mum* librum Maccabæorum Hebraicè ſibi viſum narrat Hieronymus, ac temporibus Iohannis Hyrcani, qui filius fuit Simeonis Maccabæi, veriſimile eſt fuiſſe ſcriptum. Quanquam non deſunt, qui ipſum libri autorem faciunt. Sed nunc græcè tantum exſtat, & quidem corruptiſſimus, licet argumento, propter varias narrationes mi-

Secundus. nimè inutilis. *Secundum* vero Græcum tantum eſſe, & autor haud obſcure indicat, cap. 2. v. 24. & idem Hieronymus oſtendit, & evincit phraſis. Autor quiſquis fuerit, ſive ipſe Jaſon Cyrenæus, qui libris quinque omnem hanc hiſtoriam complexus eſt, ſive epitomator ejus, ita ſe χαρακτηρίζει & inſignit ipſemet, cap. 2. v. 24. & ſeqq. ut quo loco haberi conveniat, nemini dubium eſſe poſſit. Scriptum eſt plenum vanitatis ac fabularum, quas ipſi quoque Judæi reſpuunt, capp.



Digitized by Google

1,2. & deinceps. Inſuper non tantum à libri primi narrationibus, ſed à Joſepho quoque diſſidet: prout alibi demonſtratum fuit. In hæc tempora incidunt tres illæ famoſæ Sectæ Judaicæ, Phariſæorum, Sadducæorum, ac Eſſenorum; de quibus loco antecedente diximus, ex Karræis ac Haſiolæis ortæ. Sadducæos præter Pentateuchum Moſis nihil Scripturarum divinarum admiſiſſe aut recepiſſe, communis ferè Patrum ſententia eſt; cui etiam multi recentiorum Scriptorum adſtipulantur, argumento diſputationis de reſurrectione Matth. 22. cap. Sed huic opinioni merito contradixerunt Scaliger & Druſius, libellis ſuis de Sectis Judæorum: oſtenderuntque partim teſtimonio Joſephi lib. 18. cap. 2. partim variis rationibus, quod totam V.T. Scripturam amplexi ſint: ut qui ſedem Sanctuarii Hieroſolymam agnoverunt, non ex Moſis, ſed ex Prophetarum & Hagiographorum libris: in templo Summo Sacerdotio functi ſunt Act. 5. v. 17. & lectioni non tantum Moſis, ſed Prophetarum quoque interfuerunt in Synagogis ac conventibus populi: qui certè pro zelo ſuo in Scripturam nunquam eos toleraſſet, ſi majorem librorum ſacrorum partem repudiaſſent. Sacramentorum ea fuit hæreſis, ut ſupra oſtendimus, atque etiam Doſithæorum, qui à Judæis ad Samaritanos deſciverunt, Sadducæi, verò rejecerunt ac damnarunt omnes *παραδόσεις ἀγράφους*, ſive *πατροπαραδότους ἐντολάς*, hoc eſt, Traditiones non ſcriptas, verùm à Patribus acceptas, ac venerandis eorum nominibus commendatas: quas Phariſæi ac Eſſæi non tantum accumulabant, ſed etiam præceptis Legis & Prophetarum æquabant. ac tantum non apertè anteponebant. Erantque Traditiones illæ partim additamenta quædam Legis, partim expoſitiones ejus diſcrepantes à textu, aut etiam pugnantes cum eo: ſicut teſtatur Irenæus lib. 4. cap. 25. Judæos Seniorum Traditiones, tanquam ex Lege obſervaſſe, reverà autem Legem Dei irritam feciſſe, miſcentes aquam vino, Legi aquatam Traditionem; addendo, detrahendo, & prout volebant interpolando. Verum plena ac ſolida refutatio Traditionum ſive *δευτερώσεων* Judaicarum habetur in N.T. Matt. 5, 6, 7, 15, 23. capp. & alibi paſſim. Id tantum addimus hoc loco: miſeros Judæos Traditionum, tanquam à Patribus acceptarum perſuaſione, & ſpecie ſucceſſionis præſtantiſſimorum in populo Dei virorum, accedente inſuper conſuetudine, & præſcriptione longiſſimi temporis, in eam deveniſſe ſervitutem, ut quicquid ipſis fabularum, quantumvis incredibilium nomine Cabalæ aut Traditionis à majoribus obtruditur, id neceſſe habeant tanquam cœleſtia oracula venerari. Unde Rabbi Abraham de ſententiis Rabbinorum: *Nos decet verbis eorum ſubſcribere, quod omnia verba eorum ſint verba Cabala.* Et gloſ-ſa

Period. III. art. III.

Sectæ Judaicæ quid ſenſerint de Verbo Dei.

Sadducæi non repudiarunt Prophetas,

Sed Traditiones,

has Phariſæi & Eſſæi Scripturæ jungebant & præferebant.

Digitized by Google

Period. III. artic. III. ſa Hebr. in Deut. 17. de Cabalâ ſeu Traditione: *recipiendum eſt, quicquid hoc modo proponitur: etiamſi dextrum dixerint eſſe ſiniſtrum, & ſiniſtrum dextrum.* In Talmud verò excommunicatione notantur cum hæreticis & idololatris, quicunque negant Legem etiam per manus traditam eſſe abſque ſcripto: aut qui Talmud in dubium vocant. Noviſſimè hoc articulo nobis memoranda eſt Paraphraſis Chaldaica in totum V. T. quæ in Iudæis Targum, hoc eſt, Interpretatio nominari ſolet: & tres fertur habuiſſe autores, R. Akylam. qui Onkelos vulgò dicitur in Pentateuchum Moſis: R. Ionathanem Uzielis filium, in utroſque Prophetas, tam priores, quam poſteriores; quanquam idem quoque Pentateuchum tranſtuliſſe dicatur, nuper Venetiis editum: in Hagiographa R. Ioſeph Cœcum. Verum iſte, prout ex Paraphraſi colligitur, reliquis duobus poſterior eſt, & floruit deſtructâ jam Hieroſolymâ per Titum. Siquidem inter alias fabulas promittit etiam liberationem à captivitate Titi & Veſpaſiani. Illi autem vixerunt paulo ante Chriſtum in terris natum, annis circiter quadraginta, Hillelis & Akibæ diſcipuli, & Simeonis Juſti σύγχρονοι & condiſcipuli. Etſi verò Paraphraſis illa, & præcipuè partes poſteriores duæ, (nam prima in Pentateuchum purior eſt,) Iudaicis fabulis ſunt conſpurcatæ, tamen propter multas utiles explicationes, & ad convincendos Judæos, ne quidem Chriſtianis adſpernandæ ſunt aut negligendæ. Juſtinus Martyr Apologia II. meminit novæ cujuſdam Verſionis Græcæ, ad hæc omnino tempora referendæ, quam ad poſtulatum Ptolomæi ultimi, qui Dionyſius dictus fuit, frater Cleopatræ Antonio Triumviro nuptæ, Herodes magnus faciendam curaverit. Franciſcus Iunius animadverſ. in Bellarmin. lib 2. cap. 5. hanc putat κοινὴν ſive Communem olim fuiſſe appellatam, & à Lucano poſtea reſtitutam. Sed Ioſephus, qui libris Antiquitatum & Belli Iudaici Hiſtoriam Herodis pleniſſimè & accuratiſſimè deſcripſit, nullam prorſus Verſionis ab ipſo procuratæ mentionem facit: Tum etiam circumſtantiæ narrationis apud Iuſtinum clarè oſtendunt, quæ ſub Ptolomæo Philadelpho contigerunt, ad Ptolomæum Dionyſium referri, fortè ex hâc opinione, ante nobis refutatâ, quod initio tantum Lex Moſis, longè verò poſt demum Prophetæ & Hagiographa græcè reddita fuerint. Priuſquam ad N. T. tranſeamus, de Philoſophis quoque & Philoſophiâ, poſtremâ hâc V. T. periodo aliquid nobis dicendum eſt. Cum enim Philoſophia, vel ut alii loqui malunt, Theologia Platonis in multis ad Chriſtianam Veritatem proximè accedat: ſicut Iuſtinus Martyr oratione ad Gentes, & Auguſtinus lib. 8 de Civit. Dei cap. 9 & ſeqq copioſè oſtendunt: complures arbitrati ſunt, in peregrinatione Ægyptiacâ

Paraphraſis Chaldaica.

Verſio Græca Bibliorum in alia ab Herode facta.

Theologia Philoſophorum.

cum

eum legiſſe Scripturas Moſis ac Prophetarum, atque eas tanquam certius doctrinæ ſuæ principium ſecutum eſſe. Opinionem illam veterum Auguſtinus commemorat lib.8. de Civ. Dei. cap.11.& Juſtinus Martyr diſertè ſcribit, Platonem lectis Moſis ac Prophetarum vaticiniis, doctrinam de Judicio extremo ex eis hauſiſſe: quam poſtea lib.1. de Republicâ promulgarit. Sed hoc facilius omninò affirmatur, quam demonſtratur: præſertim cum ſeries temporum oſtendat, Platonis ætate libros Moſis ac Prophetarum nondum fuiſſe Græcè redditos: Hebraicè autem nec legi, nec intelligi poterant à Platone. Quod etiam Auguſtinus fatetur cap.11. Et tamen putat, Platonem librorum Sacrorum expertem non fuiſſe. Sed cum acerrimi judicii ac ſtudii eſſet, ſicut Ægyptias, ita etiam Propheticas literas, per interpretem didiciſſe, atque inde multa de Deo ſenſiſſe, veritati religionis Chriſtianæ congruentia. Clemens autem lib.1. Stromat. addit, Platonem in Ægypto præceptore uſum fuiſſe Sechnuphide Heliopolita, & Pythagoram Sochnede archiprophetâ Ægyptio, à quibus uterque etiam de myſteriis Hebræorum eruditus fuerit. Hæc aliaque in medio relinqui poſſunt. Illud verò certum eſt, & extra controverſiam, Theologiæ Platonicæ, atque etiam reliquarum ſectarum fundamentum ac principium penè unicum fuiſſe Philoſophiam & rationem humanam. Quemadmodum enim Sacerdotes doctrinam religionis partim Traditionibus Majorum & longi temporis conſuetudine, partim reſponſis Oraculorum ac Sibyllarum tuebantur, ita Philoſophi Philoſophiæ ac rationis præſidiis & argumentis dogmata ſua aſſeruerunt & propugnarunt. Id ſcripta ipſorum, & contrariæ de religione diſputationes evidentiſſimè demonſtrant. Nec alia ejus cauſa erat, quam ut quæ rudes & idiotæ ſimplici aſſenſu, Philoſophi ratione ſive certâ exploratâque, ſive probabili ſeſe tenere oſtenderent. Sed quanti ſit hoc principium, quouſque aſſurgat, & in quid tandem deſinat, Rom 1. docetur ab Apoſtolo, & nos alibi expoſuimus. Quare ad N.T. progredimur.

Period. III. artic. III. Platonis an hauſta ex Scripturâ.

Principium ejus ratio humana.

*Primæ Periodi N.T. Articulo Primo*, quo Johannes Baptiſta, ipſe Chriſtus Servator, ejuſque Apoſtoli Eccleſiæ Chriſtianæ fundamenta jecerunt, aſſertâ ac ſtabilitâ autoritate librorum V.T. quos paſſim allegant, tanquam unicam fidei vitæque regulam, Traditiones antiquas Seniorum rejecerunt, abrogarunt, ac damnarunt, ceu corruptelas & peſtes veræ doctrinæ. Partim quidem, quod eas opponerent Scripturis, harumque verba ad traditiones inflecterent: Matth. 5, 15, 23. capp. partim etiam, quod eas fingerent neceſſarias, utut Scripturâ Sacrâ non definitas: adeoque vel præferrent, vel certè æquarent mandatis Dei ſcriptis Marc. 7. Luc 11. & 18. Matth. 23. Doctrina verò

Periodus N.T. prima. Artic. I. Sola Scriptura V.T. probata, rejectis Traditionibus.



Digitized by Google

Period. I. N.T. art. I. Euangelium voce primum traditum. Legis & Euangelii in N.T. per annos complures tantum viva voce, abſque novâ ſcriptione, initio Judæis, inde etiam Gentibus tradita & promulgata fuit. Etenim Johannes Baptiſta non magis ſcripſit, quam miraculo edidit Ioh. 10. v. 41. Chriſtus quoque Servator noſter nihil doctrinæ aut operum ſuorum literarum monumentis commendavit, nec ſcribendi Euangelium initium fecit, quemadmodum olim Deus Legis ſuæ ſcriptionem conſecravit. Quod quidem myſterio non caret. Erat Mediator N.T. ſive Novi Fœderis priore illo, nempe vetere legali, multo potioris ac melioris Hebr. 7, 8, 9. capp. Quare doctrinam gratiæ non tabulis lapideis, ligneis aut chartaceis, ſed ipſis hominum cordibus per Spiritum Sanctum inſcribere voluit: ut divinitus edocti θεοδίδακτοι, voluntatem Dei non modo rectè cognoſcere, ſed etiam fideliter facere poſſent. Et ſicut ipſe non baptizavit, ut qui baptizaturus erat Spiritu Sancto & igne Matth. 3. v. 11. baptiſmum autem mandavit diſcipulis & per eos contulit reſipiſcentibus, Joh. 4. v. 1, 2. Matth. 28. verſ. 18, 19. ita nec ſcripſit quicquam ad Canonem Scripturæ pertinens; (nam Epiſtolam ad Abgarum Edeſſenorum regem, quæ eſt apud Euſebium lib. 1. cap. 12. apocrypham eſſe nemo dubitat:) ſcriptionem autem Apoſtolis ſuis, tanquam Doctoribus Catholicis omnium gentium commendavit, Matth. 28. v. 18, 19, 20. & ita manus ſcripſerunt, quod caput dictavit: ut ſcitè alicubi Auguſtinus.

Cur Chriſtus nihil ſcripſerit.

Cur Apoſtoli non ſtatim ſcripſerint. Denique Euangeliſtæ & Apoſtoli non mox primo, ſecundo, aut tertio anno à Chriſti adſcenſione animum ad ſcribendum applicuerunt, ſed demum poſt annos octo, quindecim, aut viginti, prout Veteres, Irenæus, Euſebius, Nicephorus, Theophylactus variè ſupputant. Etenim doctrina Euangelii, antequam conſcriberetur, erat prius contra Judæorum & Gentium calumnias ac contradictiones prædicatione, miraculis & prodigiis Apoſtolorum in Judæâ paſſim extra eam confirmanda, & aſſenſione utrorumque comprobanda; teſte Marco cap. 16. v. ult. ut certò conſtaret, ea quæ ſcripta ſunt, non eſſe dubia & incerta, ſed ſicut Lucas inquit, cap. 1. v. 1. πεπληροφορημένα, hoc eſt, à Deo per Apoſtolos confirmata, & à primis fidelibus magno conſenſu ut certiſſimæ fidei comprobata. Id igitur cum miniſterio Apoſtolorum per aliquot jam annos factum eſſet, tum demum, idque non fortuitis occaſionibus, aut humano conſilio, ſed mandatu atque impulſu divino rem aggreſſi ſunt.

Scriptum N.T. primum eſt Prima origo Scripturæ N.T. refertur ad Concilium omnium Apoſtolorum celebratum Hieroſolymæ, anno Chriſti 49. & 15 ab adſcenſione ipſius. Siquidem ante illud tempus nihil à Paulo, aut quoquam alio ſcriptum legitur. Tum verò mota controverſia de obſervatione Legis Moſaicæ, & ad Eccleſiam Hieroſoly-

Digitized by Google

ſolymitanam delata. *Epiſtola* illa *Concilii*, quæ Act.15. deſcribitur, non ab uno aliquo, ſed ab omnibus Apoſtolis & Presbyteris cum totâ Eccleſiâ, impulſore Spiritu Sancto, ad converſos ex Gentibus ſcripta, & per delectos miſſa fuit. Ut illuſtre admodum ſit ſcriptionis initium in Novo Teſtamento, ac Zione, ſecundum prædictionem Eſaiæ cap.2.v.3. doctrina Euangelii prodierit, non modo voce Apoſtolorum præconiata, ſed etiam literis ſcriptiſque conſignata. Ab hâc origine proceſſêre reliquæ omnes Scripturæ N.T. quas quidem ab Euangeliſtis & Apoſtolis exaratas conſtat. De quibus priuſquam ſigillatim agamus, paucis omninò tum de Linguâ N.T. tum etiam de Ordine Librorum in eo aliquid eſt monendum. Quemadmodum Vetus Teſtamentum hebraicè ſcriptum fuiſſe docuimus, paucis duntaxat exceptis in Daniele & Eſdrâ: ita Novum Teſtamentum ſi non omnes, ſaltem pleraſque partes græcè primum ſcriptas, omnes eruditi pii fatentur. Videlicet quia prædicabatur Euangelium non in ſolâ Judæâ, ſed in Imperio Romano toto, adeoque multis in Provinciis, extra Imperium ſitis. Ideò eâ linguâ utendum fuit, quæ communiſſima, & tam Judæis, quam Gentibus nota ac uſitata erat. Qualis certè tum fuit lingua Græca. Nam & Judæis ea familiaris erat, poſt diſperſionem eorum in Gentibus, & græcam Bibliorum V.T. verſionem; (uſque adeo ut Philo & Joſephus, Judæi ambo, græcè tantum ſcripſerint:) & Gentibus partim vernacula, partim uſu cognita: teſte Cicerone orat. pro Archiâ poëta. Duo tamen ſunt N.T. libri, quos multi contendunt Hebraicè primum ſcriptos, deinde neſcio à quo donatos linguâ græcâ. Ii libri ſunt Euangelium Matthæi, & Epiſtola ad Hebræos. Et Matthæum quidem hebraicè ſcripſiſſe dixerunt Irenæus lib.3.cap.1. Athanaſius in Synopſi, Epiphanius hæreſi 29. Nicephorus, & alii multi. Verum non alio fundamento, quam quod Nazaræi hæretici Euangelio quodam Hebraico uſi ſunt: quod ipſi dicebant à Matthæo ſcriptum. Hoc autem nimis fragile, & merito ſuſpectum eſt, quia ſola hæreticorum teſtificatione nititur. Cæterum cum editione Græcâ Matthæi minimè convenit. Quippe in Hebræo multa exſtant, quæ non habentur in Græco: exempli causâ illud apud Hieronymum in Eſa.11. de fonte Spiritus Sancti. Tum etiam quia inducit Chriſtum accuſantem ſe ignorantiæ, & quidem vitioſæ; apud eundem Hieronymum dialogo 3. adverſus Pelag. Denique vetus Eccleſia nunquam paſſura fuiſſet, ut impii hæretici vindicarent ſibi ceu proprium eum textum, quem conſtaret eſſe Euangeliſtæ authenticum. Plura vide apud Caſaubonum, Gomarum, & Capellum; qui ex profeſſo hanc quæſtionem explicarunt. Epiſtolam ad Hebræos quod attinet, primus

Period. I. artic. I. Epiſtola Concilii Apoſtolici.

Lingua N.T. græca eſt.

Non Hebraice ſcripta:

vel Euangelium Matthæi,

Nec Epiſtola ad Hebræos.



Digitized by Google

Period. I. artic. I.

mus ni fallor Clemens Alexandrinus apud Euſebium lib. 6. cap. 14. ſcripſit, eam γέγραφθαι Ἑβραίοις ἑβραϊκῇ φωνῇ Nempe quia ſcribitur Hebræis, inde colligit Hebraicè ſcriptam nullâ neceſſitate. At nemo exſtat, qui teſtetur exemplar Hebræum à ſe viſum, nedum ſedulo lectum, & cum græco diligenter collatum eſſe: ut inde appareret, utra fontis rationem haberet editio. Idem Clemens ait Epiſtolam ad Hebræos à Lucâ donatam linguâ græcâ, idque ex ſtyli ſimilitudine colligi poſſe. Contra vel hinc conſtat, Clementem conjecturis agere, iiſque futilibus, cum hujus Epiſtolæ ſtylus ſtylo Lucæ ſit diſſimillimus, Sed nec Clementi Romano id rectè tribuit Euſebius lib. 3. c. 32. qui ſi autor eſſet illius editionis, certe Eccleſia Romana Epiſtolam illam non demum poſt annos trecentos admiſiſſet. Nihil ergò obſtat, quo minus dicamus totum N T. græcè primùm, Dei juſſu, fuiſſe conſcriptum. Nam quod de Euangelio Marci objicitur, illud Romæ Latinè ſcriptum à Marco, & ab eodem Aquilejæ Græcè redditum, nullo antiquitatis teſtimonio, nullâ idoneâ probatione ſuffulcitur. Quaſi verò Romæ nullus tum temporis fuerit Græcæ linguæ uſus? aut quaſi ipſis Romanis aliâ quam Græca lingua Apoſtolus ſcripſiſſet? Sed de Ordine ipſorum librorum N.T. juxta ſeriem temporum etiam dicendum eſt. Communior quidem ſententia eſt, primo omnium ſcripſiſſe Matthæum, nempe anno octavo ab aſcenſione Chriſti: ut vult Theophylactus. Diſſentit verò Nicephorus, qui hanc ſcriptionem refert ad annum 15. Longius etiam rejiciunt Patres antiquiores Irenæus lib. 3. cap. 1. & Euſebius lib. 3. cap. 18. nempe in annum uſque 20. Petro & Paulo jam Romæ euangelizantibus. Quorum teſtimonio ſi fides habenda ſit, omnem Euangelicam ſcripturam diverſæ Pauli Epiſtolæ anteceſſerunt. Paulus autem nihil ſcripſit ante Concilium Hieroſolymitanum, & annum ab aſcenſione Chriſti 15. Sed non magis ordo Epiſtolarum, ſive Paulinarum, ſive Catholicarum, exacte poteſt definiri: cum certâ temporis annotatione careant. Niſi quod in genere conſtat à Paulo alias Epiſtolas ante profectionem Romam, alias Romæ demum ſcriptas. Theodoretus ab initio Commentarii ſui in Epiſtolas Paulinas univerſas ordine temporis ſic diſtinguit. Primam ſtatuit priorem ad Theſſalonicenſes, quod Apoſtolus eam ſcripſerit Athenis: ut liquet initio cap. 3. Nec multo poſt exiſtimat ſcriptam poſteriorem ad Theſſalonicenſes. Dehinc primam ad Corinthios, cum Epheſi Paulus ageret. Ait enim cap. 16. Permanebo Epheſi uſque ad Pentecoſten. Venit autem Epheſum, poſtquam prædicaſſet Macedonibus, Athenienſibus, & Corinthiis: ut Actorum hiſtoria docet. Secundam quoq; ad Corinthios ſcripſit haud multo tempore interjecto.

Euangelium Marci non ſcriptum latinè.

Ordo ſcriptionis dubius.

Ordo Epiſtolarum Paulinarum.

Cum

Digitized by Google

Cum enim, ut erat pollicitus, ad eos non veniret, & moraretur in Macedoniâ, illinc hanc miſit, ſui excuſandi & defendendi cauſâ. Quintam deinde dedit priorem ad Timotheum; tum eam quæ ad Titum miſſa eſt: & poſt has omnes ſeptimam miſit ad Romanos, cum Hieroſolymam proficiſceretur. Quò cum veniſſet à Judæis captus, & Romam poſtmodum miſſus fuit. Romæ autem reliquas ſcripſit Epiſtolas; nimirum ad Galatas, ad Philippenſes, ad Epheſios, & ad Coloſſenſes: quibus duabus Eccleſiis eodem tempore ſcripſit, uno uſus utriuſque Epiſtolæ tabellario Tychico. Circa idem tempus ad Philemonem quoque ſcripſit, Oneſimum ei reconcilians; Tychico enim Oneſimus adjungitur. Poſtea ad Hebræos quoque ſcripſit, Theodoreto autore: qui id colligit ex verbis in fine Epiſtolæ, ſalutant vos Itali. Confirmaturque v. 19. cap. 13. ex ſpe liberationis. Omnium autem ultimam ſcripſiſſe exiſtimatur ſecundam ad Timotheum, cum Tychicus jam Epheſum profectus eſſet cap. 4. v. 12. Ait enim v. 6. Ego jam liber, & præſtitutum tempus meæ dimiſſionis inſtat. In Epiſtolis Catholicis, ut vocant, implicatior quoque eſt ordinis ratio, Latinis Petrum, Græcis Jacobum, quibuſdam etiam Johannem præferentibus. Hieronymus in Prologo laudat ordinem Græcorum; qui, inquit, integrè ſapiunt, fidemque rectam ſectantur ſeptem Epiſtolarum. Quum igitur nihil penè certi hîc poſſit definiri ob cauſam, quam diximus, miſſo temporis ordine, eum ſequemur, qui in ipſorum librorum diſpoſitione ſervatur. Sicut enim Pſalmos pleroſque David afflatu divino conſcripſit, eos verò quidam alii poſtea, ut voluerunt inter ſe concinnarunt, temporis ſerie minime obſervatâ: Similiter omninò libris Canonicis N. T. præcipuè autem Apoſtolorum Epiſtolis uſuvenit. Numerantur univerſè libri Viginti ſeptem; juxta quos Athanaſius in Synopſi Novum Teſtamentum in octo libros diſtribuit, ut quatuor ſint Euangelici; quintus Acta Apoſtolorum, ſextus ſeptem Catholicas Epiſtolas, ſeptimus quatuordecim Pauli contineant: denique octavus ſit Apocalypſis Johannis. Sed commodius imitatione recentiorum in tres claſſes dividitur: quot etiam totum Vet. Teſt. abſolvitur: ut alii Hiſtorici, alii Dogmatici, alii Prophetici dicantur. Etſi enim in Hiſtoriis etiam dogmata & prophetiæ; in Dogmatibus hiſtoriæ & prophetiæ; in Prophetico genere dogmata & hiſtoriæ reperiantur, tamen à potiori argumenti parte, & ab ipſo librorum ſcopo hæc diſtributio eſt deſumta. *Hiſtorici* ſunt quatuor Euangelia, Matthæi, Marci, Lucæ, & Johannis, de Chriſti exhibitione & miniſterio ſcripta: tum etiam Acta Apoſtolorum, de promulgatione Euangelii in totum orbem, & Eccleſiæ Chriſtianæ ex Judæis & Gentibus

Period. I. artic. I.

Ordo Catholicarum incertus.

Diſtributio librorum N. T. in claſſes.

Period. I. artic. I. collectione à Luca edita. *Dogmatici* numero viginti ſunt & unus: qui totidem Epiſtolis Apoſtolorum continentur: quatuordecim Pauli, unâ Jacobi, duabus Petri, tribus Johannis, ac unâ rurſum Judæ. *Propheticus* N. T. liber unus eſt, Apocalypſis ſcilicet Johannis. Ita habet partitio generalis librorum Novi Teſtamenti. Particularis in capita & verſiculos eſt quidem recentioris, ſed utilis admodum inventi, à quocunque etiam ſit inſtituta. Id tamen incommodi habet, quod aliquando ea, quæ argumenti ὁμοφυΐα cohærent, parum concinnè diſtrahit atque ſeparat. Longè commodior fuit Veterum illa diſtinctio; quâ, ut Suidas memorat, ſingulos libros in τίτλυς, ſingulos τίτλυς in κεφάλαια dividebant: ut diverſæ narrationes & quæſtiones, & rurſum utrarumque diverſæ partes, ad captum lectorum, aptè diſtinguerentur. Τίτλοι igitur erant partes majores, κεφάλαια minores; contrà quam hodie obtinet. Quare etiam in numero κεφαλαίων magna eſt diverſitas. Nos hodie Matthæi Euangelium dividimus in Capita XXVIII. illi in κεφάλαια 355. τίτλυς autem 68. Unde apparet, id ferè κεφάλαιον fuiſſe illis, quod nobis verſiculus. Piſcator in quatuor Euangeliſtis & Actis oſtendit ſimilem penè diſtinctionis rationem. Videantur Aphoriſmi ipſius loco II. de Scripturâ. In reliquis autem libris ex analyſi ipſius facilè colligi poſſunt. Deinceps ſingulorum librorum Novi Teſtamenti hiſtoriam perſequamur. De rebus Domini ac Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, duo tantum ex XII. Apoſtolis, hiſtoriam Euangelicam ſcripſerunt, Matthæus & Johannes: duo item alii extra iſtum numerum, de ſcholâ tamen Domini, Marcus & Lucas, qui antiquis ferè inter ſeptuaginta diſcipulos numerantur. Ad horum quatuor Euangeliſtarum ſignificationem iidem etiam tranſtulerunt, quæ de quatuor animalibus apud Ezechielem & in Apocalypſi leguntur, ſed applicatione diverſâ, & à genuino ipſius viſionis ſenſu haud leviter aberrante.

*In ſectiones minores.*

*Ordo Euangeliſtarum. Matthæus.*

Ipſi Euangeliſtæ hoc ordine ſcripſiſſe perhibentur. Primùm ſcripſit *Matthæus*, ut poſt alios autor eſt Hieronymus lib. de ſcriptor. Eccleſ. Quum enim in Judæâ prædicaſſet Euangelium, ad alias gentes proficiſcens, ſummam ejus literis complecti voluit: ut quod præſens vivâ voce, abſens ſcripto præſtaret: & ita doctrinam Euangelii integram & incorruptam conſervaret, atque etiam latius propagaret. Euſebius l. 2. c. 18. Chryſoſtomus hom. 1. in Matthæum. Nicephorus l. 2. c. 45. Liber ejus viginti octo capita habet, Poteſt autem in tres partes majores diſtribui. Prima capp. 3. ea complectitur, quæ ad Chriſti ortum, educationem & baptiſmum pertinent. Altera conciones Chriſti & miracula enarrat, tum in Galilæâ, à cap. 4. ad 19 tum in Judæâ, cum poſtremò iret Hieroſolymam, atque etiam Hieroſolymæ edita, à cap. 19. ad 26. Tertia inde uſque finem

Digitized by Google

ſinem ad hiſtoriam paſſionis, mortis, ac reſurrectionis ejus deſcribit. Period. I. artic. I.
Secundus Euangeliſtarum eſt *Marcus*, nimirum is, cujus Petrus mentionem facit 1 Pet. 5. 13. ubi illum nominat filium ſuum: quique Petrum prædicantem Euangelium fuit comitatus. Occaſionem ſcribendi Euangelii Euſebius ex Clemente hanc recitat lib. 2. c. 14. Cum Euangelium in Occidente annunciatum eſſet, tantus pietatis ſplendor mentibus illorum, qui Petrum audierant illuxit, ut non contenti prædicatione ipſius Marcum magnâ contentione obteſtati ſint, ut eam ſcripto breviter conſignatam ipſis relinqueret. Addit autem Petrum delectatum fuiſſe illorum virorum voluntate, & ſcriptum hoc judicio ſuo comprobaſſe, utque in Eccleſiis legeretur conſtituiſſe. Nicephorus lib. 2. cap. 45. dicit, Petrum dictaſſe Marco Euangelium; & Irenæus lib. 3. cap. 1. ipſum Marcum diſcipulum & interpretem Petri nuncupat. Eſt autem epitome quaſi Matthæi, cujus alia omittit, alia brevius ſuccinctiuſque refert. Partibus duabus abſolvitur, capitibus autem ſedecim. Narrat enim partim doctrinam & miracula Chriſti, capp. primis tredecim: partim paſſiones, reſurrectionem atque aſcenſionem in cœlum: capp. tribus poſtremis. Tertius Euangeliſtarum eſt *Lucas*, qui fuit medicus, & adjutor Pauli in prædicando Euangelio, teſte Paulo Coloſſ. 4. v. 14. Philem. v. 24. Tum etiam ſocius navigationis illius, quâ poſtremo Hieroſolymam, & inde Romam ad Cæſarem vectus fuit. Actor. 20. v. 6. cap. 21. v. 15. cap. 27. verſ. 2. & cap. 28. v. 16. Quo conſilio & propter quam cauſam condiderit hiſtoriam Euangelicam, ipſemet teſtatur in prooemio. Quia alii nec ſatis diligenter, nec ſatis fideliter contexuerant narrationem de Chriſto: cujuſmodi plures fuiſſe Scriptores Eccleſiaſtici teſtantur; tum etiam ut certa & perfecta notitia hiſtoriæ Chriſti exſtaret in Eccleſia. Quanquam de priore inter interpretes Veteres & neotericos ſatis convenit. Capita habet viginti quatuor. Diviſio autem Euangelii ipſius coincidit cum eâ, quæ tradita eſt in Matthæo: niſi quod narrationis ſeriem altius orditur cap. 1. & nonnulla à Matthæo, & Marco prætermiſſa commemorat. Quartus & ultimus Euangeliſtarum eſt Apoſtolus *Iohannes*: de quo narrat Euſebius lib. 3. cap. 18. quum trium Euangeliſtarum ſcripta ad ipſum perveniſſent, dediſſe eis teſtimonium veritatis: ſed in eis deſideraſſe narrationem eorum, quæ initio prædicationis geſta ſunt à Chriſto, priuſquam Johannes Baptiſta conjiceretur in carcerem, ac proinde illa narrationi ſuæ addidiſſe. Sed & hoc peculiare habet, quod multos Chriſti ſermones, à reliquis omiſſos, quibus ille de perſonâ & officio ſuo diſſerit, nec non miracula quædam aliis præterita commemorat. Quod autem præter morem aliorum Euangeliſtarum, à myſterio Deitatis

Marcus. Lucas. Johannes.

tatis

Digitized by Google

Period. I. Artic. I. tatis Chriſti Euangelii ſui principium deducit, inde factum, quia hæreſi Ebionis & Cerinthi, jam tum negantium Deitatem Chriſti, illud oppoſitum eſſe voluit: prout ex Cajo refert Euſebius lib. 3. & poſt ipſum Hieronymus lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Partitio libri, qui viginti & unius capitum eſt, commodiſſime ſumitur à quatuor Paſchatis, quibus ipſe Euangeliſta narrationes ſuas diſpeſcuit. Partes igitur erunt quatuor. Prima continet, quæ in Miniſterio Chriſti ante & poſt primum Paſcha acciderunt: primis 4 capp. Secunda complectitur hiſtoriam Paſchatis ſecundi, cap. 5. Tertia refert, quæ tertio Paſchate, & poſt illud acciderunt: à cap. 6. ad 13. Quarta porrò exſequitur, actiones, paſſiones & eventa quarti Paſchatis, quo Chriſtus, verum illud Paſcha, in cruce fuit immolatus: à cap. 13. uſque ad finem.

Acta Apoſtolorum. Poſt quatuor Euangelia ſequitur liber *Actorum Apoſtolicorum*, à Lucâ Euangeliſtâ, ut docet procœmium, ſcriptus, & quidem paulò ſerius, quam pleræque Pauli Epiſtolæ, quandoquidem hiſtoria biennio extenditur, ultrà Pauli in urbem Romam adventum. Scopus fuit, ut Eccleſiæ Chriſtianæ origines deſcriberet, doceretque ipſo eventu Chriſtum Servatorem verè reſuſcitatum, & ad dexteram Dei collocatum, effuſo Spiritu Sancto ſuper Apoſtolos, horum miniſterio regnum ſpirituale toto orbe inchoaſſe, & Eccleſiam ex Judæis & Gentibus ſibi collegiſſe. Cætera quæ Actis hiſce deſunt, ex Apoſtolorum Epiſtolis peti poſſunt ad hiſtoriæ Canonicæ continuationem. Capita libri viginti octo, partes præcipuè ſunt quatuor. Quarum prima Eccleſiæ N. T. exordium & incrementa inter Judæos complectitur: capp. primis octo. Altera Eccleſiæ inter Gentes dilatationem ac propagationem deſcribit: à cap. 9. uſque ad 16. Tertia pars diverſas Pauli peregrinationes uſque ad poſtremum iter Hieroſolymitanum continet: à cap. 16. uſque ad 20. Quarta denique à cap. 20. uſque ad finem, varias Pauli afflictiones habet & pericula, quæ ei tum in Judæâ, ut Hieroſolymæ ac Cæſareæ, tum in itinere Romam verſus terrâ marique, tum denique in ipſâ urbe Româ evenerunt.

Epiſtolæ Pauli. ad Romanos. In ordine Epiſtolarum Apoſtolicarum, ac Paulinarum nominatim, primò loco ponitur illa *ad Romanos*, etſi, uti dictum, tempore aliis nonnullis ſit poſterior: non tam propter dignitatem Urbis, quæ ſedes Imperii & caput mundi erat, quam propter dignitatem argumenti & tractationis; quoniam accuratam copioſamque omnium prope fidei Chriſtianæ dogmatum explicationem continet: ut rectè cenſet Theodoretus. Unde etiam Clavis, non tam N. T. quam totius Scripturæ Sacræ appellatur. Capita habet ſedecim. Partes ejus, ſicut & aliarum quarundam Epiſtolarum Pauli, ſunt duæ: Una doctrinalis, altera parænetica. Prior ad

tria

Digitized by Google

tria ſumma capita aptè revocatur: de Juſtificatione, Sanctificatione, & Prædeſtinatione: ſub quibus plura alia continentur. De Juſtificatione docet, Juſtificari hominem peccatorem, non operibus Legis, ſive naturalis, ſive Moſaicæ, ſed fide Jeſu Chriſti: à v. 16. cap. 1. ad cap. 6. De Sanctificatione docet, eos qui juſtificantur etiam ſanctificari per Spiritum Sanctum, ſed imperfectè in hâc vitâ, quæ tamen imperfectio non ſit damnabilis: capp. 6, 7. & 8. De Prædeſtinatione docet, non omnes Judæos eſſe populum Dei & Eccleſiam ipſius, ſed ſolos electos ad vitam æternam, ex propoſito ipſius: reliquos autem juſto ejus judicio eſſe reprobatos; ita tamen ut Judæi tandem iterum ſint convertendi: capp. 9, 10. & 11. Poſterior hortatur ad bona opera, tum communiter erga omnes, cap. 12. tum ſingulariter erga Magiſtratus cap. 13. & infirmos cap. 14, 15. cum concluſione Epiſtolæ: cap. 16. Secunda Pauli Epiſtola, ordine collocationis, eſt *Prior ad Corinthios:* quâ tamen priorem fuiſſe aliam ſunt qui puant: argumento loci cap. 5. v. 9. coll. cum v. 11. Chryſoſtomus vult, reſpicere Apoſtolum v. 2. & 7. hujus capitis. Quicquid ſit, tota Antiquitas præter duas haſce aliam nec vidit, neque admiſit. Ipſa Epiſtola penè tota eſt *διορθωτικὴ*, taxans & corrigens varia peccata, quibus Corinthiorum Eccleſia laborabat. Finitur capitibus ſedecim, ex quibus partes majores quinque conſtitui poſſunt. Prima reprehendit Corinthios, partim propter Schiſmata, ex ſimulatione ipſorum Doctorum nata, capp. primis quatuor: partim propter neglectum diſciplinæ circa inceſtuoſum, item propter lites forenſes ſub infidelibus, nec non ſcortationes: cap. 5. & 6. Secunda reſpondet epiſtolæ ipſorum, de conjugio, cœlibatu, ac privato cujuſque ſtatu: cap. 7. Tertia agit de idolothytis, de libertate Chriſtianâ, conviviis idololatricis, eâque occaſione etiam de Cœnâ Domini: cap. 8, 9, 10. & 11. Quarta de diſcrimine & uſu donorum ſpiritualium præcepta tradit ad ædificationem & concordiam totius Eccleſiæ: cap. 12, 13, 14. Quinta confirmat Corinthios in fide reſurrectionis, contra profanum Epicureorum quorundam errorem, cap. 15. additâ concluſione cap. 16. in quâ tamen de collectis, nec non aliis quibuſdam privatis agitur. Tertia Pauli Epiſtola eſt *Altera ad Corinthios*, capitibus tredecim definita. Partes tres ſunt. Prima eſt apologetica, quâ innocentiam ſuam ac miniſterium contra calumnias Pſeudapoſtolorum magnificè tuetur: capp. quinque. Secunda eſt parænetica, quâ Corinthios ad officia Chriſtiana, ac varia bona opera cohortatur à cap. 6. ad 10. Tertia eſt repetita apologia contra eoſdem Pſeudapoſtolos cum adventus ſui denunciatione: à cap. 10. ad finem. Quarta eſt Epiſtola *ad Galatas*, quos ſeductos à Pſeudapoſtolis, quaſi

Period. I. artic. I.

1 ad Corinthios.

2 ad Corinthios.

ad Galatas.

Q præter

Period. I artic. L. præter fidem Chriſti etiam opera legis moralia & cerimonialia neceſſaria eſſent ad ſalutem, in viam veritatis reducere conatur. Abſolvitur capitibus ſex, partibus verò tribus. Prima eſt narratio de Apoſtolatu ſuo, ejuſque in gentibus functione: capp. 1. & 2. Secunda diſputatio de Juſtificatione gratuitâ per fidem Chriſti abſque operibus Legis: capp. 3. & 4. Tertia eſt hortatio ad rectum libertatis Chriſtianæ uſum, veræque pietatis opera: capp. 5. & 6. Quinta eſt Epiſtola *ad Epheſios*, itidem capitum ſex: partim doctrinalis de myſterio ſalutis: capp. 1, 2. & 3. partim parænetica de vitâ Chriſtianâ: capp. tribus reliquis.

ad Epheſios.

Sexta eſt Epiſtola *ad Philippenſes*, capitibus quatuor, partibus vero tribus conſtans. In quarum primâ Apoſtolus ipſos confirmat, in fide, & concordiæ humilitatiſque ſtudio; ſubnexâ ſimul Timothei & Epaphroditi commendatione, cap. 1. & 2. In alterâ adverſus Pſeudapoſtolos agit, & diſcrimen juſtitiæ Legis & Euangelii perſpicuè declarat: cap. 3. & Tertia ad omne virtutum Chriſtianarum genus eos hortatur: cap. 4

ad Philippenſes.

Septima eſt Epiſtola *ad Coloſſenſes*, quatuor capitibus conſtans, partim doctrinalis, variis Pſeudapoſtolorum corruptelis oppoſita: capp. primis duobus: partim parænetica, capitibus reliquis.

ad Coloſſenſes.

Octava eſt Epiſtola *Prior ad Theſſalonicenſes*, quæ capitibus quinque, partibus tribus abſolvitur. In primâ hortatur Theſſalonicenſes ad perſeverantiam in fide: cap. 1, 2. ad 3. initio. In ſecundâ eos cohortatur ad vitæ ſanctitatem mutuæque charitatis ſtudium: cap. 3, 4, 5. In tertiâ tradit doctrinam de reſurrectione mortuorum, & adventu Domini ad judicium: quæ pars ſecundæ eſt inſerta, videlicet à v. 13. cap. 4. uſque ad v. 4. cap. 5.

1 ad Theſſalonicenſes.

Nona eſt *Poſterior* Epiſtola *ad Theſſalonicenſes*: cujus pro numero capitum totidem ſunt partes. Primò conſolatur eos Apoſtolus contra perſecutiones, quas propter Euangelii confeſſionem ſuſtinebant; cap. 1. Secundò monet, ne temerè credant iis, qui adventum Chriſti jam tum inſtare docebant: eaque occaſione de Antichriſto, adventum Chriſti anteceſſuro, vaticinatur: cap. 2. Tertiò, ad varia hominis Chriſtiani officia ipſos exhortatur: cap. 3.

2 ad Theſſalonicenſes.

Decima eſt *Prior ad Timotheum*, quâ non ipſum modò, ſed omnes omninò pios Eccleſiæ miniſtros inſtruit, quomodo in munere Eccleſiaſtico verſari debeant. Conſtat capitibus ſex, partibus autem quatuor. Primò monet, ut rejectis fabulis & curioſis quæſtionibus, tradat veram doctrinam Legis & Euangelii: cap. 1. Secundò preces publicas, & perſonas Eccleſiaſticas diverſas deſcribit: cap. 2. & 3. Tertiò agit de refutatione falſarum doctrinarum, ac anilium fabularum: cap. 4. Quartò docet, quomodo ſingulos hominum ordines ac ætates monere, & veram pietatem ubique promovere debeat: cap. 5. & 6. Undecima

1 ad Timotheum.

Digitized by Google

decima eſt *Poſterior ad Timotheum*, capitibus quatuor, partibus tribus definita. Primò hortatur Timotheum ad conſtantiam in fide, & prædicatione Euangelii, nec non ad alias virtutes miniſtrò neceſſarias, aſperſis paſſim conſolationibus: cap. 1. & 2. Deinde prædicit ſecutura triſtiſſima tempora: contra quæ animum ipſius variè obfirmat: cap. 3. Tertiò redit ad exhortationes, ſimulque mortem ſuam prædicit; cap. 4. Duodecima eſt Epiſtola *ad Titum*, capitibus tribus, partibus duabus comprehenſa. In priore agit de officio fidelium Paſtorum Eccleſiæ; & ex adverſo Pſeudapoſtolos perſtringit, cap. 1. In alterâ recenſet varias virtutes Chriſtianas, quæ tum certis auditorum ordinibus, tum omnibus promiſcuè imperantur: adhibitis graviſſimis rationibus, quibus ad ſtudium earum ſingulos excitat: cap. 2. & 3. Decima tertia eſt Epiſtola *ad Philemonem*, quâ Oneſimum, ſervum, fugitivum & furem, à ſe in vinculis converſum, hero ſuo reconciliat: unico capite. Decima quarta & Ultima Pauli Epiſtola eſt illa *ad Hebræos*: quæ, quod nominis ipſius uſitatâ præſcriptione caret, etiam aliis fuit adſcripta, Barnabæ, Lucæ, vel etiam Clementi Romano. Sed præterquam quod omnes codices Græci eam Paulo tribuunt, etiam Petrus id non obſcurè teſtatur 2 Epiſt. 3. verſ. 15, 16. Tum etiam character ſermonis, circumſtantiæ quædam de ſuis vinculis, ac Timotheo cap. 13. v. 23. nec non totius Epiſtolæ ſignaculum, Paulo peculiare 2 Theſſ. 3. verſ. 17. id clariſſimè demonſtrant. Tota Epiſtola tredecim capitibus abſolvitur, quæ tamen ad partes generales duas commodè revocantur Prior eſt doctrinalis, quâ de Perſonâ Chriſti, ejus Sacerdotio, nec non de fide ex profeſſo diſſerit. De Perſonâ Chriſti docet, quod ſit verus Deus cap. 1. verus item homo cap. 2. qui proinde reverenter ſuſcipiendus ſit & audiendus: cap. 3, 4. De Sacerdotio ipſius, non ſecundum ordinem Aaronis, ſed ſecundum ordinem Melchizedek, itemque de Sacrificio ipſius & beneficiis agit à cap. 5. ad v. 19. cap. 10. De Fide denique, tanquam unico inſtrumento percipiendi Chriſtum, ſermo inſtituitur à v. 19. cap. 10. ad cap. 12 Altera pars eſt parænetica, quâ Hebræos ad varias virtutes Chriſtianas, tanquam veræ fidei fructus, cohortatur capp. 12, 13. Epiſtolis Paulinis ſubjiciuntur ſeptem Epiſtolæ breviores, una Jacobi, duæ Petri, tres Johannis, una denique Judæ: quæ Græcis communi appellatione καθολικαὶ nuncupantur; teſte Athanaſio in Synopſi: Latinis verò *Canonicæ* vocantur, ut eſt apud Hieronymum in Prologo Galeato. *Catholicæ* dici videntur à fide Eccleſiæ Catholicæ, ut explicat Lyra: quia non uni populo, aut civitati, aut perſonæ ſunt ſcriptæ, ſed univerſali Eccleſiæ: quæ tamen ratio non convenit omnibus; certè non utri-

Period. I. artic. I. 2 ad Timotheum. — ad Titum. — ad Philemonem. — ad Hebræos. — Epiſtolæ Catholicæ

Period. I. artic. I. ſeu Canonicæ. utrique poſteriori Epiſtolæ Johannis, ac ne quidem Epiſtolæ Jacobi. *Canonicas* quoque idem Lyra appellatas fuiſſe aſſerit, ad differentiam aliarum Epiſtolarum, quas hæretici ſub ementitis Apoſtolorum nominibus vulgaverunt. Proprio quidem ſenſu ſic dici nequeunt, quaſi ipſæ ſolæ eſſent regulares & authenticæ: Sic enim omnes Epiſtolæ Paulinæ à Canone excluderentur. Prima inter Catholicas eſt *Epiſtola Iacobi*, non majoris, ut vult Syrus, qui filius Zebedæi erat; hunc enim Herodes ſub initium prædicati Euangelii è medio ſuſtulit, Actor. 12. ſed minoris, qui filius fuit Alphæi Matth. 10. v. 3. & Frater Domini nuncupatur Gal. 2. v. 19. Tota eſt ηθετικὴ in piis hortationibus occupata. Et ut partes, ſic capita quinque dinumerat. Primo capite variæ ſunt exhortationes ad patientiam, precationem, humilitatem, tolerantiam tentationum, & denique ad rectum Verbi divini auditum. In ſecundo capite partim προσωποληψίαν damnat, partim Fidem operibus tanquam fructibus vult demonſtrari. Tertio capite contra obtrectationem & oſtentationem ſapientiæ propriæ invehitur. Quarto capite pravas cupiditates, & ex iis orientes rixas & contentiones reprimit. Quinto poſteaquam divitiarum abuſum taxavit, afflictos conſolatur, iiſque piarum precum efficaciam commendat. Secunda eſt *Prior Petri*, capitibus quinque definita: quæ ad quatuor ſummas partes revocari poſſunt. Prima eſt doctrina de Chriſto Servatore ejuſque beneficiis, cap. 1. Secunda cohortatio generalis ad vitam profeſſione Chriſtianâ dignam, à v. 13. cap. 1. uſque ad v. 13. cap. 2. Tertia eſt exhortatio ſpecialis, quâ ſingulis hominum ordinibus ſua officia præſcribit, à v. 13. cap. 2. ad v. 8. cap. 3. quibus tamen rurſum monita generalia de omni genere virtutum ſubjiciuntur, uſque ad cap. 5. Quarta agit de officio preſbyterorum, itemque juniorum; annexâ iterum generali exhortatione ſub finem Epiſtolæ. Tertia eſt *Poſterior Petri*, pro numero capitum tribus partibus conſtans. Prima eſt hortatio ad ſtudium proficiendi in verâ fide & pietate: ſimul cauſam ſcriptionis hujus, & doctrinæ Chriſtianæ certitudinem declarans, cap. 1. Secunda eſt dehortatio ab audiendis pſeudoprophetis, quos vivis coloribus depingit, cap. 2. Tertia eſt deſcriptio poſtremorum temporum, & interitus mundi: unde nova hortamenta ad vigilantiam, pietatem, & conſtantiam in fide deducit, cap. 3. Quarta eſt *Prima Iohannis*, filii Zebedæi, qui Apoſtolus & Euangeliſta dicitur, capitibus quinque definita. Partes generales duæ ſunt. Una de fide in Chriſtum; cui doctrina Antichriſti opponitur: Altera de verâ pietate, ac nominatim de charitate erga proximum; quæ à dilectione mundi & odio proximi, tanquam contrariis illuſtratur. Quæ duæ partes promiſcuè & alternatim tractan-

Jacobi.

1 Petri.

2 Petri.

1 Johannis.

Digitized by Google

tractantur, methodo arbitraria; ut certis limitibus diſtingui nequeant. Period. I.
Quinta eſt *Altera Iohannis*, quâ præſtantem dignitate fœminam, ejuſq; artic. I.
filios hortatur, ut in veritate & charitate Chriſtianâ perſeverent, & à 2 Johannis.
ſeductoribus ſive Antichriſtis ſibi caveant; uno capite. Sexta eſt *Tertia Iohannis*, unius quoque capitis, quâ Gajo, collaudatâ ejus hoſpitalitate, commendat quoſdam Euangelii miniſtros, ac Diotrephis ambitioſi doctoris petulantiam perſtringit. Septima eſt *Epiſtola Iudæ* fratris Jacobi filii Alphæi, qui hortans fideles ad conſtantiam in fide caveri jubet falſos doctores; quos ab improbis ipſorum moribus graphicè depingit, ſimulque æternum exitium, mutuatis ferè ex 2 epiſtolâ Petri verbis, eis denunciat, unico ſimiliter capite. Ultimus liber N. T. eſt *Apocalypſis Iohannis*, ſive prophetia ipſius; non dignitate, eſt enim divinâ origine ac αὐθεντία par reliquis: nec ſolùm collocatione, quod ultimo loco ponitur: ſed partim tempore, partim etiam uſu. Tempore: quia non tantum poſt Euangelium & Epiſtolas ſuas, ut ipſe non obſcurè innuit cap. 1. v. 2. & teſtantur Origenes (apud Euſebium lib. 6. cap. 18.) & Nicephorus lib. 2, cap. 45. verum etiam poſt omnia reliqua ſcripta N.T. Apocalypſin hanc conſcripſit, anno Chriſti 96. & 14 Domitiani, à quo in Pathmum relegatus fuerat. Irenæus lib. 3. cap. 25.) & Hieronymus lib. de Scriptorib. Eccleſiaſt. ut qui ad tertium uſque annum Trajani, autore Sophronio, ſupervixit. Uſu quoque: eſt enim divinum ſignaculum, quo univerſa Scriptura V. & N.T. clauditur: ut patet ex propheticâ Apoſtoli conteſtatione, ſub finem libri propoſitâ: cap. 22. v. 18, 19. quâ etiam canon Moſaicus, tanquam auſpicium Scripturæ, communitur, Deut. 4. v. 2. cap. 12. v. 32. Dicitur autem Johannes *Theologus* κατ' ἐξοχὴν, eo quod de Chriſto, λόγῳ Θεοῦ, ſive de divinitate ejus nemo ſcripſerit divinius. Liber viginti duobus capitibus, viſionibus ſeptem, quæ totidem partes ejus dici queunt, definitur. Prima viſio eſt glorioſa deſcriptio Chriſti Regis & Sacerdotis, ambulantis inter ſeptem candelabra, & Johannem mandatis inſtruentis ad ſeptem Eccleſias Aſiæ, capp. primis tribus. Secunda eſt de majeſtate Dei, ſedentis in throno, & Agno ſtante ante thronum, & libro ſeptem ſigillis clauſo, aperto per Agnum, capp. 4, 5, 6, 7. Tertia eſt de ſeptem Angelorum tubiciniis, atque mirandis oſtentis eadem ſubſecutis: capp. 8, 9, 10, 11. Quarta eſt de muliere parturiente maſculum, & Dracone eos perſequente: nec non de graſſatione duarum beſtiarum in ſanctos: capp. 12, 13, 14. Quinta eſt de Angelis effundentibus ſeptem phialas noviſſimarum plagarum ſuper hoſtes Eccleſiæ, & ſuper thronum beſtiæ, cap. 15. & 16. Sexta eſt de judicio magnæ meretricis & ruina Babylonis, deque abjectione beſtiæ

Judæ. Apocalypſis Johannis.

Period. I. artic. I.

& pſeudoprophetæ, cum aſſeclis utriuſque in ſtagnum ignis capp. 17, 18, & 19. Septima & poſtrema eſt de ligato, & poſt mille annos ſoluto Satanâ; deque ultimo judicio, ac vitâ morteque æternâ: capp. tribus ultimis 20, 21, 22. Atque hi ſunt Libri N.T. divini & Canonici, in fidei vitæque regulam præter libros V.T. Eccleſiæ Chriſtianæ ſub N.T. traditi.

De quibuſdam N.T. aliquando dubitatum.

De quorum tamen nonnullis initio à quibuſdam dubitatum fuiſſe, autor eſt Euſebius lib. 3. cap. 3. & 19. & poſt ipſum Hieronymus libello de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Sunt autem Epiſtola ad Hebræos, Epiſtola Jacobi & Judæ, tum etiam Secunda Petri, & Secunda ac Tertia Johannis, cum Apocalypſi. Cæterum qui fuerint, & rectè an ſecus fecerint, non indicant. Quin palam teſtantur, olim à pleriſque, ſuo autem tempore ab omnibus, pro Scriptis Apoſtolicis habitos fuiſſe. Quod ipſum etiam antiquiſſimorum Patrum eſt judicium.

Libri ſuppoſititii.

Præter dubios duplex aliud librorum genus idem Euſebius memorat modo citatis capp. 3 & 19. Prius eſt Pſeudepigraphorum, qui non inſcribuntur ſuis autoribus, lectu cæteroquin non plane inutiles: ut Apocalypſis Petri, Acta Pauli, Euangelium ſecundum Hebræos, Epiſtola Barnabæ, Doctrina Apoſtolorum, Hermes ſive Paſtor, & alii libri. Poſterius eſt Scriptorum adulterinorum & impurorum, quæ ab hæreticis conficta erant, ad depravandam ſinceritatem doctrinæ Apoſtolicæ, & tamen ſub nomine Apoſtolorum circumferebantur: ut Euangelia Petri, Thomæ, Matthiæ; Acta Andreæ, Johannis, & aliorum. Nam plures omninò hujuſmodi libri reperiuntur apud Epiphanium de hæreſibus, & Auguſtinum lib. 22. contra Fauſtum.

Notæ diacriticæ eorum.

Quò autem dignoſci diſcernique queant à ſcriptis verè Apoſtolicis, tres notas, tanquam κριτήρια ſive normas judicii ibidem ſubjicit. Primò, quod vetuſtiſſimorum Patrum teſtimoniis nihil de eo ſcriptorum genere doceri poſſet. Secundò, quod ſtylus non conveniret cum ſtylo Sacrarum literarum. Tertiò, & præcipuè, quod in ſenſu & doctrinâ ipsâ diſcreparent à libris verè ſanctis & divinis. Priuſquam relinquamus Apoſtolos & ſcripta ipſorum, de Conſtitutionibus & Canonibus Apoſtolorum, ceu uſitatè appellantur, ſigillatim

Apoſtolorum Conſtitutiones & Canones.

aliquid eſt dicendum. *Conſtitutiones*, græcè διαταγαὶ, præcepta continent de vitâ fidelium, & de regimine Eccleſiaſtico; libriſque octo abſolvuntur. *Canones* ſunt breves aphoriſmi, numero 84. de ordinatione, vita, & officio Epiſcoporum, & Presbyterorum; de Clericis item, diebus feſtis, & id genus aliis ſanciti. Ut illæ totam Eccleſiam, hi præcipuè ejuſdem miniſterium ſpectent. Utroſque autem ab Apoſtolis conſcriptos, à Clemente verò Romano collectos eſſe volunt non pauci, maximè recentiores: Editor Conciliorum tomo I. Baro-

nius

Digitized by Google

nius tom. II. annalium. Fr. Turrianus contra Magdeburgenſes, & alii. Quod *Conſtitutiones* attinet, ſive ſint eædem, quarum Patres nonnulli meminerunt, ſive diverſæ ab iis, & ex iis interpolatæ, quæ probabilior eſt ſententia, ex ſingulis penè libris oſtendi poteſt, eas cum ſcriptis γνησίως Apoſtolicis pugnare, ac proinde Apoſtolis perperam adſcribi. In his enim reperitur, Jacobum fratrem Domini non fuiſſe Apoſtolum, contra quam eſt Gal. 1. v. 19. Jacobum filium Zebedæi interfuiſſe concilio Hieroſolymitano, qui jam ante ſublatus ab Herode Act. 12. v. 1, 2. Spiritum Sanctum Paracletum Filio ſubjici ut Diaconiſſam Diacono, à cujus voluntate pendeat: Sacerdotibus tanquam Regibus tributa pendi debere, abuſu loci 1 Sam. 8. v. 11, ſeq. Sic decem præcepta Legis multifariam immutant, & pro decimo recenſent; Non apparebis coram Sacerdotibus vacuus. Trigamiam incontinentiæ argumentum, & quod eſt ſupra eam fornicationem pronunciant, contra Scripturas. Plura vide apud Scultetum Medullæ Patrum part. 1. lib. XI. cap. V. Unde Euſebius & Hieronymus Clementis omnia improbarunt, unicâ epiſtolâ exceptâ. Athanaſius & & Damaſcenus inter ſcripta non Apoſtolica, ſed Eccleſiaſtica eas referunt. Gelaſius apocryphas vocat, diſtinct. 15, Ruffinus diſertè fatetur, in his & aliis Clementis libris multa adulterina contineri, quæ regula Eccleſiaſtica non recipiat. Quod ipſum Synodus VI. Trullana agnoſcens, Canone II. decrevit; Conſtitutiones illas ad Eccleſiæ ſecuritatem eſſe rejiciendas. Denique Bellarminus libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis teſtatur, Conſtitutiones haſce, utut tribuantur Clementi Romano, in Eccleſiâ tamen Romanâ nullum ferè nomen habere: nec aliam cauſam eſſe, cur in multis errent Æthiopes, quam quod hiſce conſtitutionibus utantur. Idem prorſus judicium eſt de *Canonibus Apoſtolorum*, qui eorum germanis ſcriptis nihilò magis concordant. Sanciunt enim novos cultus, verbi gratia, oblationem olei in candelabro, & incenſi; alligant conſcientias humanis jejuniis Col. 2. v. 22. vetant Paſcha celebrari cum Judæis, quod fecerunt Apoſtoli; mandant excommunicationes ob res leviculas, ſcilicet, ſi quis Dominico die aut Sabbatho jejunarit, aut Sacerdos non communicaverit aliquando Cœnæ Dominicæ. Quæ verò habent de altaribus, gradibus, & ordinationibus Epiſcoporum & Presbyterorum, de Paſchate celebrando ante æquinoctium vernum, de vaſis aureis & argenteis ſanctificatis, de Epiſcopis παροικίαν relinquentibus, & id genus aliis, clariſſimè oſtendunt demum poſt tempora Apoſtolorum fuiſſe conditos. Certe Gelaſius Papa, & ex eo Ius Canonicum eos rejicit, ut Apocryphos; capit. Sancta Romana diſt. 19. & capit. Canones

**Period. I. artic. I. Sunt ſuppoſititia ſcripta.**



Digitized by Google

Period. I. artic. I.

nes diſt. 16. Bellarminus lib. de Scrip. Eccleſ. decretum interpretatur de Canonibus poſterioribus 34. qui ab hæreticis ſint ſuperadditi: quinquaginta autem priores genuinos eſſe aſſerit. Sed id fruſtra eſt, Nam Græci univerſos recipiunt; & ſexaginta minimum jus Canonicum agnoſcit. Manet ergò illud: præter & extra Scripturas N.T. nullos libros eſſe Apoſtolicos: nec poſt ætatem Apoſtolorum quicquam ſcriptum, quod in Canonem Scripturæ Sacræ aut ſit receptum, aut recipi mereatur. Primò: quia doctrina ſalutis non tantum noviſſimè, ſed etiam pleniſſimè ac planiſſimè patefacta eſt per Chriſtum, & ab Apoſtolis conſignata Joh.1.v.18.Hebr.1.& cap.2.v.3. ut aliâ ſcriptione divinâ non ſit opus. Deinde poſt Apoſtolos nullus chariſmate αὐθεντίας ſive infallibilitatis privilegio donatus fuit à Spiritu Sancto, ut non poſſet errare in doctrina: ſicut in omnibus poſterioribus Scriptoribus varii nævi & errores reperiuntur. Denique Scriptura N.T. ab exceſſu Apoſtolorum nuſpiam pollicetur novas Scripturas ſive revelationes, ſed ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum intentos eſſe fideles, iiſque religioſe inhærere jubet, uſque ad reditum Chriſti ad judicium, in conſummatione ſeculi Luc.16. v.29. Joh.20.v.31. Rom.15.v.4. Coloſſ.3.v.16. 2 Tim.3.v.16,17. 2 Petr.1. v.13,19,20,21. cap.3. v.15,16. Apoc.22. v.18,19. & ſeqq. Hunc Canonem Scripturæ, ceu regulam unicam fidei & vitæ ab Apoſtolis Eccleſiæ traditam, ipſis ſuperſtitibus alii Hæretici detorſerunt ac depravarunt falſis interpretamentis, alii autem adſcitis peregrinis religionis principiis dignitate ſuâ ſpoliarunt. Primi generis cenſentur, qui Scripturas non ex ſeipſis ſecundum fidei analogiam, ſed ex privato ſenſu interpretati ſunt, & ad præconceptas opiniones ſtabiliendas tranſtulerunt. Ut feciſſe leguntur Sadducæi, errantes quod non intelligerent Scripturas, Matth. 22. v.29. Marc.12. v.24. Phariſæi & Pſeudapoſtoli, aſſerentes ex Moſe, cultum Leviticum fore perpetuum Act.,6,7.& 15 capp. Theſſalonicenſes quidam, ex non rectè intellectâ priore Pauli Epiſtolâ docentes, adventum Domini jam tum inſtare 2 Theſſ 2.cap. Alexander, Hymenæus & Philetus 1 Tim.1.v.20. & 2 Tim.2. v. 18, 19. qui reſurrectionem mortuorum de ſpirituali reſurrectione ex morte peccati, vel etiam de liberorum procreatione accipiendam eſſe vulgò perſuaſerunt. Nicolaitæ & alii, qui gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti ad laſciviam tranſtulerunt, Jud v.4. Apoc. 2. v.15,20. ac tandem Cerinthiani, qui mille annos reſurrectionem in terreno Chriſti regno, ſecundum carnales ventris ac libidinis voluptates, futuros eſſe fabulati ſunt ex Apoc.20. v. 4,5. Euſebius lib.3. cap.22. & lib.7. cap.20. & Auguſtinus hæreſi 8.

Nullum præter Scripturas N.T. Apoſtolicum ſcriptum.

Hæretici ex Scripturæ paremeneiâ.

Se-

Digitized by Google

Period. I. artic. I. Hæretici Scripturæ ſociantes

Secundi generis ſunt, qui præter & contra Scripturas alia fundamenta ac præſidia, ceu religionis principia, commentis ſuis probandis ac defendendis adhibuerunt. Qualia ſunt Ratio & Philoſophia humana, Elementa mundi, Scripturæ nothæ ac ſuppoſititiæ, Traditiones, Spiritus revelationes ſeu Enthuſiaſmi, & Miracula. Iſtæ enim omnes impoſturarum ſpecies recenſentur à Paulo Coloſſ. 2. verſ. 8. 2 Theſſ. 2. v. 2, 9.

Rationem & Philoſophiam.

Rationem & Philoſophiam extulerunt Græci, ſapientiæ nomine celebres 1 Cor. 1. verſ. 19. ſeqq. & cap. 2. verſ. 4, 5. quam Paulus κενὴν ἀπάτην inanem deceptionem Coloſſ. 2. verſ. 8. & ψευδώνυμον γνῶσιν falſò nominatam ſcientiam 1 Tim. 6. verſ. 20. indigetat; nempe quatenus ſe opponit Scripturis divinis, & ad rationis judicium fidei dogmata exigit, 1 Corinth. 2. v. 14. 2 Cor. 10. v. 3, 4.

Elementa mundi.

Elementa mundi ac Legis Cerimonialis obſervationem perpetuam ad conſequendam ſalutem urſerunt Pſeudapoſtoli Actor. 15. Galat. 2. v. 3, 4, 5. Phil 3. nec non Ebionitæ: qui præterea ex libris V. T. ſolum Moſen amplexi ſunt: ex libris N. T. præ cæteris Euangeliis commendarunt illud quod eſt Matthæi ſecundum Hebræos ipſis nuncupatum. Pauli verò Epiſtolas omnes rejecerunt ac damnarunt: Euſebius lib. 3. cap. 21. Epiphanius hæreſi 30.

Scripturas nothas.

Scripturas nothas ac ſuppoſititias, tanquam ab Apoſtolis profectas, jam illo tempore jactitatas ac circumlatas fuiſſe, teſtis eſt ipſe Paulus 2 Theſſ. 2. v. 2. & cap. 3. v. 17. & Euſebius lib. 3. cap. 19. Quò pertinent Epiſtolæ Pauli ac Senecæ, ab Hieronymo quoque celebratæ: qui inde Senecam inter Scriptores Eccleſiaſticos numerat: Epiſtola Pauli ad Laodicenſes, Liturgiæ Apoſtolorum, & alia.

Traditiones.

Traditiones primi Phariſæi intulerunt in Eccleſiam Chriſtianam Act. 15. verſ. 5. Coloſſ. 2. verſ. 8. ſed excoluerunt & auxerunt Cerinthiani, docentes, multa ad fidem moreſque neceſſaria ab Apoſtolis eſſe tradita, quæ Scripturis non contineantur, nec inde probari poſſint, Irenæus lib. 3. cap. 2, 3.

Enthuſiaſmos.

Spiritus revelationes ſive Enthuſiaſmos jactitarunt iidem Cerinthiani, teſte Euſebio lib. 3. cap. 22. ex arcanis cum Angelis colloquiis: ac more Pſeudoprophetarum commentis ſuis Spiritus nomen impoſuerunt; ut fucum facerent. Cujus periculi cavendi cauſâ præſertim vigentibus adhuc in Eccleſiâ extraordinariis Spiritus Sancti donis, Apoſtoli diſcretionem Spirituum imperarunt: 1 Johan. 4. v. 1. & ſeqq. 1 Theſſ. 5. verſ. 21. 1 Cor. 14. verſ. 29. id ſecundum doctrinam Apoſtolorum & ipſius Domini: ut interpretatur Ambroſius 1 Theſſ. 5. ex Moſe Deut. 13. v. 1, 2.

Miracula.

Poſtremò Miracula creparunt ubique & oſtentarunt Simon Magus, Menander, & utriuſque ſectatores, Euſebius lib. 2. cap. 1. & 12. & lib. 3. cap. 20. nec non qui Nazaræi vel Nazareni dicti ſunt. Epiphanius hæreſi 29. & Auguſtinus hæreſi 9. Sed ea nihil ſunt niſi fraudes & impoſturæ, cum à fidei veritate avulſa ad

Period. I. artic. I.

ſuperſtitionum ac errorum confirmationem referuntur: ut monet Servator Matth. 24. v. 24. & Apoſtolus 2 Theſſ. 2. v. 9. Porrò infideles, tam Judæi, quam Gentiles, quomodo affecti fuerint in Sacram Scripturam videamus. *Judæi* ut ante, ſic poſt excidium Hieroſolymæ conſtanter retinuerunt libros omnes V. T. Moſe, Prophetis & Hagiographis diſtinctos: quorum Catalogum contexuit Joſephus, qui eo tempore vixit, libro 1. contra Appionem, & ex eo recitat Euſebius lib. 3. cap. 9. Quanquam eoſdem partim falſis expoſitionibus, partim quoque Majorum traditionibus non tantum obſcurarint, ſed etiam in alieniſſimum ſenſum detorſerint. Libros verò N. T. inprimis autem Euangelia & Pauli Epiſtolas, tanquam Legi & Prophetis repugnantes, & vanitatis, mendaciorum, ac blaſphemiarum plenos, impiè averſati ſunt ac damnarunt. Quod ſicut obſcurum non eſt in ſcriptis Apoſtolorum, ita ex temporum ſuccedentium ſerie clarius pateſcet. Joſephus tamen, qui cæteris ingenuior fuit & animi rectioris, dum Chriſtum Servatorem inſigni ornat elogio, totius Euangelii veritatem haud ambiguo teſtimonio comprobat lib. 18. Antiq. cap. 4. & ex ipſo Euſebius lib. 1. cap. 11. *Gentiles* quoque, maximè Philoſophi, receptis ſuperſtitionis ſuæ principiis inhæſerunt, & ad normam rationis ac Philoſophiæ Scripturam ipſam ac ejus doctrinam revocarunt & examinarunt: ut ſupra monuimus, & infra pluribus dicetur. Confer Actor. 17. v. 18, 32. 1 Corinth. 1. v. 19 & ſeqq. cap. 15. v. 12, 32. Coloſſ. 2. v. 8. Interim de Oraculis hoc loco tenendum eſt, cum ante & frequentiſſima, & loquaciſſima eſſent, inde à Chriſto in carne exhibito, non tam conticeſcere, quam prorſus deficere cœpiſſe. Id Strabo, Juvenalis, Plutarchus, & poſt hos Philoſophi, Celſus, Porphyrius, quin & ipſe Julianus Apoſtata fatentur. Cauſas hujus defectus alii alias commenti ſunt. Plutarchus peculiari libello de defectu Oraculorum rem exſequens, modo quia homines oraculis abuterentur, modo quia multi eâ ætate ſapientes oraculorum defectum ſupplere poſſent, receſſiſſe Deos ab oraculis ſuſpicatur. Tandem & hanc cauſam adfert, Dæmones illos, qui oraculis præſident, mortales eſſe, quibus utique morientibus oracula deficiant: cum alibi tradat ipſe, Dæmones Spiritus, eoque immortales eſſe. Sed cauſam nemo rectius ipſo Apolline ediſſeruit: qui conſulenti Auguſto, quis poſt ipſum imperio potiturus eſſet, verſibus notis reſpondit:

Judæi ſoli V. T. inhærent, & Traditionibus.

Gentiles retinuerunt Superſtitionem.

Oraculorum defectus.

*Me puer Hebræus jubet hinc Rex ille Deorum,*
*Tartareas remeare domos, hâc æde relictâ:*
*Poſt ergò ora tenens, altaria noſtra relinquas.*

Græcè exſtant apud Nicephorum lib. 1. cap. 17. Porphyrius verò valedi-

Period. I. artic. I.

ledicentis Apollonis oracula referens libro περὶ ἐκλογίων φιλοσοφ. teſtatur, à ſummo Jove coactum fuiſſe, ut antris ſuis cederet, & reſponſa abrumperet. Nempe filius Dei, qui miſſus fuit ut deſtrueret opera Diaboli 1 Joh 3. verſ. 8. poſtquam lucem doctrinæ Euangelicæ voce ſuâ, ac miniſterio ſcriptiſque Apoſtolorum ſuorum in orbem intulit, fraudes ac dolos Satanæ retexit ac diſſipavit. Quod de ipſo prædixerat Zacharias, cap. 13. verſ. 2. & ab ipſo præſtitum Euangelii & Actorum hiſtoria memorat. Hæc de Prima Periodi N.T. articulo primo prolixius.

Artic. II. Non aliud Verbum Dei agnitum quam libri V. & N. T.

*Articulum Secundum* paucioribus omninò conſtringemus & abſolvemus. Libros Sacros Vet. & N. T. non alios agnovit aut recepit hujus ætatis Eccleſia, quam qui à Chriſto ejuſque Apoſtolis uſurpati ac commendati erant. Quod ex vetuſtiſſimis ac probatiſſimis ſcriptoribus, Juſtino Martyre, Irenæo, Clemente Alexandrino, Origene, Tertulliano, Cypriano, Lactantio, paulò poſt liquebit. *Symbolum Apoſtolorum*, cujus Loco etiam antecedente meminimus, quod ſit epitome totius Euangelii, etſi ad Apoſtolos referri ſoleat à Ruffino in Expoſitione Symboli, ab Ambroſio item ſermone 18. de jejun. & quadrag. nec non ab Hieronymo in Epiſtolâ ad Pammachium, & ab Auguſtino lib. 1. & 3. ad Catechumenos; tamen ex Scriptoribus vetuſtioribus difficile non eſt colligere, eſſe recentioris tum ævi, tum compoſitionis. Nam nec apud Lucam in Actis, aut alibi toto N. T. nec apud Euſebium uſpiam apparet. Et Ignatius, Juſtinus Martyr, Irenæus, & ſequentis ſeculi Scriptores, cum in Symboli mentionem incidunt, nunquam teſtantur Apoſtolorum eſſe, quod hoc titulo eis tribuitur, aut ea formulâ jam tum concinnatum fuiſſe, quâ hodie notum eſt, & uſurpatur in Eccleſia. Sed prima ejus origo ex Baptiſmo eſt: quo ſicut præcepit Chriſtus baptizari in nomen, hoc eſt, fidem Patris, Filii, ac Spiritus Sancti, Matth. 28. v. 19. Marc. 16. v. 15, 16. ita baptizandos de hâc fide doceri, ibid & de eâ interrogari juſſit Act. 8. v. 37 Hinc fides in Deum Hebr. 6. v. 1. & ipſum Symbolum, Symbolum Baptiſmi Patribus dictum. Sed formula illa paulatim dilatari cœpta novis deſcriptionibus ſingularum perſonarum à proprio earum officio atque operationibus contra hæreticos: ut eſt apud Irenæum lib. 1. cap. 2. & lib. 3. cap. 4. nec non apud Tertullianum de Præſcription. cap. 14. Quumque fide Trinitatis terminaretur, etiam Symbolo Nicæno, quod quidem verum eſt ac genuinum, poſt additi alii articuli de Eccleſiâ & bonis ejus; donec tandem ea, quâ nunc legitur, formula effloreſceret Concilio Conſtantinopolitano, ſub Theodoſio Majore. *Verſiones Bibliorum*, hoc articulo in uſum Eccleſiæ adornatæ & publicatæ, aliæ ſunt

Symbolum Apoſtolicum / non eſt Apoſtolorum. / Origo ejus. / Verſiones Bibliorum novæ.

Period. I. artic. II. Veteris Teſt. Græcæ: V. T. aliæ N. T. aliæ utriuſque. *Vetus Teſtamentum* græce quidem redditum erat à LXX. & ſic legebatur ab Helleniſtis ſimul & Græcis: tamen poſt exceſſum Apoſtolorum ſucceſſerunt ſubinde aliæ atque aliæ interpretationes octo numero: etſi nonnulli etiam pauciores recenſent: Euſebius lib. 6. cap. 12. Athanaſius in Synopſi, & Epiphanius libro de menſuris & ponderibus. Prima eſt *Aquilæ Pontici*, natione

Aquilæ Pontici, Græci: qui Hieroſolymæ Chriſti fidem amplexus & baptizatus, poſtea deſertus & excommunicatus (quod Aſtrologiæ judiciariæ addictior eſſet,) proſelytus factus eſt: cumque linguam Hebræam magno ſtudio addidiciſſet, Scripturas V.T. ex Hebræo vertit in Græcum, anno 12. Adriani Imperatoris: ut Epiphanius loco citato autor eſt: perverſâ omninò ratione, tantùm ut teſtimonia à Chriſto prolata corrumperet, atque ita Chriſtianis ægrè faceret. Exſtat judicium Hieronymi de hâc interpretatione: qui ad Pammachium de optimo genere interpretandi, ita ſcribit: *Aquila proſelytus & contentioſus interpres, qui non ſolùm verba, ſed & etymologias verborum transferre conatus eſt, jure projicitur à nobis.*

Theodotionis, Secunda eſt *Theodotionis Epheſii*, qui cum hæreſi Marcionis faviſſet, poſtea illius ſectatoribus infenſior factus, ad ſubverſionem prædictæ hæreſeos Sacram Scripturam vertit; imperante Commodo. Verſatus eſt, eâ in interpretatione majore fide, quam cæteri ejus ſimiles, & à ſimplicitate LXX Interpretum minimùm diſceſſit. Quocirca ſemper Eccleſia Danielem ex interpretatione Theodotionis legere ſolita fuit: ut teſtatur Hieronymus præf. in Danielem. Tertia inter-

Symmachi, pretatio fuit Symmachi Ebionitæ, ſecundum Euſebium; Samaritæ autem ſecundum Athanaſium & Epiphanium, imperante Septimio Severo confecta. Is cum ſuis inviſus eſſet propter ambitionem, ad Judæos ſe recepit, & ſecundo eſt circumciſius, pro more transfugarum, qui ab his ad illos, aut viciſſim tranſibant; ut notat Epiphanius, præputio prius arte medicâ reducto: quo etiam reſpicit Apoſtolus 1 Cor. 7. v. 18. *Si quis circumciſus eſt, μὴ ἐπισπάσθω, non attrahatur*, ſcilicet præputium. Scopus non alius fuit, quam ut ſubverteret interpretationes,

Incerti Hierichuntina, quæ apud Samaritas receptæ erant. Quarta *incerti autoris*, anno 7. Baſſiani Caracallæ Imp. inventa perhibetur Jerichunte doliis incluſa, cum aliis libris Hebraicis & Græcis. Quâ conjecturâ ductus Athanaſius, ſtatuit eam à quodam, qui Hieroſolymæ pietati vacabat, fuiſſe con-

Incerti Nicopolitana. flatam. Quinta editio & ipſe ἀνώνυμος, ſimiliter in doliis inventa fuit Nicopoli, imperante Alexandro Severo. Utramque hanc Origenes multo tempore abſconditam, & ſe inveſtigatam, in lucem produxit. Priores autem tres, cum à Julianâ quadam accepiſſet, inſuperque Verſionem LXX quotidie verſaret ipſe, ex omnibus illis, ſingulari ſtu-

dio

Digitized by Google

dio confecit ſua Tetrapla, Hexapla & Octapla, quorum multa apud Veteres mentio eſt. Et *Tetrapla* quidem, hoc eſt, codices quadruplices, conſtituit, ſeparatim verſiones quatuor, Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, & eam quæ eſt LXX. conjungens, ut eſt apud Euſebium lib. 6. cap. 12. & Nicephorum lib. 5. cap. 11. Rurſum ſingulas paginas in ſex columnas ita diſtinxit, ut prima eſſet Hebræa, hebraicis ſcripta literis: ſecunda item Hebræa, ſed græcis characteribus exarata: tertia Aquilæ; quarta Symmachi; quinta LXXII. Interpretum; ſexta Theodotionis. Atque hæc volumina, propter ſex lectiones ſeu columnas, *Hexapla* vocabant, hoc eſt, Hieronymo interprete, Epiſtolâ ad Suniam & Fretelam, codices ſextuplices. Poſtea cum & alias duas editiones, quas Quintam & Sextam vocant, Origenes inveniſſet, eas quoque aliis duabus columnis adjecit; atque ita ex Hexaplis *Octapla* facta ſunt. De ordine locationis expreſſè monet Epiphanius, LXX editionem in medio poſitam fuiſſe, tanquam magis ſinceram, ac cæteris meliorem: quo hinc atque hinc poſitas interpretationes aliorum, collatio facilius redargueret. Sexta editio (non connumeratâ verſione LXX.) dicitur *Origenis*: qui ex Hebræo quidem Scripturas non vertit: ſed cum in libris LXX alicubi plus, alicubi minus, quam in Hebræo, ſcriptum reperiret, eos emendavit, quæ deerant additis, notatiſque aſteriſco, id eſt, ſigno ſtellæ radiantis: & contra quæ ſupererant obelo ſeu obeliſco, id eſt, veru transfoſſis jugulatiſque: Hieronymus in 2. cap. Sophoniæ. Quæ editio Origeniana mirum in modum Eccleſiis probata fuit, ut brevi admodum omnes Eccleſiarum Bibliothecas occuparit: & vix unus aut alter inveniretur liber, qui obelos & aſteriſcos Origenis non haberet: ut ſcribit Hieronymus epiſt. 89. ad Auguſtinum, quæ eſt 11. inter ipſius Auguſtini epiſtolas. Unde etiam editio iſta κοινὴ, hoc eſt, Communis & Vulgata dicta fuit: ut teſtatur idem Hieronymus præfat. lib. 16. in Eſaiam. Septima editio eſt *Luciani Preſbyteri & Martyris*, qui cum in editionibus jam enumeratis multa vitia obrepſiſſe cognoſceret, novam vel ſaltem renovatam ipſe molitus eſt, & propriâ manu deſcripſit, ſub Diocletiano & Maximiano Impp. quæ tamen Nicomediæ demum eſt inventa, imperante jam Conſtantino Magno. Octava & poſtrema editio eſt *Heſychii*, qui verſionem LXX iterum emendavit, depravatam Scriptorum vitio, atque Ægypti Eccleſiis tradidit: Hieronymus præfat. in Paralipomena. Atquæ hæ ſunt verſiones Græcæ V. T. *Verſio N. T. Syra*, Syriaca lingua confecta eſt: cujus origo etſi certò inquiri ac definiri nequit, Tremellius tamen probabiliter aſſerit, intra initia Eccleſiæ Chriſtianæ vel ab Apoſtolis ipſis, vel ab eorum diſcipulis profectam eſſe. Syri autorem ejus celebrant Marcum Euangeliſtam. Sed haudquaquam ad

Period. I. artic. I. Hinc confecta Tetrapla.

Hexapla.

Octapla.

Origenis.

Luciani.

Heſychii.

Verſio N. T. Syriaca.



Digitized by Google

Period. I. artic. II. Apoſtolos, vel ad tempora Apoſtolorum origo ejus referri poteſt: I. quia nulla ejus mentio exſtat apud Juſtinum Martyrem, Clementem Alexandrinum, Origenem, & alios vetuſtos Scriptores. II quia in titulis & ſectionibus capitum mentio fit venerationis crucis, precum pro defunctis, vigiliarum, feſtorum, & aliorum, quæ ætate Apoſtolorum, aut paulò poſt nondum invecta erant in Eccleſiam. Sunt tamen qui poſteriore ævo iſta marginibus fuiſſe adſcripta fide antiquiſſimorum Codicum demonſtrant. In quibuſdam exemplaribus deſiderabantur Secunda Petri, Secunda & Tertia Johannis, Epiſtola Judæ, & Apocalypſis. Sed ea aliunde ſuppleta ſunt, editione recenti ex Bibliothecâ Oxonienſi in Angliâ ſubminiſtrata. Autoritas hujus Verſionis conſiſtit in convenientiâ cum ipſis fontibus, hoc eſt, cum textu græco, à quo in nonnullis recedit. Deſunt etiam in eâ quædam loca, quæ fraude Arrianorum putantur eſſe eraſa. Supereſt *Utriuſque Teſtamenti Verſio Latina* antiquior, quâ Scriptores Latini, Tertullianus, Cyprianus, Lactantius, uſi ſunt. Ea Vetus & Vulgata editio, itemque Itala dicta fuit; cujus meminerunt Hieronymus in 14. & 49. Eſaiæ, Auguſtinus lib. 2. de doctrinâ Chriſtianâ; cap. 15. Gregorius Magnus præfat. in lib. Moral. cap. 5. Traducta fuit, quoad V. T. non ex Hebræo, ſed ex verſione græcâ LXX. & variè interpolata eſt: ut ſuo loco dicetur. Neque prætereundum hîc eſt, paſſim multas alias quoque Scripturarum Verſiones jam olim exſtitiſſe. Teſtis eſt Hieronymus præfat. in Euangeliſt. multarum gentium linguis Scripturam tranſlatam fuiſſe, jam ante Luciani tempora, qui ſub Diocletiano martyrium ſubiit. Sed & Auguſtinus docet, Verſionem Syram totius V. T. non minus quam græcam aut Latinam uſurpatam fuiſſe in Eccleſiâ; lib. 15. de Civit. Dei cap. 13. Omnium verò clariſſimè Theodoretus ſermone 5. ad Græcos, refert, Hebraicos libros jam olim non in idioma Græcum converſos, ſed in Romanam quoque linguam, Ægyptiam, Perſicam, Indicam, Armeniacam, Schyticam, atque adeo Sauromaticam: & breviter in omnes linguas, quibus ad eum uſque diem nationes utebantur. Præ cæteris tamen eminebat, & maximi in Eccleſiis pretii erat editio illa LXX Interpretum græca, ab Origene emendata: tum quia inde ab ætate Apoſtolorum, adeoque ab ipſis Apoſtolis recepta erat; tum quia communi opinione, aliquot ſeculis jam inveteratâ, LXX non tam Interpretes, quam Prophetæ cenſebantur. Juſtinus Martyr parænesi ad Græcos, & Apologia 2. ad Antoninum; Irenæus lib. 3. cap. 25. & alii. Etſi autem in hâc ipſâ editione græcâ LXX. præter libros Canonicos V. T. exſtarent & legerentur etiam Apocryphi quidam libri, ab Helleniſtis accepti; nec ſcandali publici metu

Verſio V. & N. T. Latina antiquior.

Verſiones in pluribus linguis.

Apocryphi etiam tunc diſtincti à libris Canonicis.

tam

Digitized by Google

tam apud Chriſtianos, quàm apud Judæos Helleniſtas, in illâ temporum perturbatione, commodè reſecari ac ſeparari poſſent: tamen à Canonicis perpetuò diſtincti manſerunt, ac inferiore ordine atque gradu habiti ſunt. Melito Sardenſis Eccleſiæ antiſtes, qui ſcripſit ad Antoninum Philoſophum Imperatorem pro fide & religione Chriſtianâ, enumerans verè Canonicos libros V. T. tantùm recenſet eos, qui in Codicibus Hebræorum exſtant, & prætermittit reliquos, epiſtolâ ad Oneſimum, quæ eſt lib. 4. Euſebii cap. 25. Nam quod Sapientiæ Salomonis meminit, ſciendum eſt non intelligi librum illum pſeudepigraphum, quem Hieronymus inter Apocrypha ponit, & qui Philoni meritò adſcribitur: ſed ipſa Salomonis Proverbia nominat Sapientiam: ut Ruffinus interpres Euſebii indicat. Nam cum nominaſſet Salomonis Proverbia, de illis addit, *quæ & Sapientia:* ſic ut pronomen relativum *quæ* oſtendat, non aliam Sapientiam à Melitone intelligi, quam Proverbia. Juſtinus Martyr apologiâ 2. ad Antoninum Pium Imp. & in Tryphone: quemadmodum & Irenæus lib. 3. cap. 25. eos tantum libros V. T. agnoſcunt, qui à L X X. græcè redditi erant: cujuſmodi ſunt ſoli illi, qui Canone Hebræorum continebantur. Origenes apud Euſebium lib. 6. cap. 19. dum primum Pſalmum explicat, enumerans Scripturas V. T. ſic ſcribit: *Non ignorare debemus, viginti duos libros eſſe (ſicut Hebræi tradunt,) ſummo omnium conſenſu approbatos, ſecundum literarum numerum, quæ apud illos ſunt.* Eoſdem poſteà ordine recitat iis nominibus, quibus apud Hebræos appellari ſolent. Apocryphos autem, & nominatim libros Maccabæorum, extra ordinem illum ponit. Reliquos Eccleſiæ Antiſtites idem ſenſiſſe de Canone Scripturæ teſtis eſt Auguſtinus lib. 11. contra Fauſtum Manichæum, cap. 5. ubi ſic ait: *Diſtincta eſt à poſteriorum libris excellentia Canonicæ autoritatis V. & N. T. quæ Apoſtolorum confirmata temporibus per ſucceſſiones Epiſcoporum, tanquam in ſede quâdam ſublimiter conſtituta eſt.* Quæ verò & quanta fuerit primis hiſce ſeculis Scripturæ autoritas, illi ipſi & alii Scriptores Eccleſiaſtici innumeris locis declarant. Hanc quippe ſolam agnoſcunt & docent eſſe normam unicam fidei ac vitæ: Judicem omnium controverſiarum religionis, ac ſui interpretem: utpote quæ non tantum contineat integram & ſufficientem doctrinam fidei & operum, ſed eandem quoque clarè & perſpicuè enunciet. Quod ne cui dubium eſſe poſſit, adeat & inſpiciat ipſos Scriptores hujus, de quâ nobis ſermo eſt, ætatis: Juſtinum Martyrem in parænesi ad Græcos, Apologiâ ad Antoninum, & præcipuè in Tryphone: Irenæum lib. 3. cap. 1. ubi Scripturam vocat columnam ac fundamentum fidei noſtræ: cap. 2. ait, Hæreticorum eſſe, ut cum ex Scripturis arguuntur,

Period. I. artic. II.

tur,

Digitized by Google

Period. I. artic. II. tur, in accuſationem convertantur ipſarum, quaſi non rectè habeant. Plura his ſimilia reperiuntur lib. 2. cap. 46, 47. lib. 3. cap. 12. & lib. 4. cap. 63. Clementem Alexandrinum in προτρεπτικῷ, & paſſim in Stromat. lib. 2, 4, 6, & 7. ubi Scripturam Judicem nuncupat. Origenem homiliâ I. in Jeremiam, & in Matthæum homil. 13. & 25. Tertullianum adverſus Hermogenem cap. 22. de Præſcriptionibus adverſus hæreticos paſſim, præcipuè tamen cap. 6, 8, & 15. & in Apologetico cap. 20. Cyprianum in Epiſtolis ad Pompejum, Cæcilium, Quintinum, Jubajanum. Lactantium denique Inſtitutionum divinarum lib. 4. cap. 5. lib. 5. cap. 1. lib. 6. cap. 22. Sic ergò habuit orthodoxa fides Patrum de Sacra Scripturâ Vet. & N. T. hâc Eccleſiæ ætate. Liticula de Epiſtolâ ad Hebræos, & Apocalypſi, quarum illam Latini, iſtam Græci vocabant in dubium, quæ hucuſque pendebat, poſtea fuit compoſita. Patres tamen nonnulli in eo peccarunt, quod Traditionibus non ſcriptis pluſculum indulſerunt: Juſtinus Chiliaſtis hoc prætextu aſſentiens: Irenæus annos Chriſto quinquaginta in terris tribuens: Tertullianus novis prophetiis ſeſe addicens. Nec excuſari poteſt Origenes, qui relictâ ſimplicitate ſenſus literalis totam pene Scripturam in commenta allegorica transformavit: quod alii præpoſterè imitati ſunt.

Patrum quidam Traditionibus addictiores.

Hæretici rejicientes V. T. qui.

*Hæretici* quid ſenſerint, & quâ dignatione Sacram Scripturam habuerint, audiamus. Totum Vet. T. omneſque ejus libros rejecerunt, & cum autore ſuo, Deo nempe Legis & Prophetarum, maledictis inceſſerunt Marcionitæ & Manichæi, & utriſque antiquiores Carporratiani, Cajani, Valentiniani, Cerdoniani, & ſimiles. Ex his tamen Valentiniani V. T. legebant, & ſuſcipiebant, quæ ſpecie aliquâ ad ſimilitudinem ſectæ ſuæ transferre poterant. Irenæus lib. 1. cap. 20, 22, 29. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem. Euſebius lib. 5. ſub finem. Epiphanius item, Auguſtinus, & Damaſcenus de hæreſibus. Quod verò attinet libros N. T. illorum oppugnatione etiam diverſi hæretici non abſtinuerunt, pro licentiâ ſuâ hæreticâ. Ut enim Ebionitæ ac Cerinthiani ſolo utebantur Euangelio Matthæi, appellantes Euangelium ſecundum Hebræos, juxta Epiphanium hæreſi 30. ita alii, anonymi tamen, Marci Euangelium tantum recipiebant; Irenæus lib. 3. cap. 11. & Marcionitæ ſolum Lucæ Euangelium amplectebantur: & quidem à Marcione mutilatum: quod proinde Tertullianus vocabat Marcionis Euangelium, lib. 4. contra Marcionem: & Valentiniani ſpretis reliquis ſolum Johannis Euangelium extollebant: niſi quod narrationibus quibuſdam utebantur ex Lucâ: Irenæus lib. 3. cap. E contrario fuit & alia quædam hæreſis Alogorum & Alogianorum, qui cum cætera Euangelia admitterent ſolius Johannis Euangelio, tanquam

Qui libros quoſdam N. T. repudiarint,

Euangelii,

cum

Digitized by Google

cum aliis pugnanti, ut ipſi calumniabantur, contradicebant. Quos prolixe refutat Epiphanius hæreſi 51. Atque omnes hi hæretici certatim Euangeliorum autoritatem convellere conati fuerunt. Tamen, ut rectè notavit Irenæus lib. 2. cap. 1. tanta eſt eorum firmitas, ut & ipſi teſtimonium ei reddant, dum quæque hæreſis ex Euangeliis ſtuduit ſententiam ſuam confirmare. Jam ut progrediamur ad Acta Apoſtolorum, ea vehementer averſabantur Manichæi, idque ob miſſionem Spiritus Sancti ſeu adventum Paracleti: uti teſtatur Auguſtinus contra Adimantum Manichæi diſcipulum. Manichæi enim fingebant, ſe demum accepiſſe promiſſum Paracletum in ſuo Manete ſive Manichæo. Sed & Cerdoniani atque Marcionitæ Acta Apoſtolorum reprobarunt: notante Tertulliano de præſcriptionibus adverſus hæreticos. Iidem Marcionitæ Pauli Epiſtolas non quidem ſimpliciter recuſabant, ut Ebionitæ, de quibus ſuprà: ſed nec ſimpliciter omnes admittebant, quia duas ad Timotheum, & unam ad Titum de Eccleſiaſtico ſtatu ſcriptas, quemadmodum etiam Epiſtolam ad Hebræos rejiciebant, teſte Tertulliano, lib. 5. contra Marcionem, & Hieronymo præfat. in epiſt. ad Titum. Rurſum aliorum meminit Irenæus, qui Paulum, quod ei myſterium ex revelatione eſſet manifeſtatum, ſolum ex Apoſtolis veritatem cognoviſſe dicebant, repudiantes hoc pacto Petrum, Iohannem, Iacobum, alioſque Apoſtolos Domini lib. 3. cap. 13. Poſtremò Apocalypſin Iohannis averſati ſunt & rejecerunt, non modo Alogi ſive Alogiani: Epiphanius hæreſi 57. ſed etiam Marcionitæ: Tertullianus lib. 4. cont. Marcion. Ubi de iiſdem, poſt Irenæum lib. 1. cap. 29. teſtatur, ut totam Scripturam N. T. ſuſpectam redderent, eos aſſeverare non dubitaſſe, Apoſtolos in iis, quæ ſcripſerunt, tanquam homines errare potuiſſe: tum etiam Pſeudapoſtolos interpolaſſe ſive depravaſſe veritatem eorum, quæ rectè ab Apoſtolis ſcripta erant. Iſtis impudentiores etiam fuerunt Manichæi, palam profitentes, proh nefas! N. T. nec ab ipſo Chriſto, nec ab ejus Apoſtolis ſcriptum: ſed longò poſt tempore, à quibuſdam incerti nominis impoſtoribus literis mandatum fuiſſe, ſcribentibus quæ neſcirent, & Apoſtolorum aut virorum Apoſtolorum nomina ſcriptis ſuis præfigentibus: Auguſtinus contra Fauſtum Manichæum lib. 32. cap. 2. & lib. 33. cap. 6. De *Enthuſiaſtis* illud paucis eſt addendum, circa annum Chriſti 200. ex ſcholâ Tatiani prodiiſſe Montanum & Montaniſtas, ſive Cataphryges, qui fanaticis revelationibus tantum credebant, ἐκστάσεις ſuas longè anteponentes Verbo Dei ſcripto. Ipſe Montanus circumduxit mulierculas duas, à propriis maritis abductas, Priſcam & Maximillam; quarum deliria Spiritus Sancti oracula nominabat:

Period. I. artic. II.

Acta Apoſtolorum.

Pauli Epiſtolæ.

Epiſtolas reliquorum Apoſtolorum.

Apocalypſin.

Univerſum N. T.

Enthuſiaſmi à Montano introducti.



Digitized by Google

Period. I. artic. II.

bat: licet ipſe mulieres fucatâ facie & habitu meretricio uterentur, & ea de rebus futuris prædicerent, quæ ipſo eventu falſa eſſe demonſtrabantur: Euſebius lib. 5. cap. 16. Poſtea annis circiter 70 elapſis, Manes, qui Manichæus, & ipſe afflatus raptuſque divinos jactitavit, blaſphemans, non Apoſtolis, ſed ſibi demum miſſum eſſe Spiritum Sanctum, ducem in omnem veritatem; qui etiam majora ac meliora ſibi revelaſſet, quam Apoſtoli ſciviſſent. Auguſtinus contra Fauſtum lib. 32. cap. 17. Reliqui ſunt Infideles, Judæi & Gentiles, de quorum ſenſu & in Scripturam affectu, jam ſupra diximus. Sed *Judæi* aliud doctrinæ ſuæ atque religionis Principium adſciverunt, nempe Talmud, hoc eſt, Corpus doctrinæ magnum, à doctiſſimis quibuſdam Rabbinis compilatum, multiplicem omnium ſcientiarum doctrinam continens, potiſſimum tamen Jus Civile ac Canonicum Judæorum complectens, ut ſecundum illud univerſa gens & ſynagoga Judaica regeretur, & viveret. Hujus tanta eſt apud Judæos dignitas & veneratio, ut non tantum cenſeatur luculentiſſimus commentarius totius Legis ſcriptæ; ſed etiam ejus complementum & fundamentum: ſine quo Lex ſcripta omninò labaſceret. Plura etiam ad doctrinæ ſuæ demonſtrationem adducunt & citant ex Talmude, quam ex ipsâ Lege & Prophetis. Scriptum eſt linguâ mixtâ, non tantum ex Hebræâ, Chaldæâ, & Hieroſolymitanâ, ſed etiam Arabicâ, Græca, & Latina: unde vocabula non pauca eſt mutuatum: Hinc peculiariter Dialectus illa Talmudica appellatur, quâ cum cognationem habet Rabbinica, quâ Judæi noſtrates utuntur. *Talmud* aliud eſt Hieroſolymitanum, aliud Babylonicum. *Hieroſolymitanum* hujus eſt articuli, in uſum Judæorum, terram Judææ adhuc habitantium, confectum. Autor ejus memoratur Rabbi Jochanan ex tribu Joſeph, qui caput Synagogæ fuit in terrâ Iſraëlis per annos 80. abſolvitque hoc Talmud A.C. 230. Materia operis fuit tum Miſchna R. Jehudæ Sancti, tum Doctorum in eam diſputationes & commentarii: ut Loco antecedente indicavimus. Quia verò pauciores Judæi in terrâ Iſraëlis habitabant, neque liber perfectè omnes Rabbinorum conſtitutiones ac deciſiones continebat, ideò minor ejus ſemper uſus fuit ad hæc uſque tempora. De Babylonico ſequente articulo dicitur. *Gentiles*, maximè Philoſophi, Creſcens, Celſus, Lucianus, Porphyrius, blaſphemam linguam ac manum in Scripturas divinas impegerunt, eas vanitatis, mendaciorum, ac contradictionum impudentiſſime inſimulantes: ut eſt apud Juſtinum Martyrem, Origenem, Euſebium & alios Scriptores antiquos. Porphyrius nominatim Danielem prophetam oppugnavit toto lib. 12. ut autor eſt Hieronymus præfat. Comment. in Danielem. At veritas

Judæi adſciverunt Talmud.

Talmud Hieroſolymitanum.

Gentiles Philoſophi infeſti Scripturam.

Scriptu-

Digitized by Google

Scripturarum non tantum invicta perſtitit, ſed etiam latius perrupit, magno omnium gentium applauſu accepta & approbata. Period. I. artic. II.

Quare ad *Tertium Periodi hujus Articulum* meritò tranſimus: quo Canon Scripturarum divinarum, eadem autoritas in Eccleſiâ perduravit. Siquidem quicquid in V.T. eſt extra Canonem Hebræum, id non Canonicum; ſed Apocryphum judicatum fuit. Suffragia Veterum eam in rem præſto ſunt & multa & indubitata. Euſebii quæ fuerit ſententia ex lib. 4. cap. 25. & lib. 6. cap. 19. nec non ex demonſtratione Euangelicâ, clariſſimum eſt legenti. Athanaſius in Synopſi Sacræ Scripturæ, docet *eam libros habere non infinitos, ſed finitos, & certo canone comprehenſos:* quos cum enumeraſſet, ſubjicit: *Sunt itaque Canonici Veteris Inſtrumenti libri* XXII. *literis Hebraicis numero pares.* Et amplius addit: *Præter iſtos ſunt adhuc Veteris Inſtrumenti libri non Canonici, qui Catechumenis tantùm leguntur: Sapientia Salomonis, Eſther,* hoc eſt, Adjectiones ad eam, ut ex ſequentibus patet, *Iudith, Tobit, &c.* Eadem repetit Epiſtolâ 39. feſtali, Tomo II. Nam poſtquam Canonicos libros eodem modo enumeravit, ſubjicit: *hiſce libris nihil addendum, aut demendum eſſe; alios verò libros præter iſtos non conſtituere canonem, ſed propoſitos fuiſſe à Patribus legendos iis, qui primum accedunt & ſimpliciter edoceri volunt ſermonem pietatis.* His conſonant & alii Patres, Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi quartâ: *Iſtorum,* inquit, *hos* XXII *libros lege: cum Apocryphis verò nihil habeas negotii.* Epiphanius libro de menſuris & ponderibus, poſtquam recenſuit libros V.T. Canonicos, quos non alios agnoſcit, quam qui Bibliis Hebraicis continentur, de Apocryphis pronunciat: *Eſſe eos quidem, utiles & commodos lectu; ſed in numerum librorum Canonicorum non referri: ideoque olim non fuiſſe repoſitos in Aron, id eſt, arcâ ſeu capsâ Eccleſiaſticâ* (ſic enim Hebræi & Syri appellant.) *in quâ fuerunt omnia Canonica ſcripta hebraicè.* Eſt verò Aron aliud ab arcâ fœderis; in quâ nihil erat omninò, niſi Tabulæ Legis 1 Reg. 8. v. 9. Gregorius Nazianzenus in Carminibus de genuinis Sacræ Scripturæ libris, XXII. ſolùm enumerat in V.T. tot ſcilicet, quot Hebræis ſunt literarum elementa: tum in Novo, qui eo continentur. Eoſdem V. & N.T. libros proponit in poëmate Jambico ad Seleucum, de rectâ educatione, omiſſis illis, quos inter Apocryphos recenſemus. Hieronymus in Prologo Galeato exponit, idem ſuo tempore Eccleſiæ Chriſtianæ fuiſſe judicium de libris Canonicis: diſerteque aſſerit, *quicquid eſt contra libros Hebræorum, quos ipſe de Hebræo vertit in Latinum, inter Apocrypha ponendum eſſe.* Similia habet præfatione in lib. Salomonis: ubi de Apocryphis iſta addit: *Non recipi ea inter Scripturas Canonicas: legi tamen in Eccleſiâ ad ædificationem plebis, non ad autoritatem Eccleſiaſti-*

Artic. III. De Canone V.T. teſtimonia. Athanaſii. Cyrilli Hieroſol. Epiphanii. Gregorius Nazianzeni. Hieronymi.

Period. I. artic. III. Ruffini.

*corum dogmatum confirmandam.* Hiſce omnibus ſubſcribit Ruffinus Aquilejenſis Presbyter, qui Expoſitione in Symbolum Apoſtolorum, Cypriano falsò adſcripta, apertè libros Canonicos, qui fidei noſtræ firmamenta ſunt, diſtinguit à non Canonicis Sect. 35. & 36. ubi propoſito catalogo omnium librorum V. & N. T. inquit: *Hæc ſunt, quæ Patres intra Canonem concluſerunt, ex quibus fidei noſtræ aſſertiones conſtare voluerunt. Alios libros non eſſe Canonicos, ſed Eccleſiaſticos, & ſic appellatos à majoribus, quod eos legi in Eccleſiis voluerunt, non tamen proferri ad autoritatem ex his fidei confirmandam.* Ab utriſque diſtinguit ſcripturas apocryphas, quas in Eccleſiis legi noluerint: voce ſtrictius aliquantò, quàm vulgò ſolet, accepta. Unde deducta eſt diviſio librorum Sacrorum æquivoce ſic dictorum, in ordines tres, primus eſt Canonicorum, ex quibus ſolis demonſtrabantur dogmata fidei: alter Eccleſiaſticorum, qui legebantur in Eccleſiâ ad Catechumenorum aliorumque rudiorum inſtitutionem: tertius Apocryphorum, ſenſu anguſtiore, quos, quod fabularum ac mendaciorum pleni eſſent, ne legi quidem ferebant.

Auguſtini.

Auguſtinus non obſervat diſtinctionem librorum Canonicorum & Apocryphorum lib. 2. de doctrinâ Chriſtianâ cap. 8. quod fuit inter prima ejus ſcripta. Sed poſtea plenius inſtitutus & jam Epiſcopus, aliter ſe declaravit: libro 2. contra ſecundam Gaudentii epiſtolam cap. 22. nec non lib. 18. de Civit. Dei cap. 36. quibus locis tria hæc tradit. I. diſtinguit libros Canonicos, quos Eccleſia tenet cum Judæis, ab iis quos abſque Judæis retinet II. hos tamen legi ait propter exempla conſtantia martyrum. III. monet ut ſobriè legantur vel audiantur.

Concilii Laodiceni.

Omnibus hiſce calculum adjicit Concilium Laodicenum, habitum Laodiceæ Phrygiæ urbe, A. C. 364. quod etſi provinciale fuit, confirmatum tamen eſt in Synodo Conſtantinopolitanâ, ſive Sexta generali, Trullanâ dictâ. Siquidem Canone LIX. ſtatuit, nihil legendum in Eccleſiâ, niſi ſolos Canonicos V. & N. T. libros: à quibus in ipſo catalogo librorum ſecluduntur, qui Scripturis Hebræorum non continentur. Cæterum omittitur ibi Apocalypſis Johannis: non quod Canonica non eſſet, ſed quod de eâ non per omnia conveniret ipſis inter ſe Eccleſiis; vel quod Concilium cenſeret, ob difficultatem non poſſe populo cum fructu legi.

De canone Concilii Carthaginenſis III.

Quod autem Concilium Carthaginenſe III. can. 47. vel ut alii 24. Tobiam & Judith & inter libros Canonicos refert, ſciendum eſt canonem illum, ſi non ſuppoſititium, tamen corruptum eſſe: in quo mentio fit Bonifacii Papæ, cum tamen præeſſet Cyricius, quod etiam Surius agnovit. Præterea loquitur non de Canone fidei, ſed de Canone lectionis Eccleſiaſticæ: uti verba ſonant, & Cardinalis Cajetanus fatetur, Quod ſi

ali-

Digitized by Google

aliter accipiatur, non utique convenit cum orthodoxo conſenſu totius antiquitatis. Nec potuit Synodus Provincialis alium Canonem præſcribere Eccleſiæ Catholicæ, quam qui ab Apoſtolis per ſucceſſionem erat acceptus. Falſum igitur eſt, quod ajunt: cum Canon Scripturæ aut obſcurus aut dubius eſſet, per quatuor penè ſecula, demum A. C. 402. definitum & conſtitutum eſſe ab Innocentio I. Epiſt. ad Exuperium Epiſcopum Tholoſanum. Sed Epiſtola illa ſuppoſititia eſt, poſterioris ævi monachiſmum apertè redolens: quâ multa continentur falſa de Cœlibatu Sacerdotum, precibus conjugatorum non auditis, ſanctitate Ordinis clericalis præ laicis,& ſimilia alia. Ut illud non attingam, quod libros Salomonis, & Epiſtolas Johannis plures enumerat, quam habet Canon Pontificius. Quod ſi etiam ante illa tempora Canon Sacræ Scripturæ non fuit definitus & conſtitutus, equidem Eccleſia N. T. ne Chriſti quidem aut Apoſtolorum ejus ætate & miniſterio de Canone Sacro certa fuit, aut eo in aſſerendâ religione contra hæreticos uti potuit. Jam quantum Patres hujus ævi Scripturis Canonicis tribuerint, quem eis venerationis cultum in negotio Religionis detulerint, ſatius eſt ipſorummet, quam alienis verbis cognoſcere. Athanaſius in Synopſi libros Canonicos vocat fidei noſtræ primitias,& anchoras, & ſuſtentacula. Et de incarnatione Chriſti: *Si diſcipuli eſtis Euangeliorum, ne contra Deum loquimini iniquitatem, ſed per Scripturas incedite. Quod ſi diverſa à Scriptura fabulari vultis,quod nobiſcum concertatis,qui neque loqui,neque audire ſuſtinemus, quid ab iſtis extraneum ſit.* Hieronymus ſuper Matthæum: *Quod de Scripturis non habet autoritatem, eâdem facilitate contemnitur, quâ probatur.* Ad Galatas item: *Nulli ſine Verbo Dei credendum eſt. Spiritus Sancti doctrina eſt, quæ Canonicis libris prodita eſt: contra quam ſi quid ſtatuunt Concilia, nefas duco.* Auguſtinus Epiſtolâ 19. ad Hieronymum: *Solis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum autorem ſcribendo errare firmiſſime credam.* Et lib.4. contra Pelag cap.8. *Ne Canonicis literis ullius diſputationis æquetur autoritas:* Rurſum de Baptiſmo contra Donatiſtas, lib. 2. cap. 6. *Afferamus non ſtateras doloſas, ubi appendamus quod volumus, & quomodo volumus pro arbitrio noſtro dicentes; hoc grave, hoc leve eſt: ſed afferamus divinam ſtateram de Scripturis Sanctis, tanquam de theſauris Dominicis,& in illâ quid ſit gravius appendamus, imo non appendamus, ſed à Domino appenſa recognoſcamus.* Chryſoſtomus in Matthæum homil.49. *Nec ipſis omnino Eccleſiis credendum eſt, niſi ea dicant, vel faciant, quæ convenientia ſint Scripturis.* Idem in Pſalmum 95. *Si quid dicitur abſque Scripturâ, auditorum cognitio claudicat.* Sed quid opus eſt verbis, ubi adſunt rerum, hoc eſt, ipſorum teſtimonia Conciliorum, tam generalium, quam particula-

Period. I. artic. III.

deque Epiſtola Innocentii I.

Autoritas Scripturæ apud Patres.

& Concilia.



Digitized by Google

Period. I. artic. III.

Verſio Bibliorum ab Hieronymo edita.

rium, confirmantia, non juxta aliam normam ſive regulam quam Scripturarum divinarum Controverſias Religionis definitas, terminataſque fuiſſe. *Verſiones* Sacrarum literarum Latinæ complures fuerunt hâc tempeſtate, ſed variè diſcrepantes, valdeque corruptæ: ut queritur Hieronymus præfat. in Joſuam, & in Euangeliſtas, tum etiam Auguſtinus Epiſtolâ 10. Unde Hieronymus, ut Eccleſiis Latinis inſerviret, novas interpretationes adornare cœpit. Et Vetus quidem Teſtamentum bis latino eloquio donavit. Semel enim interpretationem ejus edidit de LXX. ut legitur apud Auguſtinum Epiſt. 19. ſub finem, & apud Hieronymum præfat. in Paralipomena. Poſtea quod Judæi Interpretationem LXX. paſſim carperent, & Eccleſiis Chriſti de falſitate Scripturarum inſultarent, pro Veteribus nova cudens Hieronymus ex Hebræo Scripturas in Latinum vertit, ut os Judæis obſtrueret: ſicut præfat. in Eſaiam teſtatur. Hoc tamen conſilium ejus Auguſtino non ſatis probatum fuit, qui metuebat, ne ſi hæc ejus interpretatio per multas Eccleſias reciperetur, à Græcis Eccleſiis Latinæ diſſonarent: atque etiam ne ipſis LXX. aliquid hâc ratione decederet. Interim pro ſuâ modeſtiâ Auguſtinus honorificam facit mentionem novi hujus interpretis Hieronymi, lib. 18. de Civit. Dei cap. 42. Ipſe autem Hieronymus præfat. in Jobum utriuſque ſuæ Verſionis meminit his verbis: *Utraque editio, & LXX. juxta Græcos, & mea juxta Hebræos, in latinum meo ſermone tranſlata eſt: eligat unuſquiſque quod vult:* &c. Novum porrò Teſtamentum Hieronymus non tranſtulit latinè, ſed ſolummodò collatione Veterum Græcorum codicum emendavit uſitatam Latinorum verſionem, iis tantùm, quæ ſenſum videbantur mutare, correctis: reliquis verò, ut fuerant, relictis, ne multùm à latinæ dictionis conſuetudine emendatio diſcreparet. Meminit hujus emendationis Epiſt. II. apud Auguſtinum, quæ Hieronymi eſt ad ipſum: item in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, de ſeipſo loquens. Utrum verò Vetus Vulgata editio, quæ vulgò ſic dicitur, ſit Hieronymi, aut illa ipſa de quâ loquimur, in magnâ diſceptatione verſatur: multis Pontificiorum affirmantibus, negantibus aliis; inter quos ſunt, Eraſmus Roterodamus contra Sutorem, & Santes Pagninus, præfat. in Biblia ſua ad Clementem VII. Sed maxime probabilis eſt opinio eorum, qui mixtam eſſe cenſent, ex editione Hieronymi & antiquâ Vulgatâ, & fortaſſe etiam ex aliis conflatam. Certè Verſio Eſaiæ, Jeremiæ, & aliorum Prophetarum, eſt ipſius: ut Commentariorum collatio evincit. Sed in Pſalterio, Eccleſiaſte, & aliis eſt manifeſta diſcrepantia; quæ fortè remanſerunt, prout erant in vetere, quod cantando & legendo ita aures hominum occuparant, ut mutari non

poſſent

Digitized by Google

poſſent. Poſt Scripturas divinas, hoc Articulo condita ſunt aliquot *Symbola Oeconomica* contra hæreticos, ad declarandum ac vindicandum ſenſum illius, quod Apoſtolicum appellatur. Sunt autem numero quatuor, quæ nonnulli Veterum cum quatuor Euangeliis contulerunt: Nempe Nicenum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Chalcedonenſe; quibus illud quod eſt Athanaſii ferè annumeratur. *Nicænum* ſcriptum eſt Nicææ, primâ Synodo Oecumenicâ, 318 Epiſcoporum, contra Arrium, negantem æternam Deitatem Filii cum Patre: Formula ejus exſtat in actis Synodi cap. 36. nec non apud Socratem lib. 1. cap. 8. & Theodoretum lib. 1. cap. 12. Quæ verò nunc uſitatè in Eccleſiâ recitari ſolet Symboli Niceni formula, ea demum Synodo Conſtantinopolitana ſequente fuit edita. Symbolum *Athanaſii* etſi privatum eſt, tamen cæteris ferè conjungitur, quia tota id approbavit Orthodoxa Eccleſia, atque etiam in ſacris publicis illud uſurpare, non dubitavit: teſte Auguſtino in Pſal. 120, *Conſtantinopolitanum* non tam novum eſt, quam ex Niceno repetitum Conſtantinopoli in Synodo 150 Patrum, contra Macedonium negantem deitatem Spiritus Sancti. Etenim confirmatis decretis Synodi Nicenæ, poſt illa verba, *Et in Spiritum Sanctum*, hæc quoque fuerunt adjecta, *Dominum vivificantem, qui ex Patre & Filio procedit, & cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas.* Quanquam ex Zonaræ verbis tomo III. colligere licet, reliqua etiam Symboli verba uſque ad finem, tum acceſſiſſe: *Et unam Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam; Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum; exſpecto reſurrectionem mortuorum; & vitam venturi ſeculi.* *Epheſinum* conſtat XII anathematiſmis à Cyrillo Alexandrino ſcriptis contra Neſtorium, negantem unionem perſonalem duarum in Chriſto naturarum, & frequenti Synodo 200 Patrum magno conſenſu approbatis. Poſtremum eſt *Chalcedonenſe*, Chalcedone conditum Synodo generali 630 Patrum, contra Eutychem, negantem diſtinctionem duarum naturarum in unâ Chriſti perſonâ. Horum Symbolorum permagna ſemper in Eccleſia æſtimatio fuit: non quod paria cenſerentur Scripturis divinis, quæ à Deo immediatè Prophetis & Apoſtolis fuerunt inſpirata; ſed quod alia ſcripta humana, atque etiam Eccleſiaſtica excederent, atque potiora autoritate haberentur, tanquam confeſſiones generales totius Eccleſiæ Catholicæ: communi nomine ex Verbo Dei ſcriptæ, publico Eccleſiæ judicio approbatæ, & ex quo ſemel receptæ ſunt, per tot ſecula conſtanter ſervatæ. Patres, quos nulla Eccleſiæ ætas vel plures, vel celebriores tulit, aut vidit, ne eo quidem autoritatis gradu ſunt ſtatuendi. Et quamvis eximiis non modo doctrinæ ſed ſanctitatis inſuper chariſmatis excelluerint,

Period. I. attic. III. Symbola fidei edita.

Nicenum.

Athanaſii.

Conſtantinopolitanum.

Epheſinum.

Chalcedonenſe.

Autoritas Conciliorum.

& Patrum.

Digitized by Google

Period. I. artic. III.

lucerint, communem tamen infirmitatis humanæ ſortem non fuerunt ſupergreſſi, ut falli & errare in fide ac religione nequiverint. Quod ipſimet ingenuè de ſe confitentur: nominatim Hieronymus in Pſal. 86. & Eccleſ. cap. 12. Auguſtinus item Epiſt. 19. ad Hieronymum, & 32. ad Paulinum, & 111. ad Fortunatianum. Abſque hoc verò etiam varii eorum, qui ſcripſerunt, nævi atque errores oſtendunt. Conſenſus ipſorum inter ſe, ad quem vulgò provocant, non eſt niſi humanus, eoque fallibilis, utpote complurium hominum eâdem de re conſentiens judicium. Et univerſalis quidem ut operoſus eſt & ambiguus, ita vix unquam obtineri poteſt. Particularis autem non majus momentum habet, quam ſingulorum, vel ſaltem paucorum quorundam teſtimonium. Porrò Patribus, qui orthodoxè ſenſerunt & docuerunt de Sacrâ Scripturâ, grave certamen fuit cum Hæreticis, non modo *Manichæis*, de quibus ſuprà: è quorum ſectâ præcipuum tum nomen habebant Adimantus, Fauſtus, Felix, Fortunatus, Secundinus: adverſus quos partim voce, partim ſcriptis pugnavit Auguſtinus, qui & ipſe aliquando in eâdem fuerat hæreſi: ſed cum aliis quoque, nimirum Anomæis, Priſcillianiſtis, Antropomorphitis, Meſſalianis, & Mirabiliariis. *Anomæi* ſive *Anomiani*, ab ipſâ dogmatum abſurditate ſic appellati, contenderunt, non omnia, quæ Sacris literis continentur, eſſe à Spiritu Sancto Inſpirata, ſed aliqua interdum ſolâ prudentiâ & ratione humanâ duce eſſe ſcripta: quo Epiſtolam ad Philemonem & alia nonnulla referebant: Epiphanius hæreſi 76. quæ etiam aliorum quorundam fuit opinio, teſtibus Hieronymo præfat. Comment. Epiſtolæ ad Philemonem, & Auguſtino lib. 2. contra adverſarios legis & Prophetarum cap. 2. *Priſcillianiſtæ*, à Priſcilliano, gente Hiſpano, ſic dicti, Prophetas V. T. abreptitios & fanaticos homines, & ut ignaros voluntatis divinæ accuſabant, eoque & ſcripta illorum aperte aſpernabantur & rejiciebant. Leo I. Epiſt. 93. cap. 12. Auguſtinus tamen de ſui temporis Priſcillianiſtis loquens, teſtatur, nihil Scripturarum Canonicarum eos repudiaſſe, ſed præter Canonicos libros etiam Apocryphos amplexos fuiſſe; inſuper in ſenſus allegoricos detorſiſſe, quicquid in Sacris literis eorum errorem evertit: lib. de hæreſibus ad Quodvultdeum hæreſi 70. *Antropomorphitæ* contra, qui circa A. C. 400 emerſerunt ſenſum Scripturæ metaphoricum & allegoricum transformarunt in literalem & proprium, iis maximè locis quibus Deo membra, ſenſus, motus, actiones, & alia id genus humana tribuuntur. Hiſtoriæ tripartitæ lib. 1. cap. 2. *Meſſaliani* inſano abrepti furore, ſpretis Scripturis, quidvis ſe eſſe ſomniarunt: modo Patriarchas, modo Prophetas, modo Chriſtum ipſum: atque enthuſiaſmos ſuos impudentiſſimè craparunt.

[Margin: Hæretici oppugnati. Manichæi. — Anomæi. — Priſcillianiſtæ. — Anthropomorphitæ. — Meſſaliani.]

De

Digitized by Google

De quibus Epiphanius, Auguſtinus, & alii. Poſtremò *Mirabiliarii* ſive *Miracularii* cum viderent quod ſinguli hæretici Scripturas ad ſe traherent, & ex iis erroris ſui confirmationem petere videri vellent, expeditiſſimum judicarunt, ut miſſis Scripturis ad miracula recurrerent, & iis dogmatum ſuorum veritatem comprobarent: Vel ſi uterque eorum, qui contraria docebant, ederet miracula, (quod aſtu Satanæ nonnunquam fiebat,) illius tantum vera haberentur, qui plura aut majora feciſſet, hoc eſt, magis ſtupenda ac inaudita. Nicephorus lib. 8. cap. 35. & lib. 14. cap. 45. Hæreticis ſuccedunt Infideles. Judæi & Gentiles. *Judæi* circa A. C. 500 adornarunt & ediderunt *Talmud Babylonicum*, gentis ſuæ exulibus in Babyloniâ ac aliis in terris ſcriptum. Partes ejus generales ſtatuerunt duas, Miſchna & Gemara. Miſchna, δευτέρωσις, lex ſecundaria, continet omnes traditiones Patrum, quæ inde à Moſe obſervatæ, & vivâ voce traditæ ſunt, ad annum uſque Chriſti 150. & imperium Antonini Pii: ſub quo Rabbi Juda Sanctus, ne in illâ diſſipatione populi ſui Lex oralis paulatim intercideret, ex ſchedis Judæorum, quas quiſque ſibi memoriæ causâ notarat, collegit omnes traditiones, atque in unum librum conjecit: qui inde *Sepher Miſchnajoth* liber Traditionum dictus fuit. Gemara eſt altera pars Talmud, quæ diſputationes Doctorum ſuper libro Miſchnajoth in Judæâ ac Babyloniâ habitas, & earundem deciſiones ſummatim complectitur. Duæ iſtæ partes ſic per totum Talmud diſpoſitæ ſunt, ut Miſchna quælibet tanquam Juris textus præcedat: Gemara cuique Miſchnæ, tanquam ejus in diverſas ſententias ventilatio ac deciſio ſubjiciatur. Utraque rurſum ſex partibus ſpecialibus ſubdiſtinguitur; quæ ipſis dicuntur ſex Ordines ſive Ordinationes, & totum Talmud abſolvunt. Prima eſt Seder Seraim, de ſeminibus & fructibus terræ. Secunda eſt Seder Moed, de ſacris feſtis. Tertia eſt Seder Naſchim, de mulieribus. Quartâ Seder Nezikim, de damnis. Quinta Seder Kodaſchim, de Sanctitatibus. Sexta Seder Tohoroth, de purificatione ac pollutione qualibet. Partes haſce primus Rabbi Juda conſtituit: alii verò deinde conſtanter retinuerunt. Sed unaquæque rurſum dividitur in libros, libri in capita, & hæc in Miſchnas ſive aphoriſmos doctrinales. Libri univerſè ſunt 63. capita 524. Miſchnæ propè innumerabiles. Sermo in hoc Talmud aliquanto purior eſt, quam in priore. Autoritas verò tanta, ut non modo ubique ſtatim receptus ſit à Judæis, ceu corpus juris authenticum, ſed etiam ab eo tempore huc uſque magno conſenſu approbatus, & publicè privatimque uſurpatus. De Superſtitione *Gentilium* illud hoc loco prætereundum non eſt: cum Carmina Sybillina per multa ſecula in ſummâ veneratione fuiſſent, eiſque ab Auguſto reddita eſſet dignatio,

Period. I. artic. III. Mirabiliarii.

Judæi Babylonicum Talmud vulgarunt.

Carmina Sibyllina abolita.

Period. I. artic. III.

ut eſt apud Suetonium cap. 31. quadringentis plus minus poſt illum annis, id eſt, circa hæc tempora, imperante Theodoſio Majore, converſa melior Senatus pars ad fidem Chriſtianam, cœpit contemnere inania hujuſmodi figmenta. Sub Honorio autem Stilicho, comes Palatii, ea abrogavit ac flammis tradidit: ut annotant Proſper de Prædeſtinat. lib. 3. cap. 28. & Rutilius Numatianus Gall. itinerar. lib. 2. Quod abolendis reliquiis Paganæ impietatis haud parum momenti attulit.

Periodus N. T. ſecunda. Artic. I.

Supereſt ut deinceps pari filo contexamus, quæ ad *Periodum Secundam N. T.* pertinent. Incidunt autem in *primum* ejus *Articulum* initia Papiſmi & Mahometiſmi: ut alibi monuimus: quorum ille Eccleſias Occidentis ſive Latinas, iſte Orientis ſive Græcas, graviſſimè afflixit, & tandem oppreſſit. In Eccleſiis Occidentalibus ſive Latinis, quis ordo fuerit Librorum Canonicorum, quæve eorundem autoritas, haud obſcurum eſt in horum temporum Scriptoribus. Siquidem à Libris Apocryphis aperte diſtinguuntur Canonici: tum etiam fidei vitæque regula ſtatuuntur: à Gregorio Magno in moralibus expoſitionibus, ſive Commentariis & Epiſtolis, paſſim: ab Iſidoro Hiſpalenſi lib. 6. Etymol. cap. 2. & lib. 1. de Summo bono cap. 19. à Bedâ in Commentariis Sacris, & pluribus aliis. In Statutis Eccleſiaſticis Caroli M. & Ludovici Pii Imperatorum, quæ Capitula ſeu Leges Eccleſiaſticæ & Civiles dicuntur lib. 1. cap. 20. citatur canon Synodi Chalcedonenſis, ut Canonici libri tantùm legantur in Eccleſiâ, Apocryphi non item. Ergò diſcrimen librorum antiquum adhuc obtinebat. Carolus M. contra Synodum Nicenam II. lib. 1. cap. 15. proponit diſtinctionem librorum V. T. in Legem, Prophetas, Hagiographa: ſub quâ ſoli libri Canonici comprehenduntur. Lib. 2. cap. 30. luculentiſſimum eorum contexit elogium, dignitatem ſimul & uſum Scripturarum multiplicem commemorans. Ludovicus verò filius ipſius, cognomento Pius, non modo commendavit Eccleſiis ſuis Sacrarum literarum lectionem, ſed etiam eas transferri in linguam Teutonicam, ac rythmis Teutonicis illigari mandavit. Nempe ut non minus ab idiotis, quam ab eruditis legi ac facilius retineri poſſent.

In Eccleſiis Latinis valuit diſtinctio libb. Canonicorum & Apocryphorum.

Papiſmi corruptelæ circa Scripturam.

Sed quemadmodum *Papiſmus*, infelicibus auſpiciis natus in Eccleſiâ, paulatim ſuccrevit, ac ſuperiores hæreſes mutato tantum nomine, partim ut alveus recepit, partim ut vaſtum quoddam mare abſorpſit; ita principia religionis vel corrupit cum hæreticis, vel alia iis ſuperinduxit. Etenim diſcrimen librorum Canonicorum & Apocryphorum neglexit, & paulatim ſuſtulit. Senſus peregrinos, à contextu Scripturarum ac fidei analogiâ confinxit ac in Eccleſiâ propoſuit. Verſionem Veterem Latinam, etiam ubi lingua illa

ignota

Digitized by Google

ignota erat, invexit, ac in ſacris publicis uſurpari voluit, etſi aliis quoque verſionibus ſuus locus eſſet. Tum etiam, quod Biblia Sacra prolixiora viderentur, quam à rudi vulgo Legi, aut ſi prælegerentur conſervari memoriâ poſſent, ex integris libris, præcipue Euangeliſtarum & Apoſtolorum, ſelectæ quædam lectiones excerptæ ſunt, ac certis anni temporibus accommodatæ. Inter opera Gregorii M. exſtat liber homiliarius, in quo Homiliæ recitantur quadraginta, in totidem particulas textuum Euangelicorum, quæ in Eccleſiâ Romanâ ſtatis diebus legi pro more ſolebant. Beda quoque homilias æſtivales ac hibernas de tempore & de ſanctis edidit, in certas lectiones depromtas ex Euangeliſtarum narrationibus. Poſt utrumque verò, juſſu & autoritate Caroli M. Alcuinus ejus Præceptor, vel ut alii Paulus Diaconus, lectiones Dominicales certo ordine diſtinxit, iiſque homilias Patrum. explicationis gratiâ, accommodavit: quæ Poſtillarum nomine notæ ſunt, & in multis Eccleſiis hodieque uſurpantur. Unde factum ut liber & lectio Bibliorum paulatim in deſuetudinem, atque adeò in oblivionem veniret, & alia doctrinæ principia accerſerentur, atque adhiberentur. Cujuſmodi ſunt Traditiones, Patres, Decreta Pontificum Romanorum, & alia iis ſimilia. Traditiones non tantùm majore numero invexerunt, ut iis paulatim obrueretur Eccleſia; ſed etiam ipſi Verbo divino ſcripto æquarunt. Unde etiam Verbum ἄγραφον appellatæ ſunt. Colores ad id excogitati varii. Non omnia ſcriptis mandata eſſe, quæ docuerunt & fecerunt Chriſtus, ejuſque Apoſtoli; Papiam, Irenæum, Tertullianum, & alios Scriptores antiquos meminiſſe Traditionum, quas Viri Apoſtolici ab ipſis Apoſtolis acceperint. Tum etiam ritus, ceremonias, & alia quædam inde ab ætate Apoſtolorum per tot ſecula obſervari in Eccleſiâ: quæ ab ipſiſmet Apoſtolis profecta eſſe oporteat. Meritò igitur Traditiones, tanquam divinas & Apoſtolicas in pretio eſſe. Jam Patres, qui ante & poſt Concilium Nicenum vixerunt, plurimi ſemper fecit Eccleſia. Præ cæteris quid tributum ſit Auguſtino, liquet ex Epiſt. 31. & 35. & Innocentii I. homil. 17. Ea autoritas ut cum tempore crevit, ſic ſuperſtitione roborata eſt: ita ut cum ſanis dogmatis etiam nævi ipſorum ac errores approbarentur: perinde ac ſi extra errandi periculum non minus quam Scriptores θεόπνευςοι fuiſſent. Decreta Pontificum ſunt eorum reſcripta de fide, moribus, ac gubernatione Eccleſiaſticâ: quibus omnia in Eccleſia conformari juſſerunt: ex formulâ Bonifacii III. *Sic volumus, jubemus.* Nonnulli etiam hujus articuli Pontifices fulmen anathematis addiderunt. Atque ex eorum Statutis ordinatæ ſunt Eccleſiæ Germanicæ à Bonifacio, & Britannicæ ab Auguſtino quodam, & aliis ejus Succeſſoribus.

Period. II. artic. I.

Homiliæ & Poſtillæ introductæ.

Nova Principia adſcita.

Traditiones.

Patres.

Decreta Pontificum.



Digitized by Google

Period. II. Artic. I. Miracula & viſiones.

ribus. Denique nec omiſerunt Miracula, Viſiones, Somnia, & id genus illuſionum ad commenta ſua perſuadenda, & in Eccleſiâ ſtabilienda. Hoc conſilio Gregorius III. publicavit dialogos Gregorii I. Monachi & Eremitæ viſiones ſuas & apparitiones jactitarunt Pontifices etiam in Eccleſiis talia proponi mandarunt. Ex hiſce fontibus tam limoſis atque etiam venenatis profluxit non tantum corruptela doctrinæ, ſed etiam obſcuratio & neglectus Verbi Dei ſive Scripturæ Sacræ, per Eccleſias Occidentis ſive Latinas. Interea quæ fuerit Eccleſiæ Orientalis ſive Græcæ de Sacra Scripturâ fides atque ſententia, etſi ex variis monumentis oſtendi poteſt, tamen in præſens ſufficiet, vel unius Johannis Damaſceni teſtimonium longè clariſſimum. Is lib. 4. cap. 18. apertè docet, tantum duos & viginti eſſe libros Vet. T juxta elementa Hebræa, quæ ordine quoque recenſet. De Sapientiâ verò & Eccleſiaſtico, ſcriptis Apocryphis idem pronunciat eſſe quidem libellos pulchros & honeſtos, at non numerari inter Propheticos, neque in arcâ ſive capſâ Eccleſiæ repoſitos fuiſſe. Tum ſubjicit libros N. T. eoſdem plane & eodem ordine, quo hodieque leguntur. Sub finem quidem addit Canones Sanctorum Apoſtolorum, per Clementem editos, ſed non aliter, quam ante Sapientiæ & Eccleſiaſtici meminerat. Quanquam ne ipſi quidem Pontificii Canones iſtos in Canonem Scripturæ recipiunt: ut alibi oſtendimus. Secutus autem eſt Damaſcenus Judicium cum aliorum, tum Leontii Bizantini, Scriptoris aliquanto antiquioris, qui poſtquam in libello de Sectis recenſuit libros V. & N. T. ſubjicit tandem: *Hi ſunt libri, qui in V. & N. T. Eccleſiâ habentur pro Canonicis.* Græci tamen & ipſi paulatim deflexerunt ab hâc fidei ſinceritate: nec Traditionibus modo, verum etiam Enthuſiaſmis, Somniis, Miraculis locum dederunt ac fidem habuerunt: ut liquet ex actis Synodi Nicenæ II. nec non ex aliis narrationibus. Porrò quæ Judæos & Gentiles attinent, ex iis quæ ſupra diximus, repetenda ſunt. De *Mahometiſmo* verò hîc ex profeſſo agendum. Fundamenta ejus ac Principia alia Communia ſunt, alia Propria. Communia dicimus Scripta V. & N. T. quæ unà cum Chriſtianis agnoſcunt & ſuſcipiunt, ut divina & Canonica. Utque de Veteri Teſtamento ſeorſim loquamur, I. diſertè approbat ac confirmat Mahomet autoritatem divinam Moſis ac Prophetarum, tanquam Servorum Dei, per quos ipſe fuerit locutus & miracula ediderit: azoara 2. 29. 50. 52. ubi etiam nominantur Patriarchæ ac Prophetæ, ne de ſolo Moſe, tanquam ordinis Prophetici coriphæo id accipiatur. II. recitat ac laudat præcipuas hiſtorias V. T. inde à Geneſi & deinceps; azoara 2. 3. 11. 12. 17. 22. 30. 31. 37. 47. 48. 50. 61. III. teſtatur nihil ſe docere, aut credendum faciendumve

Græcæ Eccleſiæ fides de Scripturâ.

Corruptela doctrinæ illius.

Mahometiſmus agnoſcit libros V. & N. T.

propo-

Digitized by Google

proponere, quod contrarium ſit Moſi ac Prophetis: azoarâ 51. Period. II.
IV. dum negligit libros Apocryphos, & nihil ex iis profert, oſtendit artic. I.
quo loco eos habeat. Ubi tamen notandum, quod corruptelarum inſimulat libros Moſis ac Prophetarum, corruptos dictitans à Chriſtianis, qui exemerint & inſeruerint, quod religioni ſuæ commodum & conveniens: azoara 5. & 71. nimirum ut contradictiones ſuas diluere poſſet, & excuſare depravationes hiſtoriarum, quas aliter refert, quam in Sacris exſtant. Novum Teſtamentum utrum totum admittat, an partem duntaxat ejus, præcipuè Euangelia & Acta, dubium videri queat. De hiſtoriâ Euangeliorum & Actorum res plana eſt. I. enim nominat & commendat Euangelium ac Teſtamentum Jeſu, complectens doctrinam, quam ipſe divino juſſu propoſuerit; idque ſub comminatione graviſſimâ: azoara 5, 11, 13, 53, 58, 67, 71. II. Hiſtorias quoque nonnullas ex Euangelio allegat & commemorat, de Johanne Baptiſtâ, & Jeſu Chriſto: azoara 5, 13, 15, 29, 31, 53. III. diſertè fatetur azoarâ 2. Si maxime maneat Chriſtianus in religione Chriſti, modo Deum invocet, & ſtudioſus ſit bonorum operum, abſque dubio ſalvatum iri. De Apoſtolis & Scriptis ipſorum non eſt res adeò liquida. Nullam enim uſpiam facit ipſorum mentionem. Per conſequentiam tamen id non male colligitur, hoc quoque probari. I. quia memorat & laudat Euangelium & Teſtamentum Chriſti, nempe Novum, Veteri contradiſtinctum: azoara 5, 12, 13, 58, 67. Illud autem etiam Epiſtolas Apoſtolorum complectitur. II. paſſim Chriſtum prædicat tanquam doctorem veritatis, qui veram ſalutis doctrinam tradiderit. Ergò cum in Euangelio narratur, quod Apoſtolos elegerit, cum mandato docendi ablegarit, etiam ipſorum doctrina vera eſt. III. comparat Chriſtum cum Adamo, azoarâ 5. quod mutuatus eſt ex Paulo 1 Cor. 15. licet comparationem laxet ac corrumpat. Propria Principia ſunt tum Alcoranus Mahometis, tum etiam Zoma, quibus nititur Mahometiſmus. *Alcoranus* Arabicè dicitur אלקיראן, Græcè κοῤῥὰν ſive κυρὰν: *al* eſt articulus; radix eſt קרא *legit*, vel קרר *confeſſus eſt*, ſive *correxit*: ut Alcoran ſit vel confeſſio doctrinæ & fidei, quam Mahumetani tenent, vel correctio, ſcilicet Veteris & Novi Teſtamenti; quod Mahometes emendare, mitigare, ac tolerabilius reddere voluerit. Ajunt enim tres fuiſſe magnos Dei Prophetas, divinitus miſſos ad docendam religionem, ita tamen ut poſteriores ſemper aliquid perfectius & conſummatius tradiderint. Primum fuiſſe Moſen, qui Legem dederit Judæis in monte Sinai. Secundum Chriſtum, qui Euangelium promulgarit Chriſtianis, ſed emendatius &

*Propria principia ſunt Alcoranus.*

Period. II. artic. I. perfectius Lege Moſis. Tertium eſſe Mahometem, qui Saracenis attulerit Alcoranum, multò pleniorem & conſummatiorem Lege Moſis & Euangelio Chriſti: poſt quem non ſit exſpectanda alia revelatio. Eſt igitur Alcoranus doctrinæ ſive religionis à Mahomete traditæ,& ex Judaicâ & Chriſtianâ conſutæ Syſtema ſive Corpus. Scriptus eſt linguâ Arabicâ,Saracenorum propriâ ſive vernaculâ. Eſt liber mole modicus, qui ſuis capitibus ſive ſectionibus diſtinguitur, majoribus vel minoribus, numero 124. vulgò azoara appellatis, Arabicè Súraton vel Suráton capitulum. Præter Alcoranum eſt *Zuma*, liber commentarius, plenius declarans doctrinam religionis, à Mahomete, Ali, vel Homer profectus: qui tamen in paucorum manibus, & minus notus eſt. Exſtat & Dialogus de doctrinâ Mahometis, magnæ autoritatis,qui authenticus ipſis. Atque hæc ſunt Principia Mahometiſmi. Fundamenta autem ac firmamenta ejus duo adhibita. Unum: Enthuſiaſmi, & ſecretæ revelationes ac colloquia cum Angelo Gabriel;qui attulerit Alcoranum,ipſius Dei manu exaratum;quæ Saracenis eò facilius perſuaſit, quia ipſe Mahomet lectionis & ſcriptionis prorſus rudis & neſcius erat. Alterum: Gladius & vis corporalis. Docuit enim Moſen & Chriſtum ſuam quemq; doctrinam confirmaſſe per miracula; aſt ſuam non fuiſſe ſtabiliendam per miracula; niſi unum, quod Lunam manu ſuâ de cœlo detraxerit, ſuoque rurſum loco repoſuerit; (cujus tamen ipſe ſolus teſtis fuit, & præco Mechæ:) ſed per gladium & vim. Unde non licet contradicere Alcorano, capitis pœnâ in eum ſtatutâ qui illud fecerit:& inde ab initio vi atque armis propagata eſt ſuperſtitio per Aſiam, Africam, & Europæ etiam partem non exiguam.

Zuma. Confirmatus. Enthuſiaſmis. Gladio & vi externâ.

Artic. II. Papiſmi corruptelæ, adverſæ S. Scripturæ. Pervenimus ad *Secundum Articulum Secundæ Periodi* Eccleſiæ Novi Teſtamenti: quo, Sacrâ Scripturâ invaleſcentibus tenebris Papatus tam neglectâ, quam abjectâ, ſurrogata ſunt Jus Canonicum, Theologia atque Hiſtoria Scholaſtica, nec non Euangelium novum Cyrilli, ſub quibus cætera omnia corruptelarum principia comprehenduntur. *Ius Canonicum* eſt, quod decretis Pontificum & ſtatutis Conciliorum, tam generalium quam Provincialium, conſtat,normam gubernationis Eccleſiaſticæ, tum etiam vitæ ac morum proponens: can.3. diſt.1. Et ſic dicitur autoribus ſuis à Canone ſive regulâ, quod ipſis recti pravique regula ſit;ſive ut ipſimet loquuntur,quod rectâ ducat,nec aliorſum trahat, imò quod diſtortum pravumque eſt corrigat. Prima ejus fundamenta jam ante jacta fuiſſe à Burchardo Wormatienſi & Ivene Carnutenſi, loco I. oſtendimus. Quanquam utroque priores fuerunt Hilarius Sardus Pontifex Romanus, & Iſidorus Hiſpalen-

Jus Canonicum.

ſpalen-

ſpalenſis qui jam A.C.463. & 609. Canones quadam juris formâ & appellatione compoſitos in publicum emiſerunt. Sed horum opera ac monumenta eviluerunt, poſtquam Gratianus monachus Benedictinus A.C.1145. Eugenio III. Pontifice ſcripſit & evulgavit Decretum, ſive concordiam diſcordantium canonum. Poſt ipſum annis 75. A.C. 1220. Raimundus Barchinonenſis mandato Gregorii IX. addidit Decretales. Inde Bonifacius VIII. in Conſilio Lugdunenſi A.C.1295. adjunxit novum volumen Decretalium. Clemens item V. A.C.1308. ſuperaddidit Conſtitutiones, de ſuo nomine Clementinas appellatas. Quibus omnibus noviſſimè attextæ ſunt cum ab aliis Pontificibus, tum maxime à Johanne XXII. circa A.C.1320. Extravagantes. Ex hiſce omnibus totum corpus Juris Canonici tandem eſt conflatum, quod formæ primævæ reſtitutum & poſtremo confirmatum fuit autoritate Gregorii XIII. Pontificis A.C. 1580. Partes ejus generales duæ conſtitui poſſunt: Decretum & Decretales. Decretum complectitur conſtitutiones Eccleſiaſticas, à Pontifice Romano, adhibito Concilio Cardinalium & Epiſcoporum, ad nullius petitionem vel conſulationem factas. Cujus rurſum partes ſunt quatuor. Prima diſtinctionibus viginti de canonum cauſis, effectis, atque uſu in genere diſſerit. Secunda deſcribit miniſtrorum Eccleſiaſticorum diverſos ordines atque officia: à diſt.21.ad 101. Tertia complectitur varia ad Eccleſiaſticam gubernationem pertinentia, de judiciis Eccleſiaſticis, de Eccleſiarum facultatibus, diſciplina & cauſis matrimonialibus. Quarta pars, inſcripta de Conſecratione, & quinque diſtinctionibus abſoluta, conſumitur in explicandis ceremoniis tum Sacramentalibus, tum etiam aliis. Excerpſit hoc opus Gratianus ex quatuor potiſſimum ſcriptorum generibus, videlicet ex Canonibus Conciliorum: ex decretis Pontificum: ex Commentariis & Epiſtolis Patrum, & denique ex hiſtoriis Eccleſiaſticis: ſed ita, ut ſæpè truncet autorum dicta & à ſententia ipſorum aberret: alias ſuppoſititia ſcripta pro genuinis adferat, ac titulis fallat. Methodum hanc ferè adhibet, ut materias in diſtinctiones & cauſas partiatur. In Diſtinctionibus initio proponit ſtatum ſive ſententiam generalem, tanquam locum communem, de quo agendum: mox accumulat Canones ſive pronunciata ad eum ſtatum confirmandum: & ſic concluſionem ſubnectit. Quinquam etiam congeſtis variis dictis in utramque partem diſputat, & tandem definit. In Cauſis principiò narrat factum aliquod ſive fictum exemplum. Hinc quaſi in membra pro circumſtantiarum diverſitate, id reſolvit, &, ſi opus, de ſingulis quæſtiones movet, eaſque excutit, more Juriſconſultorum. Omnia autem, tam in

Period. II. artic. II.

ejus partes.

Digitized by Google

Period. II. artic. II.

in Diſtinctionibus, quam in Cauſis, placitis Pontificum, & receptis tum in Eccleſia Romanâ opinionibus accommodat. Decretales ſunt Epiſtolæ & reſponſa, quæ vel Papa ſolus, vel cum Concilio Cardinalium, aliquo interpellante promulgavit, & legis inſtar eſſe voluit. Abſolvuntur quinque libris Decretalium antiquorum de Ordinibus Eccleſiaſticis, de proceſſu cauſarum ac judiciorum, de vitâ Clericorum, de matrimonio & pœnis Eccleſiaſticis: tum etiam quinque aliis libris ex Sexto Decretalium, Clementinis, & Extravagantibus compoſitis: quibus eadem plenius declarantur, & alia omiſſa adduntur.

autoritas.

Autoritas Juris hujus Canonici tanta fuit, ut non modò publicè doceretur in Scholis Theologicis, exerceretur in foro conſcientiæ, ſed etiam Gregorius IX. & poſt ipſum alii, illud inter Scripturas Canonicas connumerari, tanquam authenticum, & vim conſcientias hominum obligandi habere voluerit.

Theologia Scholaſtica conflata ex

De *Theologiâ Scholaſticâ*, quæ cum Petro Lombardo circa idem tempus, nempe A.C. 1145. effloruit, diximus loco antecedente. Hîc id tantum nobis propoſitum, ut principia ejus, ex quibus exſtructa eſt, indicemus. Sunt autem duo potiſſimum; Sententiæ Patrum, & Philoſophia Peripatetica, maximè verò Metaphyſica, Phyſica, Ethica, & Logica Ariſtotelis: quibus quantum in doctrinâ fidei ac religionis tribuendum ſit, alias docuimus.

Patribus,

Patres Lombardus ipſe ejuſque interpretes & ſectatores ita allegant, ut à mente eorum & ſenſu, longiſſimè recedant, verba ipſorum additione, detractione, interpolatione mutent, denique rationes Patrum, quibus ipſi nituntur, vel omninò prætermittant, vel pro libitu ſuo detorqueant. Etſi verò etiam ex Scripturis paucula quædam adferunt, tamen quia ubique autoritatibus Patrum aſſertiones ſuas ſtabiliunt, certè exemplo ſuo docuerunt, ex hominum ſcriptis potius, quam ex Dei verbo quoad religionem eſſe pendendum.

& Philoſophis.

Philoſophiam Lombardus parcè attigit in ſuo opere: ac ne ſemel quidem Ariſtotelis meminit: Sed inde ab Alberto Magno & A.C. 1220. ac deinceps, non tantùm æquiparata eſt Sacræ Scripturæ Philoſophia, ſed etiam ei apertè prælata: partim quia ex eâ penè ſolâ dogmata fidei definita: partim, & ſi quando obiter etiam advocaretur Scriptura, tamen probationes ejus tantùm rationes dialecticæ ac probabiles opinationes, iſtius verò argumenta ἀποδείξεις ac demonſtrationes habitæ ſunt. Unde factum, ut illi ſoli, qui in Metaphyſicis, Phyſicis, Ethicis, Logicis Ariſtotelis, hoc eſt, in Philoſophiâ Peripateticâ benè verſati erant, inſignes Theologi cenſerentur: quaſi proprium ὑποκείμενον ſive ſubjectum Theologiæ, in quo occupetur Theologus, ſit Philoſophia, non ipſum Verbum Dei, Sacris Scripturis expoſitum.

Hiſtoria Eccleſiaſtica.

Jam *Hiſtoriam Utriuſque Teſtamenti Eccle-*

Digitized by Google

*Eccleſiaſticam* conſarcinavit,& ſedecim libris digeſſit Petrus Comeſtor, Alexandro III. Pontifice, circa A.C. 1150. inde Magiſter Hiſtoriæ Scholaſticæ ſalutatus. Contracta eſt ex Geneſi, Exodo, Levitico, Numeris, Joſuâ, Judicibus, Ruth, duobus Samuelis, & totidem Regum libris, ex Tobiâ, Ezechiele, Daniele, Judith, Eſtherâ, Maccabæis; item ex quatuor Euangeliis, & Actis Apoſtolicis: ita quidem ut gloſſis illius ætatis tum falſiſſimis, tum inſulſiſſimis farta fuerit, nec additamentis ex profanis & aliis incertis hiſtoriis aucta amplificataque. Nihilominus eâ dignitate ac veneratione fuit, ut mox ubique reciperetur per Eccleſias & Scholas, & ipſi Scripturæ Sacræ nudæ & puræ aut præferretur, aut ſaltem gratior eſſet. Ejuſdem farinæ meritò cenſetur novum *Euangelium*, circa A.C. 1190. à *Cyrillo* quodam Carmelitâ cuſum ac fabricatum ex veteribus Origenis erroribus in Epiſtolam ad Romanos, quod æternum Euangelium appellarunt, quaſi Domini noſtri Jeſu Chriſti, Filii Dei æterni Euangelium ad tempus tantum, tanquam lex illa vetus & ceremonialis, datum eſſet. Probatum fuit mirificè cum ab aliis, tum à Monachis præſertim, hanc maxime ob cauſam quod dogmata Scholaſtica confirmabat, ritus ſuperſtitioſos Romanæ Eccleſiæ approbabat, ac Monachorum ordines, regulas, & inſtituta, ex ipsâ, ſi Deo placet, Apocalypſi impiè derivabat. Igitur diviſis veluti operis Satanas per diverſa organa diverſas Scripturæ partes adortus eſt & oppugnavit: & hiſtoriam Sacram per Comeſtorem, Legem per Gratianum & Pontifices Juris Canonici conditores, Euangelium per Cyrillum, & totum Doctrinæ V. & N.T. ſyſtema per Lombardum & alios Scriptores Scholaſticos, ipſo multò impuriores, corrupit ac depravavit. Poſtremo *Concilium Florentinum* ſub Eugenio IV. Pontifice A. C. 1439. celebratum, publicè abrogavit diſcrimen librorum Canonicorum & Apocryphorum, ac Tobiam, Judith, Sapientiam, Eccleſiaſticum, Baruch, duos Maccabæorum pari autoritatis gradu cenſendos cum Canonicis novo exemplo ſancivit. In tantâ caligine doctrinæ ac rerum Eccleſiaſticarum confuſione, Deus non modo mirabiliter Sacram Scripturam ejuſque libros conſervavit, quamvis infidis ac impuris manibus ferè deſcriberentur & tractarentur; & alia ſcripta profanorum autorum græca & latina magno numero corrumperentur, mutilarentur, aut etiam planè interciderent: Verum etiam excitavit ſubinde Viros pios, doctos, & cordatos, qui Majeſtatem divinarum literarum aſſererent, & ex iis receptos errores redarguerent. Quos inter hoc articulo merito celebrantur Anshelmus Cantuarienſis in Commentariis ſacris, Bernhardus Epiſtolâ 77, 91. Sermone de multiplici utilitate Verbi Dei, & tractatu

Period. II. artic. II.

Euangelium Cyrilli.

Concilium Florentinum.

Scripturæ autoritas à quibus aſſerta.

inter Pontificios.



Digitized by Google

Period. II. artic. II.

de præcepto & diſpenſatione: Petrus Cluniacenſis lib. 1. & 3. Epiſtolarum: Rupertus Tuitienſis in Commentariis: utque alios multos prætercam, ex recentioribus & noſtratibus quidem Rudolphus Agricola, in Baffelt, altero hinc lapide, natus, & Weſſelus Gansfort Groninganus, viri magni, qui ambo ut linguarum, Hebrææ & Græcæ, benè periti erant, ſic lectione Scripturarum plurimum ſunt delectati, earum uſum revocarunt, & aliis etiam atque etiam commendarunt. Quin, quod miremur, ipſi Patres & anteſignani Canonicorum & Scholaſticorum, Gratianus, Lombardus, Comeſtor, dum farragines ſententiarum ex Patribus congerunt & conſarcinant, etiam multa pro authenticâ, eminentia ac utilitate Scriptuarum collegerunt teſtimonia, & centonibus ſuis intexuerunt. De Gratiano videantur diſtinctiones 8, 9, 10, 16, 24, 36, 37. de Lombardo lib. 1. Sentent. diſtinct. 1, 2, 23. de Comeſtore paſſim in ſedecim libris ipſius: quem quidem Trithemius ſic dictum tradit, quod Bibliorum teſtimonia in ſuis ſcriptis & concionibus adeò frequenter citare ſolitus ſit, ut codicem Sacrarum Scripturarum veluti comediſſe diceretur.

etiam Scholaſticos.

Scholaſtici verò nonnulli etiam diſtinctionem librorum Canonicorum & Apocryphorum retinent ac ſtabiliunt. Sic enim Richardus de S. Victore Except. lib. 2. cap. 9. *Libri Canonici V. T. ſunt* XXII. tum ſubjungit: *Sunt præterea alii libri, ut Sapientia Salomonis, liber Ieſu filii Sirach, & liber Iudith, & Tobias, & liber Maccabæorum: qui leguntur quidem, ſed non ſcribuntur in Canone.* Hugo item de S. Victore in tractatu quem vocat Didaſcalon lib. 4. cap. 2. ait: *Omnis Scriptura in duobus Teſtamentis continetur, in Veteri videlicet & Novo.* Mox Vetus in tres ordines diſtinguit, Legem, Prophetas, & Hagiographa; enumeratiſque ſingulis, addit de Apocryphis, *legi quidem, ſed non eſſe in Canone.* Et Hugo de S Charo Cardinalis prologo in Joſuam verſibus diſtinctè enumerat libros Apocryphos & Canonicos, & de Apocryphis plenius ſe declarat in prologo Hieronymi in libros Regum, *recipi in Eccleſiâ non ad probationem fidei, ſed ad morum inſtructionem.* Nicolaus autem Lyranus Minorita, cum in tota Biblia abſolviſſet Commentarios, præfatus ſe in eos quoque libros ſcripturum, qui non ſunt de Canone, Apocryphos ordine ſubjicit.

Waldenſes ſcripturam ſibi ſtami tariſſimam reddidêre.

Poſtremò exſtiterunt & floruerunt hiſce temporibus *VValdenſes*, qui ſeceſſione factâ ab Eccleſiâ Romanâ, cum peculiares cœtus cogerent, Sacram Scripturam V. & N. T libris comprehenſam iis propoſuerunt, tanquam unicam fidei vitæque regulam, quâ contineantur omnia ad ſalutem neceſſaria, & præter quam nihil omninò recipiendum ſit in rebus fidei. Utque ab hominum vulgo & idiotis quoque legi poſſet, eam in linguam vernaculam gallicam, inde etiam in linguas

guas

Digitized by Google

guas alias gentium, in quas diſperſi ſunt, tranſtulerunt. Vulgus autem ipſum quotidianâ lectione Sacra Biblia tam ſibi reddidit familiaria, ut ex ruſticis quoque alii integros libros, alii totum Nov. Teſt. exactè tenerent, promteque recitare poſſent. Unde mos inolevit, ut ad communionem non admitterentur, niſi qui Euangelium Matthæi & Johannis, tum Epiſtolas omnes Canonicas, nec non partem aliquam Epiſtolarum Paulinarum didiciſſent. Atque hæc de Eccleſiâ Occidentali ſive Latinâ. In Eccleſiis Orientalibus ſive Græcis præcipui, qui decus Scripturarum divinarum vindicarunt, ſunt Theophylactus, Epiſcopus Bulgarorum, qui ſcripſit in Prophetas minores, in quatuor item Euangelia, & omnes Pauli Epiſtolas: in quibus ita Chryſoſtomum ſecutus eſt, ut ejus abbreviator dici poſſit: tum etiam Oecumenius, qui ſcripſit in Acta & Epiſtolas Pauli, catenâ quadam explicationis ex Patribus Græcis antiquioribus contexta. Utroque multò recentior Nicephorus Gregoras, qui vixit A. C. 1340. Viginti duos tantum libros V.T. numerat: etſi alii corruptiores, ex editione græcâ, ubi Apocryphi miſcentur cum Canonicis, utroſque promiſcuè receperunt ac uſurparunt. De Hæreticis, Mahometanis, aut Gentilibus etiam nihil hîc peculiariter referendum occurrit. Tantum de *Iudæis* unum hoc non eſt tacendum, quod Rabbi Moſchebar Maimon, qui Maimonides, & per contractionem Rambam uſitatè appellatur, doctiſſimus ac celeberrimus illius gentis ſcriptor, circa A.C. 1200. vel paulò ante, fidem Judæorum Ikkarim ſive Articulis tredecim eſt complexus, qui in tephillis eorum, ſive libris quotidianarum precum continentur. Hos articulos ſummâ religione receperunt, ſummaque obſtinatione retinent Iudæi, & magno cum gemitu & ejulatu quotidie recitant. De iis quoque conditum eſt decretum, quo ſevere mandatur omnibus, ut exinde temporibus perpetuis fidem hanc ordine confiteantur, & ſecundùm eam ſolam ſibi & vivendum & moriendum eſſe ſtatuant. Et ne ob brevitatem obſcuriores eſſent, & minus rectè intelligerentur, addita eſt explicatio eorum prolixior; quæ peculiari libro eſt comprehenſa, & Bibliis Hebræis, Venetiis per Bombergum excuſis ſub calcem annexa. Ut inter principia fidei ipſorum Articuli iſti meritò à nobis referantur. Scopus in articulis iſtis condendis & declarandis non alius fuit, quam ut opponeretur articulis Symboli Apoſtolici Chriſtianorum ac horum fidem non tantum ſuſpectam, ſed planè exoſam redderet Iudæis, ne unquam eam amplecterentur. Quo conſilio etiam Rabbi Ioſeph Albu Hiſpanus A.C. 1425. Sepher Ikkarim librum fundamentorum publicavit, in quo contra fidem Chriſtianorum acerrimè

Period. II artic. II.

Græci interpretes Scripturæ.

Judæis Maimonides Symbolum fidei concepit.

item R. Ioſeph Albu.



Digitized by Google

Period. II. artic. II. diſputat, & fidem Judæorum tribus maxime fundamentis ſuperſtruit, videlicet, ſuper unitate eſſentiæ, divinæ, ſuper lege Moſis cœlitus data, & ſuper æterno bonorum operum præmio, ac malorum ſupplicio. Lipman refutavit Euangelium. Rabbi verò Lipman, in libro quem Nizzachon appellavit, ſcripſit contra hiſtoriam Euangelicam, ad convellendam dictorum factorumque Chriſti veritatem: in quo videri vult triumphare quaſi de ejus refutatione A.C. 1419. Cui Munſterus reſpondit in Euangelio Hebraico Matthæi, Baſileæ edito.

Artic. III. Scripturæ pretium redditum. Ita temporis ac narrationis, quam de Sacrâ Scripturâ inſtituimus, ſeries nos deducit ad *Tertium articulum Secundæ Periodi N.T.* quo Codex Biblicus repertus de novo, ac Libri Sacrarum Scripturarum à tenebris in lucem ac hominum uſum fuerunt revocati. Hujus quæ fuerit occaſio minimè hîc eſt reticendum. reſtauratis lingnis originalibus. Duplex porrò ex temporis illius hiſtoriâ obſervatur: Reſtauratio linguarum, Hebrææ & Græcæ, quibus V.& N.T. eſt exaratum: & Novarum editionum procuratio, atque inde neceſſaria Codicum Hebræorum & Græcorum copia. Hebræam reſtituit primus Capnio. Poſt tempora Hieronymi inter Chriſtianos ſtudia Hebræa primò reſuſcitavit & illuſtravit Johannes Capnio, vulgò Reuchlin, Phorcenſis ex Marchionatu Badenſi, J.U. D. Conſiliarius Maximiliani I. Imperatoris, & Eberhardi Ducis Wurtembergici, nec non totius Sueviæ triumvir. Is cum legatione fungeretur in aulâ Imperatoris, familiariter utebatur Judæo quodam Jehiel Loans, inter aulæ medicos adſcripto, & prout guſtum aliquem habebat literarum Hebræarum, ſic de literatura Hebraica ſubinde aliquid ſciſcitabatur. Judæus delectatus ipſius ingenio atque ſtudio, cœpit eum inſtituere in Grammaticis eâ fide & dexteritate, ut brevi ſolidæ linguæ ejus fundamenta acquireret. Diſcedens commendatione Judæi præter alia munera dono accepit ab Imperatore Codicem Hebræum V. T. pulcherrimè & integerrimè ſcriptum, trecentis aureis æſtimatum. Domi, quantum per alia negotia licuit, lectioni Moſis & Prophetarum incubuit, ut & Eccleſiæ doctrinam rectius diſceret, & in linguâ ſacrâ ſe amplius exerceret. Eouſque autem brevi tempore profecit, ut jam A.C. 1494. ederet librum de Verbo mirifico, arcanâ Hebræorum ſapientiâ refertum. Mox aliam legationem obivit pro Philippo Electore Palatino apud Pontificem Romæ: ubi diutius anno verſatus, præceptorem Judæum nactus eſt nomine Abdiam, perfectè eruditum in linguâ ſuâ: cui διδακτρα pro ſingulis horis ſingulos aureos perſolvit. Ita uſu etiam confirmatus, animum ad ſcribendum applicuit, & primus inter Chriſtianos Grammaticam Hebræam cum Lexico, tum etiam Grammaticas quaſdam Pſalmorum enarrationes evulgavit A.C. 1506. ac decennio poſt libros

bros tres de Arte Cabaliſticâ. Hoc exemplo excitati alii certatim ad linguæ Sanctæ ſtudium ſe contulerunt: Petrus Galatinus in Hiſpaniâ; in Italiâ Felix Pratenſis, Daniel Bombergus Brabantus, Elias Levita Judæus Germanus Romæ tunc degens; in Galliâ Santes Pagninus, Guilielmus Poſtellus, Franciſcus Vatablus, quos ſecuti ſunt Johannes Mercerus, Cornelius Bertramus, Antonius Rudolphus Cevallerius; in Germaniâ Sebaſtianus Munſterus, Paulus Fagius, Johannes Forſterus, Johannes Avenarius, & plurimi alii, qui vel præceptis, vel lexicis, vel utroque Hebraicum ſtudium mirum in modum propagarunt. Jam Græca lingua reſtaurari cœpit, poſtquam captâ à Mahomete II. Conſtantinopoli, A. C. 1453. literæ Græcæ cum ſuis Profeſſoribus, Trapezuntio, Gazâ, Argyropylo, Tifernate, Spartiata, aliis, in Italiam & Galliam tranſierunt. Unde paulatim derivatæ ſunt in Germaniam per Rudolphum Agricolam, Capnionem, & Eraſmum Roterodamum. Agricola Lutetiæ à Tifernate, Ferrariæ à Gazâ diligenter inſtitutus, felicitate ingenii ſtudiique contentione brevi tempore in Græcis eos profectus fecit, ut non Italis modo, ſed ipſis quoque Græcis admirationi eſſet. Capnio Lutetiæ audivit Spartiatam, & ab eo linguam Græcam per aliquot annos feliciter didicit: ut ipſe deinde eam profiteretur cum laude Baſileæ. In legatione Romanâ, cujus paulò ante meminimus, Romæ ingreſſus auditorium Argyropoli, cum rogatu ipſius ex Thucydide quædam legiſſet græcè & interpretatus eſſet, optimo ſeni eam ſui admirationem movit, ut lachrymans propè exclamaret, Græciam ſuo ſociorumque exilio Alpes tranſvolaſſe. Eraſmus denique Alexandri Hegii diſcipulus, qui quadragenarius præceptore Agricolâ in Græcis uſus fuerat, non tantum profanos Scriptores Græcos, ſed Eccleſiaſticos quoque diligentiſſime legit & meliorem Græcanitatis ſuccum ex iis hauſit: quem poſtea ad Nov. Teſt. interpretationem contulit. His magiſtris etiam Græcæ literæ paſſim refloruerunt. Hæc de primâ occaſione prolixius. Altera proceſſit à novis, iiſque caſtigatiſſimis V. & N. T. Editionibus. Vetus Teſtamentum Hebræum Piſauri triplici formâ excuſum fuit A. C. 1494. idque non modo nudum, ſed etiam cum punctis: tum etiam impreſſum eſt Venetiis à Daniele Bombergo Brabanto, operâ Felicis Pratenſis Itali A.C. 1511. & deinceps, quia ſæpe recuſum. Quadriennio poſt, hoc eſt A.C. 1515. in Hiſpaniâ prodiit inſigne opus Biblicum Complutenſe, ſtudio Franciſci Ximenii Archiepiſcopi Toletani, cum textu Hebræo Paraphraſin Chaldaicam, itemque verſionem græcam & latinam conjungens. Sequenti anno 1516 editum eſt in Italiâ Pſalterium Octoplum, Hebraicè, Græcè, Arabicè, Chaldaicè, cum tribus verſionibus latinis, &

Period. II. artic. III. Secuti alii.

Græcam qui reſtaurarint.

procuratis novis Bibliorum editionibus. Hebræâ V. T.



Digitized by Google

Period. II. artic. III. Græcâ N. T.

commentario, ex Hebræis potiſſimum Scriptoribus elaborato, per Auguſtinum Eugubinum, Epiſcopum Nebienſem. Novum Teſtamentum Græcum, à mendis repurgatum, collatione meliorum codicum, caſtigatiſſimè & elegantiſſimè excuſum eſt Romæ, Pariſiis, & in Anglia: tum etiam Baſileæ, ubi Eraſmus præter textum græcum novam ejus verſionem jam quinquagenarius publicavit. Ita cum librorum ſufficiens eſſent copia, & creſceret in multorum animis Sacrarum literarum ſtudium, ſcripta humana & commenta Traditionum vileſcere paulatim & negligi, Canonica ab Apocryphis ſecerni, & Majeſtas atque autoritas Scripturæ reſtitui cœpit. Atque ab his initiis totius Eccleſiæ Reformatio proceſſit. Siquidem primi Eccleſiæ Reformatores loco fundamenti hoc axioma tradiderunt & perpetuò inculcarunt: Fidem, vitam, & vocationem uni ac ſoli Dei verbo conformandam eſſe: à quo quicquid in doctrinâ & cultu deviet, id tanquam erroneum ac ſuperſtitioſum eſſe damnandum & rejiciendum. Ad hanc regulam revocarunt & examinarunt omnia; eam publicè privatimque toti Eccleſiæ, tam rudibus & idiotis, quam eruditis & magnatibus commendarunt; ſummam doctrinæ ſuæ de Verbo Dei, V. & N. T. comprehenſo, Confeſſionibus publicis complexi ſunt & propoſuerunt: quas ad Harmoniam revocavit D. Beza. In quibus id peculiare habent Gallica & Belgica, quod non tantum Catalogum texunt librorum Sacrorum, ſed etiam Apocryphos ab iis ſegregant & ſecludunt. Ipſos verò libros Sacros ex linguis originalibus in vernaculas, & alias notiores tranſtulerunt: tantum ut teri manibus populi, ab eo familiariter legi atque etiam intelligi poſſent. Hoc conſilio plurimæ Verſiones ſtupendâ diligentiâ adornatæ, nec ſine inſigni utilitate publicatæ ſunt. De Latinis prolixè non agam. Notæ ſunt ſuis autoribus atque pretiis. Prima eſt Santis Pagnini, qui poſt Hieronymum utiliſſimam eâ in re operam præſtitit: edita eſt A. C. 1528. Eam ſecutæ ſunt aliæ, Sebaſtiani Munſteri 1534. Tigurinorum, quam ordine elaborarunt Leo Judæ, Theodorus Bibliander, & Conradus Pellicanus anno 1542. Petrus Cholinus reddidit Apocryphos; N. T. autem ex Eraſmi verſione ſervatum; placuitque hæc Tigurinorum verſio tantopere etiam Pontificiis, ut ſuppreſſo nomine ab ipſiſmet aliquoties recuſa fuerit: Sebaſtiani Caſtellionis 1551. quæ tamen aliquantò propius ad paraphraſin accedit: Immanuelis Tremellii & Franciſci Junii, communibus operis adornata Heidelbergæ 1573. Teſtamenti Veteris; cui ille N. T. ex Syriaco traductum, hic Apocryphos ex Græco tranſlatos addidit: ac tandem Verſio N T. à Theodoro Bezâ adornata acceſſit. Denique Johannis Piſcatoris Herbornenſis Theologi, in nonnullis Tremellio-

Reformatores æſtimium Scripturæ reddiderunt doctrinâ,

Confeſſionibus.

Verſiones Bibliorum adornatæ.

Latinæ.

Junia-

Digitized by Google

Juniana correcta & interpolata, in aliis planè nova: cui ſupremam Period. II. ſæc. III.
manum impoſuit 1624. Vernaculæ autem Verſiones in omnibus ferè Germanicæ.
gentibus procuſæ fuerunt. Germanicarum primam molitus eſt Luthe-
rus: ac primò quidem N. T. reddidit, operam conferente Philippo
Melanchthone, atque illud edidit 1522. Sequente anno Pentateu-
chum, & altero, nempe 1524. Pſalterium dedit. Decennio poſt tota
Biblia abſolvit, quæ prodierunt 1535. Proxima fuit Tigurina, ad
dialectum Helveticam attemperata, & anno 1544. evulgata. Quam
longo poſt intervallo ſecuta eſt Johannis Piſcatoris Utriuſque 1601.
& 1603. Amandi Polani ſolius Novi Teſtamenti. Gallicæ verſionis Gallicæ.
primus autor fuit Petrus Robertus Olivetanus 1535. quam deinde
emendarunt quatuorviri Theodorus Beza, Bonaventura Cornelius
Bertramus, Carolus Perrottus, & Johannes Rotanus, circa A. C.
1562. eademque à Synodis variè interpolata fuit. Aliam autem nuper
adornavit Johannes Deodatus, qui idem novæ tranſlationis Italicæ au-
tor exſtitit. Quam anteceſſit Italica alia antiquior. Edita quoque ge- Italicæ & Hiſpanicæ.
mina interpretatio Hiſpanica, Vetus ac Nova: uti etiam Anglica ve- Anglicæ:
tus. Cujus loco novam conſecuta eſt Eccleſia Anglicana, plurium
Theologorum operâ confectam, autoritate Jacobi I. Britanniæ regis,
abſque gloſſis, ſed quæ accurationis non exiguam laudem habet. De Sclavonica.
Sclavonicâ Verſione conſtat eam ante decurſum ſuperioris ſeculi à ſe-
ptem Miniſtris, viris piis, ſcriptam eſſe. In aliis linguis idem factum,
ut nulla per Europam natio reperiatur, quæ Bibliis vernaculis careat.
Ad Verſiones iſtas Bibliorum acceſſerunt Commentarii, quibus uni- Commentarii in Scripturam.
verſi & ſinguli Libri ſacri illuſtrati atque accuratius explicati fuerunt,
ut inde ab ætate Apoſtolorum ſimiles nullum ſeculum dederit: quorum
ope lux Scripturæ magis magiſque diffuſa eſt. Cujus generis ſunt Lu-
theri, Zuinglii, Oecolampadii, Buceri, Martyris, Brentii, Calvini, alio-
rum, quos recenſere nimis longum foret: omnes tamen luculentiſſi-
mi teſtes illius conſenſus circa Sacram Scripturam, quem in Eccleſiis
Euangelicis obtinere diximus. Diſſimulandum tamen non eſt, quod Diſſenſus Lutheri de quibuſdam libris.
de libris quibuſdam N. T. diſſenſio aliqua fuerit inter Euangelicos Do-
ctores: Luthero & qui ipſum ſecuti ſunt, initio dubitantibus de Ca-
nonicâ autoritate Epiſtolæ ad Hebræos, nec non Catholicarum Jaco-
bi, ſecundæ Petri, ſecundæ & tertiæ Johannis, & Judæ, Apocalypſeos
denique Johannis: quoniam ex Hieronymi Catalogo Scriptorum Ec-
cleſiaſticorum, & Euſebii lib. 3. Hiſt. Eccleſ. cap. 3. & 19. manifeſtum
eſſet, de horum librorum autoritate aliquando fuiſſe controverſiam.
Inprimis autem impetitæ Epiſtolæ Judæ & Jacobi: quarum hanc Lu-
therus ſtramineam appellavit in præfatione in N. T. 1526. idque pro-
pter

Digitized by Google

Period. II artic. III. pter cap. 2. ubi de Juſtificatione diverſa à Paulo docere exiſtimavit. Sed induxit poſtea illud judicium, & quid dixerat interpretatione mollivit, ſtramineam appellatam affirmans, non abſolute, ſed comparatè ad alia ſcripta Apoſtolica, in quibus plus ſpiritus & gratiæ ſe exſeruerit; pro chariſmatum in ipſis quoque Apoſtolis differentiâ. Et ita hic diſſenſus ſublatus fuit. Alia eaque gravior controverſia de totius Scripturæ dignitate agitari cœpit à quibuſdam Lutheri diſcipulis. Horum unus Gaſpar Swenckfeldius, nobilis Sileſius, qui anno 1524. ſcripto libello contra Epiſcopum Uratiſlavienſem cauſam Lutheri egerat, diſceſſit ab ipſo, & novam ſectam condidit, quæ ab ejus nomine Swenckfeldianorum nuncupata fuit. Initium duxit à Cœnâ Domini anno 1526. Nam Swenckfeldius offenſus doctrinâ de corporali præſentiâ Chriſti, prorſus novè per pronomen Hoc, panem ac potum ſpiritualem & cœleſtem intelligendum eſſe docuit. Inde de Verbo perniciosum errorem prodidit, Scripturam literam mortuam eſſe dictitans, in quâ neque vita eſt, neque ſalus. Qui ſecus docebant, eos Vocaliſtas & Literaliſtas nominabat. Plurimos edidit libellos germanico ſermone, quibus ſuam opinionem defendit ac propagavit. In exilium eapropter ejectus, in Sueviam conceſſit, eamque pervagatus eſt; ubi nobiles complures ſibi adjunxit, faſcinatos tum ſermonibus ipſius, quod unius Chriſti Regis cœleſtis gloriam, vulgo neglectam ſe tueri profiteretur; tum moribus, pietatem, modeſtiam, humanitatem præ ſe ferentibus, ut ne quidem diſſentientibus inclementius reſponderet, eoſve odiſſet.

Swenckfeldii error.

Interpolatus à Weigelio, Interpolavit ejus doctrinam noviſſimis annis ante bellum Bohemicum paſtor quidam Lutheranus, Valentinus Weigelius; cujus ſectatores Weigeliani appellati. Docuit iſte, Senſum literalem nullius eſſe pretii, utpote qui proveniat ex homine veteri, ex naturali mundi ſpiritu, ex Antichriſto: ſolos ſenſus ſpirituales, quos ipſi pro libitu fingunt, ſpectandos: quemadmodum videre eſt in Weigelii poſtilla parte 2. & 3. in ejuſdem quoque dialogo, & libello diſputatorio. Hinc nomina probroſa in Literarios, quos vocant, jacta, dum ſpiritum ſibi ſolis vendicant. Quid dicam de Fratribus Roſeæ Crucis, qui in occulto ſerpunt, ſed ſimilia, vel etiam his deteriora crepant; nec tantum Scripturam depravant, ſed etiam Philoſophiam, ac ipſa naturæ fundamenta evertunt. Sed hæc obiter, & ὡς ἐν παρόδῳ. Ad *Pontificios* venio.

& Fratribus roſeæ crucis.

Pontificiorum contra Scripturam Quod de priſcis hæreticis dicebat Irenæus lib. 3. cap. 2. cum ex Scripturis arguuntur, in accuſationem convertuntur ipſarum Scripturarum, quaſi non rectè ſe habeant, neque ſint ex authoritate, & quia variè ſint dictæ, & quia non poſſit ex his inveniri veritas ab his qui neſciant traditionem; id de Pontificiis eſt veriſſimum. Quum enim

primi

Digitized by Google

primi Reformatores præſidio Scripturarum tantæ molis opus aggrederentur, & ex Scripturis oſtenderent ac refellerent errores, ſuperſtitiones, & tyrannidem Pontificis & Eccleſiæ Romanæ, non tantum ipſos odiſſe & perſequi crudeliter cœperunt, ſed etiam blaſphemas linguas & calamos in ipſam Scripturam exacuerunt. Id primâ ſtatim diſputatione inter Eccium & Lutherum anno 1519 Lipſiæ habitâ patuit: ubi cum Eccius ab adverſario divinarum literarum autoritate premeretur, non alio uſus eſt effugio quam autoritatis Eccleſiaſticæ Pontificiæque, quam veluti Ajacis clypeum ubique Scripturis oppoſuit. Sequentium etiam annorum Colloquiis, Auguſtæ, Ratiſbonæ, Wormatiæ, & alibi contra Scripturam autoritate Pontificis, Eccleſiæ, Traditionum, Antiquitatis, Conciliorum pugnatum: & uno verbo, perpetuum Eccleſiæ conſenſum, ex ſcriptis Patrum, Canoniſtarum, & Scholaſticorum colligendum, normam judicii in Controverſiis religionis ſtatuerunt Collocutores Pontificii Wormatiæ anno 1557. Nota ſunt elogia quæ in Scripturam contulerunt. Eccius in Enchiridio Scripturam negat eſſe authenticam, niſi Eccleſiæ autoritate. Pigghius Eccleſiæ autoritatem majorem eſſe ait, quam Scripturæ. Wolfgangus Hermannus Sophiſta eò impudentiæ proceſſit, ut Scripturæ non plus ſe tribuere affirmaret, quam fabulis Æſopi, in Eccleſia aliud juberet: quam eandem blaſphemiam quoque eructavit regius Præfectus Lugdunenſis in perſecutione, uti autor eſt Sleidanus anno 1553 Quæ tamen dicta, ceu pro ſenſu prolata, excuſare nititur Hoſius Cardinalis in libro de autoritate Scripturæ. Exſtant emblemata ſimilia complura, quibus Sacram Scripturam traduxerunt, nempe quod ſit litera mortua, cothurnus, naſus cereus, regula Leſbia, plumbea, gladius Delphicus, & alia. Hauſerunt autem eam opinionem Doctores Pontificii tum ex Jure Canonico, quod Eccleſiam & inprimis Romanum Pontificem ſupra Scripturam extollit, utpote qui pro plenitudine poteſtatis ſuæ poſſit diſpenſare contra Moſen & Prophetas, ipſiuſque Chriſti Euangelium; tum ex Synodorum Conſtantienſis & Baſileenſis decretis: quarum illa non obſtante inſtitutione Chriſti & primitivæ Eccleſiæ uſu ademit laicis calicem Euchariſticum, quia conſuetudo Eccleſiæ habenda ſit pro lege, quam non licet repudiare: hæc verò definivit, Sacræ Scripturæ & Conſuetudini Eccleſiæ parem ritum, & eundem utrique deberi pietatis affectum. Tandem verò res tota definita autoritate Concilii Tridentini, quod Pauli III. Pontificis autoritate inchoatum fuit anno 1545. & primo loco egit de Scripturâ. Collectæ igitur à Doctoribus ex ſcriptis Lutheri & aliorum quatuor theſes, ceu hæreticæ, atque his oppoſitæ totidem antitheſes, ſententiam Eccleſiæ

Period. II. artic. III.

blaſphemiæ.

decreta.

maximè Concilii Tridentini.

Period II. artic. III. Romanæ comprehendentes, de Scripturâ & Traditionibus, de libris Apocryphis, de Verſione latinâ, de ſenſu & interpretatione Scripturæ. Statuit autem Concilium quatuor iſta. Primo Sacram Scripturam non eſſe ſolam regulam & normam fidei ac morum; utpote quæ nec omnia contineat, nec eo fine ſcripta ſit: ſed præter eam Traditiones, longi temporis conſuetudine in Eccleſiâ receptas, pari pietatis affectu ac reverentiâ ſuſcipiendas. Secundo: Numero librorum Canonicorum & verè divinorum cenſendos etiam eſſe, qui Apocryphi hæreticis dicerentur; ut par utrorumque ſit autoritas, diſcrimine omni ſublato: quia in Eccleſiâ legi conſueverint. Tertiò: Vulgatam Verſionem latinam habendam eſſe pro authenticâ, ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat: quia Hebræus Veteris, & Græcus Novi Teſtamenti textus corruptus ſit. Quartò: Senſum Scripturæ eum eſſe, quem Eccleſia Romana definiat, adeoque Interpretationem Eccleſiæ eſſe ipſiſſimum Verbum Dei: quia Scriptura obſcura ſit & ambigua. Reliquum erat, ut formulâ anathematis ſancirentur hæc decreta. Sed de eâ non potuit convenire Patribus: maximè quoad duo poſteriora: quapropter iſtis non adſcripta eſt, ut plus libertatis hîc relictum pateret. Duobus ergò prioribus tantùm appoſitum anathema, publicatumque decretum die 8 Aprilis 1546. ita definientibus Cardinalibus quinque, & Epiſcopis quadraginta octo. Sed mirum alicui videatur nullam Pontificis Romani factam in decreto mentionem, ad cujus tamen judicium cuncta revocari ſolent à Pontificiis Doctoribus Verum hæc κρύψις fuit. Nam revera omnis autoritas penes Pontificem ſolum manſit, tum quia ejus arbitrio omnia agebantur, decretis Româ accerſitis; tum quia ſenſus Scripturæ ab interpretatione Eccleſiæ, adeoque ipſiuſmet Pontificis ſuſpendebatur. Cæterum ut primùm prodiit Tridentini Concilii Decretum, examinatum fuit ac refutatum à Johanne Calvino, & Martino Chemnitio Theologis, itemque ab Innocentio Gentileto Jureconſulto: & viciſſim defenſum & explicatum ab Andradio libro de defenſione Concilii, Hoſio Cardinali de autoritate Scripturæ, & expreſſo Dei verbo, Pigghio de Eccleſiaſticâ Hierarchiâ. Inprimis autem propugnarunt Concilium Jeſuitæ, Stapletonus, Bellarminus, Gregorius de Valentiâ, Gordonus Huntlæus, Becanus, alii: qui explicationibus ſuis duo addiderunt Decreto. Unum eſt, quod mitigarunt Sententiam de autoritate Scripturæ, diſtinguendo eam in divinam & canonicam, quarum illam in ſe habeat, à ſolo Deo profectam, hanc autem ab Eccleſiâ conſecuta ſit, judicio ſuo Scripturam approbante, & in canonem recipiente. Alterum, quod explicarunt quæſtionem de Judice Controverſiarum. Quum enim in Conciliis Conſtantienſi & Baſileenſi de-

finitum

ſinitum eſſet, Eccleſiam eſſe ſupra Pontificem, ipſi Florentini Concilii, ab Eugenio IV. coacti, autoritatem ſecuti pronunciarunt: Supremum judicem Controverſiarum eſſe Pontificem vel ſolum, vel cum Concilio. Quam blaſphemam theſin defenderunt in Colloquio anno 1601. Ratiſbonæ inſtituto, inter Theologos Bavaros, Neoburgicos & Saxonicos, à Maximiliano Bavariæ Duce, & Philippo Ludovico Palatino Neoburgico: à quo tempore nulla innovatio aut uberior explicatio circa Scripturam facta eſt. Pontificiis ex methodi noſtræ lege ſuccedunt *Anabaptiſtæ*, quorum doctrina ac ſententia de Sacra Scripturâ non eſt una ac eadem. Poſſunt autem tribus ordinibus diſtingui. Primus ordo eſt Fanaticorum, qui omnes Scripturas rejiciunt: aſſerentes eam eſſe conditionem Eccleſiæ N. T. ut doctrina ejus, quæ ſit tota ſpiritualis ac cœleſtis, non deſcripta ſit atramento & calamo in chartâ, aut ex libris diſcenda ſit, ſed ſcribatur in cordibus per Spiritum Sanctum: ideoque Scripturam non eſſe Verbum Dei, ſed Enthuſiaſmos, Viſiones, Somnia, quæ cœlitus ab ipſo Deo revelentur, & veluti inſpirentur hominibus. Quæ fuit initio opinio & ſententia communis omnibus Anabaptiſtis, eò trahentibus dicta Jerem. 31. v. 33, 34. & 2 Cor. 3. cap. atque iſtam tenuerunt in Thuringiâ Storck ſive Ciconia, Muntzerus, Pfeifferus; in Helvetiâ Hubmejerus, Manzius, Grebelius; in Alſatiâ Melchior Hoffman; in Hollandiâ Johannes Matthæus, Theodorus Philippi; in Weſtphaliâ Monaſterienſes Johannes Leydenſis Buchold, Rottmannus; Embdæ Johannes Textor; hîc in pago Sant, Hermannus Sutor. Hi omnes, ut ſibi fidem majorem facerent, miris verborum præſtigiis, & peregrinis geſticulationibus uſi ſunt, ut ecſtaticos ſeu lymphaticos potius ſe oſtenderent, ſublimiori vocatione inſtructos ac diviniori ſpiritu actos, quam alii qui Euangelium docerent. Secundus ordo eſt eorum, qui in Moraviâ ac Palatinatu, atque alibi ad Rhenum ſe continuerunt, Hutterianorum iiſque conſentientium. Hi, miſſis Enthuſiaſmis & ſomniis, receptis Scripturæ principiis inhæſerunt, ſic tamen ut ſolum N. T. ſuſciperent, repudiato Vetere: quia Lex & Prophetæ uſque ad Johannem valeant Matth. 11. v. 13. & Chriſtus ſit finis ſive complementum legis Rom. 10. v. 4. quia etiam diſſideant in doctrinâ de fide & operibus, quemadmodum pateat ex antitheſi Matth. 5, 6, 7. & 2 Cor. 3. capp. Hæc quæſtio agitata fuit in Colloquio Francothalenſi, unde peti poteſt. Tertius ordo eſt Mennonitarum, qui ſic dicti à Mennone Simonis, qui reſtauravit ſectam. Hic neglexit omnes Enthuſiaſmos, revelationes, ſomnia, etſi non damnat priores, qui illis fuerant dediti, ſed pro fratribus ſuis agnoſcit. Præter N. T. etiam Vetus ſuſcepit: quem diſcipuli

Period. II. artic. III.

Anabaptiſtæ quid tribuant Scripturæ.

Fanatici.

Hutteriani.

Mennonitæ.



Digitized by Google

Period. II. ætatis.III. hîc ſecuti ſunt, alii quidem ſimpliciter, alii verò quatenus deprehenditur non pugnare cum Novo. Cæterum cum Pontificiis etiam libros Apocryphos admittunt, & æquant Canonicis; nec eos tantùm, quos hi in Canone numerant, ſed etiam alios, inprimis librum quartum Eſdræ fabularum plenum. Præterea, ſicut authentica eſt Pontificiis Vulgata Latina, ita ipſis Vernacula Belgica Nicolai Bielken, illiterati typographi, ex Vetere Latinâ reddita. Hâc ſolâ utuntur, ex eâ diſputant: etſi fuerunt inter ipſos quoque linguarum periti ut in Colloquio Embdano Brixius, & nunc quoque ſunt. Legunt quidem alias etiam Verſiones privatim, ſed non prælegunt, aut interpretantur in conventibus ſuis. Forma Concionum vaga eſt, nullâ arte ligatâ oratione: in interpretatione non minus fluctuant; alicubi τὸ ῥητὸν contra ſententiam, alias allegorias contra τὸ ῥητὸν urgent & inculcant. Quæ non poſtrema cauſa eſt variorum errorum, quibus doctrina ipſorum laborat, variorum ſchiſmatum, quibus cœtus eorum ſciſſi diviſique ſunt. Superſunt *Sociniani*, qui verbo quidem recipiunt Scripturam Vet. ac N. T. tanquam regulam fidei ac vitæ; item fontibus Hebræis ac Græcis αὐθεντίαν tribuunt, ex quibus examinandæ omnes verſiones, quarum nulla omninò ſit authentica. Interim non uno modo Scripturæ Sacræ derogant. Aſſerunt enim I Scriptores Sacros, Prophetas & Apoſtolos, non ſemper aut ubique actos à Spiritu Sancto; ſed alicubi hallucinari & impingere potuiſſe. Socinus de autoritate Scripturæ. II. Religionem Chriſti, quam Chriſtiani profitentur ex Novo Teſtamento probari, ex Veteri verò tantùm illuſtrari poſſe. III. Ea tantum dogmata neceſſaria eſſe ad ſalutem, quæ in Scripturâ literaliter & totidem ſyllabis continentur: non autem quæ per conſequentiam inde deducuntur, quantumvis evidentem & neceſſariam. Smalcius contra Grawerum de Spiritu Sancto. IV. Verbum Dei abſque internâ Spiritus Sancti illuminatione fructuoſe audiri, legi, atque intelligi poſſe. Oſtorodus inſtituit, cap. I. V. Epiſtolam ad Hebræos non obtinere parem autoritatem cum cæteris N. T. libris, & meritò ſuſpectam eſſe: quia citet, quæ in V. T. non exſtent, cap. 9. v. 4. 19. & cap. 11. v. 21. aut non habeantur eodem ſenſu cap. 2. v. 6. cap. 9. v. 2. & alibi. Utatur quoque argumentationibus ineptis, & quædam apertè falſa dicat, cap. 7. Ita blaſphemat Georgius Eniedinus Tranſylvanus, annotationibus in N. T. Præter Scripturam verò tanquam fidei principium agnoſcunt, Rationem humanam & Judicium ejus: ad quod non tantum dogmata omnia revocant, ſed etiam ipſam Scripturam ſecundum eam interpretantur. Eſt enim hoc ipſis axioma univerſale; Nihil omninò credendum eſſe, nec verum eſſe poſſe, cui ratio,

*Margin:* Sociniani variè detrahunt Scripturæ.

*Margin:* Rationem humanam fidei principium faciunt.

Digitized by Google

ratio, communiſque ſenſus repugnet: ut loquitur Socinus libro de autoritate Scripturæ. Hinc interpretationes Scripturæ & probationes dogmatum alias nec dant, nec admittunt, quam quas Judicium rationis humanæ, quale nunc ſupereſt in homine naturali, probare queat. Id manifeſtum eſt ex doctrinâ de Trinitate, de Perſonâ Chriſti, ejus æternâ generatione, Satisfactione pro peccatis; de Providentiâ, perfectâ obſervatione Legis, reſurrectione corporum, & æternâ condemnatione. Non magnoperè autem illud mirandum eſſe, ex ſcopo ipſorum liquet; qui eſt, communem Religionem dare, quâ quivis ſalvari queat: cui nihil magis opportunum eſt, quam commune illud principium rationis naturalis, quod omnibus ex æquo adeſt, & cui Judicium ſupremum deferri nemini diſplicere poteſt. In utroque capite *Novatores* non longè abeunt à Socinianis. De Scripturâ enim aſſerunt non omnia inſtinctu Spiritus Sancti exarata eſſe, idque probari putant ex 1 Cor. 7. v. 12. item Epiſtolâ ad Philemonem: de Epiſtolâ ad Hebræos quoque dicunt, capite ſeptimo ineptas argumentationes adhiberi. De Ratione autem conſtat, quantum illi deferant in interpretandâ Scripturâ, & dijudicandis dogmatibus: tametſi cautius, quam Sociniani, hîc loquantur.

Period. II. artic. III.

Novatores Socinianis affines.

Period. I. artic. I.

# LOCUS TERTIUS

De

# DEO,

# ESSENTIA UNO,

## TRINO PERSONIS.

QUemadmodum doctrina de DEO primarium ac nobiliſſimum eſt Theologiæ objectum; unde & nomen habet: ita doctrinæ hujus duæ ſunt partes principales, una de Eſſentia divina, quod ſit una numero ac individuo, quæ diſtinctis proprietatibus declaratur: altera de Perſonis divinis in eâ ſubſiſtentibus, quæ ſunt numero tres, & uſitatè appellantur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Hiſce partibus continetur & abſolvitur vera ac ſalutaris Dei cognitio, & recta fides Eccleſiæ de Deo: iiſdem quoque, ceu indubitatis criteriis, diſcernuntur fideles rectè ſentientes ab infidelibus & hæreticis: qui vel in utrumque, vel ſaltem in alterutrum caput impingunt. Etſi autem non eâdem claritatis ac evidentiæ luce doctrina hæc tradita fuit in Eccleſiâ, ſed novis ſubinde patefactionibus illuſtrata eſt, donec in Chriſto incarnato, qui eſt Sermo Patris eſſentialis, pleniſſimè ac clariſſimè manifeſtaretur: tamen ſemper una ac eadem veræ Eccleſiæ de Deo fides fuit atque confeſſio, idem fidei ac confeſſionis ſymbolum, quo unitatem in trinitate, ac trinitatem in unitate, ſive implicitè, ſive explicitè, coluit ac venerata eſt. De quo ut certius nobis conſtet, Capita illa per omnes Eccleſiæ ætates, prout eæ ſuis periodis & articulis in V. & N. T. diſtinguuntur, diducemus, atque ex hiſtoriâ, partim Sacra, partim Eccleſiaſticâ diſtinctè confirmabimus.

Periodus V.T. prima. Artic. I. Creditum de Deo eſt

*Primo prima Periodi Veteris Teſtamenti Articulo* quæ fuerit doctrina & fides primævæ Eccleſiæ ante Diluvium de Deo tri-uno, prioribus ſex capitibus Geneſeos Moſes haud obſcurè teſtatur. Docuerunt enim Patres, & crediderunt filii Dei, Unum tantum eſſe Deum eſſentiâ, ſed in tribus Perſonis ſubſiſtentem, quæ ſunt Pater, Filius, & Spiritus San-

Sanctus. Unitas veri Dei colligitur I. ex nominibus Jehova & Elohim: quorum alterum formâ, alterum ſenſu, per enallagen numeri, eſt ſingulare, idque ex idiotiſmo Hebræorum, quem Moſes ipſe declarat Exod. 4. v. 16. cap. 7. v. 1. & cap. 32. v. 19. II. ex phraſi: quia conſtruuntur cum verbo ſingulari paſſim; & ubi pluralis Gen. 1. v. 26. ad ſingularem revocatur verſ. 27. Ergò rem ſingularem deſignant. III. quia in hiſtoriâ creationis Gen. 1. & 2. capp. unus tantum Creator introducitur, nec alius ulla mentio eſt. Plures ergo eſſe non poſſunt. IV. quia unus moderator & dominus omnium, Gen. 3, 4, 5, 6. capp. Ergò unus tantum eſt Deus. Quod autem Unitas illa ſit Eſſentiæ, non tantum ex nomine Jehovæ; quod eſſentiale eſſe manifeſtum eſt; verum inde quoque liquet, quia omnia ad Deum, tanquam ad principium eſſendi abſolutè primum revocantur, Geneſ. 1, 2. Denique qualis ſit illa eſſentia vera; ejus proprietates oſtendunt: nempe Spiritualis; quia Spiritus Elohim tribuitur Gen. 1. v. 2. cap. 6. v. 3. Æterna; quia expers principii, omnibus rebus creatis præexiſtens, Gen. 1. v. 1. Potentiſſima, quia ſolo verbo omnia ex nihilo condidit, Gen. 1. v. 3. Sapientiſſima, quia ordinatè omnia diſpoſuit, & diſſona ad exactam harmoniam revocavit, Gen. 1. & 2. Optima; quia non ſolum creavit omnia valde bona, Gen. 1. v. 31. ſed etiam ad uſum animantium, præcipuè autem hominum peculiariter accommodavit cap. 1. & 2. Juſta; quia prohibet & punit peccata, præcipit autem & remuneratur juſtitiam, Gen. 2. v. 17. cap. 3, 4. Miſericors, quia gratis condonat peccata, & peccatores recipit in gratiam Gen 4. v. 7. Verax; quia præſtat comminationes ac promiſſiones Gen. 2, 3, 6. Immutabilis; quia expers eſt omnis mutationis, ſive per corruptionem, ſive per alterationem, ſive alio quocunque modo; cui univerſa creatura eſt obnoxia Gen. 3. & 6. Hinc deſcriptio Eſſentiæ divinæ exſtrui poteſt: quod ſit natura Dei ſpiritualis, increata, omnipotens, ſapientiſſima, optima, juſta, miſericors, verax, & immutabilis. Iam Trinitatis Perſonarum divinarum in unitate eſſentiæ non minus illuſtria documenta occurrunt. Etenim Elohim, Creator univerſi, non tantum eſt Pater, ſed etiam Verbum & Spiritus Patris Geneſ. 1. v. 1, 2, 3. Nam per Verbum creavit lucem v. 3. per Spiritum Sanctum ſuſtentavit molem abyſſi v. 2. Atqui Unus eſt Deus creans & ſuſtentans omnia. Ergò Pater Filius & Spiritus Sanctus, ſunt unus ille Deus. Deinde v. 26. plures omnino indicantur. Nam Elohim, hoc eſt, unus ex Elohim, nempe Pater alloquitur alios; ut conſultatio oſtendit: & quidem ſibi coëſſentiales tum quia eos ſibi conjungit in primâ perſonâ, tum quia ad ipſorum quoque imaginem hominem creandum innuit, tum etiam

Period. I. artic. I. Unum eſſe Eſſentiâ.

Eſſentiales proprietates habere.

Trinum Perſonis.

quia

Period. I. artic. I. quia dicuntur eſſe unus Deus v.27. Qui autem ſint illi plures, & quod numero ternario definiantur, ex v.1,2,3. evicimus. Adhæc Elohim Creator univerſi eſt Jehova Elohim: quæ nomina conjunguntur cap. 2. v.4. & undecies repetuntur. At Jehova eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; ut Prophetæ & Apoſtoli hoc nomen declarant. Inſuper cap. 3 v.22. Deus ironicè exprobrans homini ambitioſam Deitatis affectionem, inquit: Ecce homo factus eſt ſicut unus ex nobis: Ergo plures ſunt in Deitate Perſonæ. Nam diſtributiva pluralitatem notat, reliqua eſſentiæ unitatem. Poſtremò cap.6.v.3. cum dicitur. Non diſceptabit Spiritus meus in perpetuum: vel Filius loquitur, tanquam Legatus Patris, argumento loci 1 Petr.3 v.19. vel Ego per Spiritum meum in Noacho, præcone juſtitiæ. Sic enim reſiſtitur Spiritui Sancto Act. 7.v.51. Et ita plures ſunt Perſonæ divinæ. Hæc ſumma eſt doctrinæ de Deo: quæ totos 1656 annos ante diluvium tradita eſt, & per primos Patriarchas uſque ad Noachum ejuſque Filios propagata: Hæc fides veræ Eccleſiæ, quæ Filiorum Dei nomine illis ſeculis fuit indigetata.

Corrupta doctrina de Deo à Caino. Cæterum poſtquam Cain cæſo fratre Abele, à Deo rejectus, & Eccleſiæ communione excluſus fuit, impulſu Satanæ, qui occaſionem illam cupide arripuit, & propriâ malitiâ paulatim veram doctrinam de Deo corrupit, ac pro uno Deo plures, pro vero falſos commentus eſt, & poſteris ſuis commendavit: ut πολυθεότητ⊙ origo ac idololatriæ antiquitas inde à prima mundi ætate ſit arceſſenda. Quod etſi disertè non traditur à Moſe primis capitibus Geneſeos; à multis etiam Scriptoribus, tam antiquis quam recentioribus negatur; cum illam ipſam ob cauſam, tum etiam quod celebratiſſima eſſet unius Dei Creatoris memoria: tamen haud obſcure colligi ex Moſe, atque etiam aliunde confirmari poteſt. Nonnulli huc referunt locum Gen.4. v.26. quem ſecuti interpretes Hebræos vertunt: *tunc profanatum eſt in invocando nomen Iehovæ*: ut Tremellius & Junius in primâ editione *huchal* quod ipſis eſt à *chalal* formæ hophal, reddentes *profanare*, quomodo & alibi ſumitur Num.30.v.3. quod uno ferè & altero ſeculo poſt rerum primordia, autoribus Caino & ejus liberis, falſi Dii ſuſciperentur. Sed locus ille alium ſenſum habet: ut ipſimet poſtea mutarunt, verbo derivato à radice *jachal*, quæ *incipere*, *ſperare* ſignificat. Verum illuſtrior eſt probatio ex Gen.6. v.5, 11, 12, 13. quibus primi mundi obſtinata malitia ac pravitas deſcribitur, non tantum adverſus ſecundam legis tabulam, inprimis quoad tyrannidem & libidines: ſed etiam contra primam tabulam. utpote qui omnem Dei timorem excuſſit, & ſui tantum cerebri commenta de Deo rebuſque divinis eſt ſecutus. Quæ cujuſmodi ſint Paulus apertiſſime deſcribit Rom. 1. verſ.22. & ſeqq. Nec

præ-

Digitized by Google

prætereundum, quod tempora ante diluvium confert cum iis, quæ illud poſt ſunt ſecuta, Geneſ. 6. verſ. 4, 5. cap. 8. verſ. 21. At iſtis omnes penè Gentes in impietatem illam prolapſæ ſunt Geneſ. 31. verſ. 30. 53. Deut. 4. verſ. 19. Joſ. 24. verſ. 1. Job. 31. v. 26, 27. Quidni igitur idem ante quoque factum fuiſſe ſtatuamus. Præſertim cum inter diluvium & diſperſionem Gentium anni tantum 130. aut circiter, inter cretionem verò & diluvium anni 1656. interceſſerint. Quo toto tempore aut Satanam feriatum fuiſſe à ſeducendis hominibus à vero Deo ad ficta numina; aut Cainum etiam & Cainitas in unius veri Dei, quem averſabantur & oderant, agnitione & cultu perſeveraſſe, cui ſit veriſimile? Jam Chriſtus ejuſque Apoſtoli, Petrus & Judas, ſicut noviſſimorum temporum hypotheſin quandam proponunt in primâ mundi ætate, ſic ejus conditionem haud obſcurè nobis adumbrant. Chriſtus Matth. 24. Luc. 21. non tantum profanam ſecuritatem, ſed etiam fidei charitatiſque defectum notat. Petrus 2 Epiſt. 2. verſ. 1. & 5. inter ſe collatis oſtendit, ante diluvium quoque fuiſſe falſos doctores, qui aliam, quam à Deo traditam docuerunt religionem, ſolum Noachum veram de Deo doctrinam prædicaſſe, ut eſt Geneſ 6. verſ. 8, 9. Judas verò de falſis Prophetis ſive doctoribus populum Dei ſeducentibus loquens, eos Caino comparat, atque hunc falſæ de Deo doctrinæ primum inter mortales autorem fuiſſe ſatis diſertè oſtendit. Mitto alia argumenta, eandem ſententiam confirmantia: cum pluribus non ſit opus. Igitur Cainus, & Cainitæ, poſtquam à vero Deo ejuſque Eccleſiâ deſciverunt, inſpiratione ac perſuaſione Satanæ, præter ipſum alios Deos adſciverunt, ac religioſè coluerunt; & quidem triplici ordine diſtinctos. Primus ordo eſt Corporum cœcœleſtium, ſolis, lunæ, & ſyderum, maximè planetarum ac ſignorum Zodiaci: de quibus hanc eis opinionem inſpiravit Satanas, Deum creatorem Univerſi cœleſtia curare, iiſque occupari: terreſtria permiſiſſe Diis inferioribus, filiis ſuis, in id procreatis, ut partes mundi regerent, & res hominum benignè juvarent. Hos non modo cerni coram oculis, ſed etiam virtutem eorum præſentiſſimam atque influxum quotidie percipi: proinde religioſè colendos, ac eorum interceſſione Numen, Caino ejuſque poſteris iratum, placandum eſſe. Quin in ipſâ Scripturâ dominium diei ac noctis, lucis & tenebrarum ipſis tribui Geneſ. 1. verſ. 16. quod certiſſimum ſit ſymbolum divinitatis ipſorum. Antiquiſſimam certè eſſe hanc impietatem ipſa Scriptura teſtatur Job. 31. v. 26, 27. & cap. 36. verſ. 32. Deut. 4. 19. & cap. 17. verſ. 3. Univerſalem

Period. I. artic. I.

Idololatria Cainitarum, in cultu

Luminarium cœleſtium,

Period. I. artic. I. Dæmoniorum, quoque fuiſſe mox à Diluvio, paulò poſt demonſtrabitur. Secundus ordo eſt Dæmoniorum, Satanæ & Angelorum ejus. Ut enim ante lapſum Diabolus in ſerpentem ſe inſinuavit, ac ſpecie ſimplicitatis primos homines ſeduxit: ita deinceps poſt lapſum, præſertim inter Cainitas, rejecto Dei verbo, multo licentius id egit, homineſque variis apparitionibus deluſos, ad ſui cultum ac venerationem traduxit. Idque eò magis, quod Deus ſubinde formâ aſpectabili ſe exhiberet Patribus, ac reſponſa daret. De quo Moſes conſulendus Levit. 16 v. 7. Deut. 32. v. 17.

Hominum. Tertius ordo eſt Hominum. Siquidem poſteri Caini haud contenti iſtâ profanitate, etiam è mortalium genere nonnullos ob potentiam ac rerum geſtarum magnitudinem, vel etiam ex metu per adulationem, inter numina retulerunt, ac divinis honoribus proſecuti ſunt. Quod uti poſt, ſic ante diluvium quoque factum eſſe ex Gen. 6. v. 4. non obſcurè colligitur. Qui enim fuerunt Nephilim illi ſive Gigantes, quorum enormi proceritate concidebant cæteri mortales, Num. 13. v. ult. niſi potentes & formidabiles tyranni, famâ celebres: qui ut auguſtiores haberentur, divinitatem ſibi arrogabant. Hâc notâ procul-dubio inſignis fuit Lamechus ille, quintus à Caino, faſtu elatus, Gen. 4. v. 23, 24. ut de Caino nihil dicam, qui non tantum demendi ſibi metus, ſed etiam terroris aliis incutiendi causâ primus urbem condidit, verſ. 17. Hæc prima origo fuit πολυθεΐας, ſive multitudinis Deorum: quæ à Cainitis, tanquam hominum filiis, recepta, facile inter Dei filios propagata eſt: cum connubiorum, ac per ea ſacrorum quoque ſocietas inter utroſque ſanciretur: ut eſt Gen. 6. cap. Eam verò impietatem Deus immiſſo diluvio ſeveriſſimè ultus eſt: & mox ineunte *Secundo Articulo primæ Periodi*, miniſterio Noachi, veritatis ac juſtitiæ præconis, reſtituit veram doctrinam de Unitate Eſſentiæ ac Trinitate Perſonarum divinarum.

Artic. II. Vera doctrina de Deo. Præterquam enim quod Noachus religioſè teneret ac doceret fidem, quam à Patriarchis ante diluvium acceperat, ac per plura ſecula ipſemet prædicarat, Deus ipſe novis revelationibus eandem illuſtravit ac confirmavit. Paſſim enim

Uno, teſtatur Verbo & opere, ſe eſſe Unum Deum, ſapientem, juſtum, miſericordem, veracem, vindicem ſcelerum, & pietatis remuneratorem Gen. 7. v. 8, 9, 10, 11. capp.

& Trino. Inſuper etiam Trinitatis myſterium ſtupendo illo judicio confuſionis linguarum declaravit Gen. 11. v. 7. Quemadmodum enim in primâ creatione hominem facere ad imaginem ſuam eſt ſolius veri Dei, & in hoc ſolo vero Deo indicatur pluralitas Perſonarum, cum dicitur, *Faciamus hominem ad imaginem noſtram:* ſimulque Eſſentiæ unitas, cum dicitur, *Fecit igitur Deus*: ſic confundere hominum labium, eſt opus ſolius veri Dei: quoniam univerſalem oblivio-

livionem notionum & ſymbolorum in mentes hominum momento Period. I. artic. II.
inducere, & contra notiones novas omnium rerum mentibus ac linguis momento imprimere, eſt opus omnipotentiæ divinæ Job. 12. v. 20. In hoc autem vero Deo indicatur perſonarum pluralitas, his verbis; *Deſcendamus, confundamus*; Eſſentiæ verò unitas, cum dicitur; *Deſcendit igitur Deus, diſperſit igitur Dominus.* Cæterum homines pro vanitate ingenii ac pravitate cordis non diu perſtiterunt in hâc piæ doctrinæ ſinceritate. Nam ut autor eſt Lactantius lib. 2. divin. Inſtit. cap. 14. quod tamen ex ipſo etiam Moſe liquet, cap. 9. Geneſ. impius Cham non modo piiſſimum Patrem Noachum deriſit, & palam traduxit, ſed etiam anathemate percuſſus cum filio Canaan, jam ante diſperſionem Gentium, ab uno vero Deo ad fictitia Numina, plura numero defecit, ac primi mundi idololatriam, quam ipſe noverat, poſtliminio quaſi reduxit. Non quidem mox abjecta eſt & abolita unius Dei notitia tribus ſubſiſtentis perſonis. Nam omnibus pene Gentibus inſita hæc opinio: Summum illum Deum, creatorem univerſi, non niſi Unum eſſe. Sic etiam Trinitatis veſtigia quædam remanſerunt, quam ipſæ ſub Solis, Lunæ, atque Ignis ſymbolis coluerunt; ut alibi pluribus dicetur. Interim πολυθεΐα ſive multitudo Deorum, præter Unum illum ac verum Deum recepta. Quod ſcelus Chamo autori meritò tribuitur. I. ob inſignem ejus impietatem, & eam ſecutam maledictionem: quâ ipſe unà cum poſteris correptus, & ab Eccleſiæ ſocietate excluſus fuit. Gen. 9. II. quia prima idololatriæ exempla in poſteris ipſius Chananæis, Phœnicibus, Ægyptiis, & iis qui in Babylone à Nimrodo, Chami ex filio Chus nepote propagati notantur. III. quia ab iiſdem ipſa Dei Eccleſia paulo poſt infecta fuit, Joſ. 24. v. 1. Ante diſperſionem verò Gentium, & annum 130. à diluvio illud contigiſſe, id argumento eſt, quod unaquæque gens in eam, in quam migravit regionem, etiam eandem idololatriam, quâ inter ſe junctæ erant, invexit, atque intulit. Nam poſtmodum omnes per univerſum orbem gentes unos eoſdemque veneratæ ſunt Deos, Solem, Lunam, Saturnum, Jovem, Mercurium, Martem, Venerem, Minervam, Vulcanum, Herculem, & alios: idque ritibus ac ceremoniis ferè iiſdem: licet nomina varient, pro ipſarum linguarum diverſitate. Id apertiſſimè teſtantur Cæſar lib. 6. commentariorum, Diodorus Siculus lib. 3. de Atlantiis loquens, Tacitus de moribus Germanorum, Plutarchus lib. de Iſide, & innumeri alii. Primi tamen ac præcipui falſorum Deorum cultores fuerunt Chaldæi ſive Babylonii, & Ægyptii. De *Diis Chaldæorum* refert nonnulla Diodorus Siculus lib. 2. Sed plura apud Beroſum, Metaſthenem, Herodotum, Strabonem,

Cham idololatriæ à diluvio autor.

Chaldæorum Dii.



Digitized by Google

Period. I. artic. II. bonem, & alios leguntur. Sicut Cœli ac ſyderum contemplationi præ aliis populis dediti fuerunt, & ex eorum diſciplinâ futura prædixerunt Chaldæi: ita aſtris opinionem ac cultum divinitatis facile affinxerunt. Præcipuæ inter eos venerationis idola fuerunt quinque: dii tres, Bel, Rach, & Nego; & duæ deæ, Schacha, & Mulitta. *Bel* Chaldæorum, Phœnicibus dictus fuit Baal: utrumque ab Hebræo בַּעַל, à quo excidente literâ ע juxta morem Chaldaicum fit Bel: quod Dominum ſignificat Hoſ. 2. v. 16. Reperitur etiam numero plurali Baalim. De hoc eſt Eſai. 46. v. 1. Jerem. 50. v. 2. & cap. 51. v. 44. ac paſſim. Fuit is, qui vulgo Jupiter Belus appellatur, quod nomen legitur etiam apud Strabonem lib. 16. in deſcriptione Babyloniæ. Beroſus Chaldæus lib. 5. antiquitatum, & Metaſthenes Perſa ſcribunt, hunc Jovem Belum fuiſſe Saturni filium: cui templum ampliſſimum conditum dicatumque fuit: quod adhuc Veſpaſiani imperio duraſſe autor eſt Plinius lib. 6. naturalis hiſtoriæ cap. 26. Probabile eſt nomen iſtud initio uni ac ſummo Deo, Creatori univerſi fuiſſe attributum. Inde verò ad Solem, Lunam, ſydera, & tandem ad ipſos Reges tranſlatum. Idolum quoque ab aliis populis receptum, Aſſyriis, Phœnicibus, Carthaginienſibus; & ab Europæis Græcis Ζεὺς, Latinis Jupiter appellatum.

Rach. *Rach* fuit ſecundus Chaldæorum Deus, hoc eſt, Rex: quo nomine Solem deſignabant, quod veluti Rex inter planetas reliquaſque ſtellas principatum obtineat. A Perſis Mithra appellatus fuit: cui ſacræ erant ſeptem portæ, planetarum numerum referentes: de quibus Celſus apud Origenem lib. 5. Exſtat quoque ejus mentio apud Juſtinum Martyrem apologia 2 pro Chriſtianis, ad Antoninum Pium Imp. & in Dialogo cum Tryphone. Hujus Sacerdotes fuerunt dicti Raciophantæ, Solis obſervatores.

Nego. *Nego* fuit tertius Chaldæorum Deus, nempe Ignis: ſic dictus à ſplendore, qui & Hebræis Nogah vocatur, & ipſum idolum Norgal 2 Reg. 17. Is à Babyloniis circumlatus fuit, tanquam Solis Symbolum; ejuſque Sacerdotes apud Plinium dicuntur Orophantæ, hoc eſt, lucis ſpeculatores. Hoc idolum in ſummâ veneratione habitum à Perſis: qui illud Orimaſda appellarunt, ab Hebræo אוֹר, quod eſt lux ſive lumen. In ejus honorem perpetuo igne caluerunt aræ in ſacrariis: quæ ipſis πυραιθεῖα, ſicut Sacerdotes Magi πυραιθοι dicti. Videatur Strabo lib. 15. Dearum porrò,

Schacha. quas iidem colebant, prior erat *Schacha* Terra, quam Latini etiam Telluris vel Opis nomine divino cultu proſecuti ſunt. A Syris Darcetha appellata fuit; de quâ ſcribit Athenagoras in apologiâ ad Antoninum Philoſophum & Commodum Impp. eam fuiſſe filiam Semiramidis, & in columbam verſam: religiosè autem cultam cum matre ſub ſpe-

cie

Digitized by Google

cie columbæ: ut Cteſias autor eſt. Huic Deæ quotannis decimoſexto die menſis Loii feſtum quinqueduanum Babylone celebratum: per quod tempus mutatis vicibus domini famulabantur, ſervi dominabantur, eorumque unus familiæ præerat, quem Soganem nuncupabant, à nomine Hebræo Sagan, quod eſt princeps vel ſacerdos. Cteſias lib. 2. & ex ipſo Athenæus lib. 14. dipnoſophiſtôn. Hinc Balthaſar appellatur Rex Schacha, hoc eſt, Babylone feſta agitans, Jerem. 25. v. 27. & ipſa urbs Babylon Schacka, in honorem Deæ ſuæ, cap. 51. v. 41. Altera fuit *Mulitta*, ſive Venus, Herodotus lib. 1. vel potius Muleata, à perfectâ ejus venuſtate. Arabes Uraniam ipſam indigetarunt. Ejus Sacerdotes Notitæ ſive Notophantæ dicti, hoc eſt, Veneris formoſæ obſervatores: ut eſt apud Plinium lib. 6. cap. 26. Atque iſti fuêre Dii Deæque principes apud Babylonios. Cæteri, qui plurimi fuêre inferiores habebantur, ac impari veneratione. Quanquam circa hæc tempora ex *Hominibus*, ſive ex genere Mortalium in ordinem Deorum à Babyloniis provecti. Quod axioma primo Jovi Belo, Nimrodi filio, ob præclara in gentem ſuam merita tributum: ut refert Beroſus lib. 5. & Oroſius lib. 1. cap. 1. Euſebius autem lib. 1. præparationis Euangelicæ, hinc ἀποθεώσεως gentilis originem deducit. *Ægyptii* autem, qui poſt Babylonios maximè floruerunt imperii gloriâ, Chamo & Mizraimo autoribus, à quibus *terra ipſorum* in ſacris denominatur, in eandem ſuperſtitionem proruerunt. De quâ præ aliis audiendi Herodotus lib. 1. & Diodorus Siculus lib. 1. *Solem & Lunam* tanquam auſpices principeſque Deorum venerati ſunt. Illum Oſirim, id eſt, multoculum, quod omnia cernat (alii tamen Dionyſium interpretantur) iſtam Iſidem appellarunt, id eſt, antiquam: cui cornua & figuram bovis tribuerunt. Hos tripartitis anni temporibus omnia gignere ſuſtentareque crediderunt per *quinque Elementa*: Spiritum, qui Jupiter, πατὴρ ἀνδρῶν τε, θεῶν τε: Ignem, qui Vulcanus; Terram, quæ Ceres; Humorem, qui Oceanus, ſive etiam Nilus; & Aërem, qui Minerva, Virgo Trigeneia appellatur. Præter hos vero etiam ex *Hominibus* extulerunt in Deos. Antiquiſſimum ſtatuunt Vulcanum, qui Ægyptiis imperarit, & ignem ex fulmine collectum hominibus tradiderit. Proximum ab eo Saturnum, qui ex ſorore Rheâ genuerit Jovem & Junonem: qui totius orbis adepti imperium, Oſiridem ſive Bacchum, & Iſidem ſive Cererem procrearint: qui agriculturam, ac tritici hordeique ſationem invenerint, ac alios docuerint. Eoſdem alios ſibi aſſociaſſe, Hermen, Herculem, Anubidem, Pana, Triptolemum, & alios: qui in Diis cenſeantur atque colantur. De quibus ſigillatim agere, non eſt inſtituti præſentis. Cæterum non hîc conquievit

Period. I. artic. II.

Mulitta.

Hominum ἀποθέωσις.

Ægyptiorum Dii,

Sol & Luna,

quinque Elementa,

Homines quidam.



quievit

Digitized by Google

Period. I. artic. II.

quievit profana Gentilium ſuperſtitio: ſed longius Satanæ inſtigatione provecta, Diis iſtis & ſimulachra poſuit, & templa araſque condidit: quin etiam ad iſta quoque divinitatis honorem paulatim tranſtulit. In cujus ſuperſtitionis initia nunc inquirendum eſt. Ante diviſionem orbis inter Gentes, & harum à ſe invicem diſperſionem, etiamſi πολυθεία jam promiſcuè recepta eſſet, nulla tamen Numinis imago, nullum ſimulachrum, nec magis ullum templum fuit. Nam veri Dei inviſibilem Majeſtatem mente venerabantur, nec ullo ſpatio claudebant, quem cœli arcem obtinere credebant. Reliquorum autem Deorum Numina viſibilia oculis quotidie intuebantur. Id de pluribus Gentibus, iiſque antiquiſſimis Hiſtoriæ teſtantur: de Seribus Aſiæ populis Euſebius: de Perſis Herodotus lib. 1. & Strabo lib. 16. Unde Rex Perſarum Xerxes Græciæ templa ac ſimulachra inflammavit, ut refert Cicero lib. 2. de legibus. De Romanis Plutarchus in Numa, qui quidem id inſtitutum tenuerunt per annos 170. itemque Varro apud Auguſtinum lib. 4. de Civitate Dei cap. 31. De Celtis omnibus Maximus Tyrius diſſert. 38. De Germanis autem ſigillatim Cornelius Tacitus libro de moribus ipſorum. Denique de ipſis Ægyptiis, nec non Aſſyriis idem confirmat Lucianus libro de Deâ Syriâ. Ut communis Gentium conſenſio appareat: non ex Magorum diſciplinâ, aut Schola Pythagoræ derivata; ut Plutarchus opinatus eſt: ſed ex piâ Patriarcharum inſtitutione deducta, cujus memoria nondum inter Gentes deleta erat. Poſt migrationem verò Gentium Chaldæi atque Ægyptii cœperunt ſimulachra ſculpere, & ſtatuas ponere, non modo iis, quos ex hominibus ipſi fecerant Deos, ſed cæteris quoque Numinibus cœleſtibus, atque ipſi tandem Creatori univerſi, Deo vero ac inviſibili. Quum enim à primis mortalibus accepiſſent, Deum condidiſſe hominem ad imaginem ſuam, inſitâ ſuperſtitione myſterium illud detorquentes, ipſum Deum humanâ figurâ eſſe opinati, eam viſibili ſpecie effigiarunt, ac publicè propoſuerunt. Id Maximus Tyrius nos docet diſſertatione 38. Cicero lib. 1. de Divinatione, aliter rem declarat. Ait enim ſpecies iſtas hominum collatas in Deos, aut conſilio quodam Sapientum, quò facilius animos imperitorum ad Deorum cultum à vitæ pravitate averterent; Deos ipſos ſe adire crederent. Id autem Ægyptios primos factitaſſe, hoc eſt, templa juxta & ſimulachra Deûm inſtituiſſe, iiſque cultum divinum tribuiſſe, convenit ferè inter autores antiquos: ut eſt apud Lucianum libro de Deâ Syriâ. Unde factum, ut etiam poſteriores Græci atque Latini, quum templorum ſimulachrorumque inſtitutum Majores ſuos ab Ægyptiis accepiſſe ſcirent, ipſorum quoque Deorum numina ac religiones primos reperiſſe

*Imagines initio nullæ fuerunt apud Gentes.*

*Eas invenerunt Chaldæi & Ægyptii.*

eoſdem

Digitized by Google

eoſdem Ægyptios crediderint. Lucianus verò etiam Aſſyrios doctrinam de Deo ab Ægyptiis hauſiſſe ait. Sed Sacræ literæ antiquiorem idololatriæ uſum apud Chaldæos commonſtrant: ac paſſim Babylonem tanquam matrem ſuperſtitionis nobis depingunt: Joſ. 24. v. 1. & Geneſ. 31. v. 19, 30, 32, 53. cap. 35. v. 24. Et Euſebius de præparat. Euangel. docet, Babylone primam ſtatuam Jovi Belo, ceu Deo poſitam, ac religioſè cultam fuiſſe. A Chaldæis quoque hanc labem illatam in piam Semi poſteritatem, ac Tharæ patris Abrahami familiam ex locis ante citatis luce clarius eſt. Sed quæ fuerit horum ſuperſtitio & idololatria, haud æquè eſt manifeſtum. Hebræi, atque etiam Interpretes quidam Chriſtiani putant, Tharam, exemplo patris & avi, inprimis verò Chaldæorum popularium, unà cum Nahore & Abrahamo filiis, coluiſſe Nego ſive Nega, hoc eſt, ignem ſacrum Chaldæorum, ceu Solis ſymbolum: qui unà cum Lunâ ac cæteris planetis fuerint Dii Nachoris, fratris Abrahami, quos Jacobo, quaſi apoſtatæ à majorum religione objectat Laban: Geneſ. 31. v. 53. De quo multa exſtant apud Maimonidem in More Nebochim lib. 3. cap. 30. Hujus ſententiæ argumentum petitur à nomine Urbis, in quâ habitavit Thara cum filiis. Ea fuit Ur Chaldæorum Gen. 11. v. 28, 31. quæ hiſtoricis eſt Orchoë: ſic dicta, quod Igni ſacra eſſet, & præcipua ſedes Sacerdotum, ſacra ejus exercentium. De eâ loquitur etiam Achior, Judith. 5. v. 8. Alii verò, probabilitate non minore, aſſerunt, Deos illos fuiſſe Teraphim: prout appellantur Geneſ. 31. v. 19. Siquidem eos Laban ita vocat Deos ſuos v. 30. ut affirmet fuiſſe Deos majorum ſuorum, tum Nachoris avi, tum Tharæ proavi v. 53. à quibus nempe eoſdem, non alios, acceperat: & quos uti furata erat Rachel, inſcio marito, v. 19. ſic iſte reformans familiam ſuam ab omni ſuperſtitione Orientalium, deinde abjecit, & in terrâ defodit. Teraphim verò erant imagines, factæ ad ſimilitudinem corporis humani: ut colligitur ex 1 Sam. 19. verſ. 16. ubi additur pulvinar caprarum, ex pilis caprinis contextum, ut viderentur eſſe capilli humani. Uſus erat partim ut hâc formâ, quâ ipſe Deus ſuam quaſi imaginem expreſſerat in creatione, ipſum repræſentarent, ſibi præſentem haberent, atque colerent: partim etiam ut futurorum aut occultorum revelationem ab illis peterent, ut docet Aben Ezra: & Zach. 10. v. 2. ubi Teraphim locutæ dicuntur vanitatem: non vi naturali ſpiritus per arteriam pulmonis, quia aliter Pſaltes Pſal. 115. verſ. 5. ſed impoſturâ Satanæ, per inanimata ac muta reſponſa edentis. Atque hi fuêre Dii alieni, quos in Chaldæâ hâc tempeſtate coluerunt: hic cultus novâ ſuperſtitione iis impenſus: quo non quidem abdicabant verùm Deum, ſed cum falſis copu-

Period. I. artic. II.

Didicit à Chaldæis Thara.

Digitized by Google

Period. I. Artic. II. copulabant, noxio admodum exemplo, quod ad ſeram tranſiit poſteritatem, ac vix unquam tolli potuit. Sed Deus miſertus Eccleſiæ ſuæ, ne altius immergeretur ignorantiæ ſuperſtitioniſque erroribus, mox *Tertio Periodi hujus Articulo* eam à falſis Diis ad ſui, tanquam unius veri Dei, fidem & cultum revocavit: educens Abrahamum ex Ure Chaldæorum, atque Chaldæis idololatris ipſum ſeparans. Etenim non modo novâ eaque variâ revelatione ſe ei patefecit: verum etiam fœdus Gratiæ cum ipſo iniit, ac deinceps cum filio ipſius Iſaaco, & nepote Jacobo ſive Iſraële repetivit & confirmavit: quò Eſſentia veri Dei ejuſque Unitas, nec non Perſonarum in eâdem ſubſiſtentium Trinitas perſpicuè eſt declarata. Id docent illuſtres Dei deſcriptiones, quæ paſſim occurrunt in Geneſi, inde à cap. 12. uſque ad finem: Cap. 14. v. 19. *Deus fortis, excelſus, poſſeſſor cœli & terræ.* Cap. 17. v. 1. *Ego ſum Deus fortis, Omnipotens*: Schaddai, hoc eſt, aſcher dai, *cui eſt ſufficientia, αὐτάρκης.* Cap. 18. v. 14 25. *Iehova, à quo nihil poteſt occultari; qui eſt Iudex totius terræ, & exercet jus.* Cap. 21. v. 33. *Iehova Deus fortis æternus.* Cap. 24. verſ. 3. *Iehova Deus cœli & Deus terræ.* v. 12, 27. *Iehova Deus Abrahami.* Cap. 28. verſ. 13. *Deus Abrahami & Deus Iſaaci.* Cap. 31. v. 13. *Deus fortis, Deus Bethelis.* Cap. 40. v. 8. *Deus cui ſunt interpretationes.* Cap. 43 v. 23. *Deus veſter & Deus patris veſtri.* His aliiſque locis deſcribitur nobis Eſſentia ſive natura Dei à ſuis proprietatibus & operibus, & ſimul Unitas ejus ſignificatur. Ubique enim unus tantum Deus introducitur, non multi aut plures: Patriarchæ quoque uni ſolum Deo crediderunt ac ſervierunt cultu interno & externo, non multis ſive pluribus. Quis verò ſit Unus ille ac verus Deus ſolennibus invocationum formulis teſtati ſunt: Abraham Geneſ. 24. verſ. 7. *Iehova Deus cœli, qui aſſumſit me, &c.* Iſaac cap. 28. v. 3, 4. *Deus fortis omnipotens benedicat tibi, &c.* Jacob cap. 32. v. 9. *O Deus Patris mei Abrahami, &c.* & cap. 28. v. 15, 16. *Deus ille ante cujus conſpectum indeſinenter ambularunt patres mei Abraham & Iſaac, Deus ille qui paſcit me, &c.* Denique pluralitas ſive Trinitas Perſonarum divinarum in unâ illâ eſſentiâ Dei trifariam aſſeritur ex hujus Articuli hiſtoriâ. I. ex phraſeologiâ myſticâ Gen. 19. v. 24. *Pluit Iehova à Iehova*, hoc eſt, Filius à Patre: ut eſt Johan. 5. v. 19. quia Jehova pluens diſtinguitur ab eo, à quo cœlitus miſſus erat, tanquam Angelus ipſius, cap. 18. Rurſum Cap. 20. v. 13. *Cum facerent Dii, ut errarem è domo Patris mei:* hoc eſt, tres Perſonæ Deitatis, cap. 1. v. 2, 3. expreſſæ: quia ſubjectum & prædicatum ſunt numeri pluralis. Cap. 35. v. 7. *Vocavit locum Bethel, quod ibi ſe ipſi revelaviſſent Dii*, Elohim, hoc eſt, tres perſonæ Trinitatis ex cap. 28. verſ. 13. II. ex apparitionibus divinis:

Artic. III. Abrahamo, Iſaaco & Jacobo confirmata

Eſſentia divina ejuſque Unitas.

Perſonarum Trinitas.

cujuſ-

Digitized by Google

cujuſmodi tres præcipuè memorantur: Una Geneſ. 18. verſ. 2. quâ tres Period. I. artic. III.
Angeli apparent Abrahamo. Quinam illi fuerint, non ſatis convenit inter interpretes. Athanaſius, Ambroſius, Epiphanius & alii volunt fuiſſe tres perſonas Deitatis: quia hi tres vocantur Jehova v. 1. & quia tres ut unum alloquitur Abraham verſ. 3. Auguſtinus lib. 2. de Trinit. cap. 11. & de Civit. Dei lib. 16. cap. 29. putat fuiſſe Angelos creatos, argumento loci Hebr. 13. verſ. 2. ſed qui repræſentarint tres Perſonas Deitatis: quæ & Cyrilli eſt ſententia, lib. 1. contra Julianum. Sed ſimplicior & verior eſt eorum aſſertio, qui ſtatuunt, Unum majeſtate præcellentem, quem alloquitur Abraham, fuiſſe Jehovam: quoniam & Jehova appellatur v. 1, 13, 17, 20, 22. & mundi Judex ab Abrahamo ſalutatur v. 25. Reliqui autem duo fuerunt angeli creati, miniſtri ipſius. Sed Angelus Jehova non eſt Deus Pater: à quo miſſus fuit & à quo tanquam à mittente apertè diſtinguitur cap. 19. v. 7. Eſt igitur Deus filius, qui jam in V. T. legatione functus eſt ad Eccleſiam: quia Judex mundi dicitur cap. 18. v. 25. item quia Exod. 13. & 14. & Eſai. 63. v. 9. de ipſo explicatur. Altera eſt Cap. 22. verſ. 11. ubi Angelus Jehovæ, qui inclamat Abrahamum, eſt ipſe Jehova v. 16. qui per ſeipſum jurat, ut non habens majorem, per quem poſſit jurare Hebr. 6. v. 13. Diſtinguitur itaque à Jehova, tanquam Sermo & Orator ipſius quod proprium eſt Filii diſtincti à Patre. Similis exſtat Gen. 16. v. 10, 13. & cap. 31. v. 11. & ſeqq. Tertia eſt Cap 32. v. 24. ubi vir luctans eſt Deus, & filius Dei, Chriſtus, Angelus fœderis Hoſ. 12. v. 5. Malach. 3. v. 1. ſic Gen. 48. v. 15, 16. III. ex promiſſionibus, tum Seminis illius; in quo benedicendæ omnes gentes terræ: Cap. 13. v. 35, & cap. 22. v. 18. & cap. 26. v. 8. & cap. 28. v. 14. tum Schilo Meſſiæ. cui erit obedientia populorum cap. 49. v. 10. Apoteleſmata illa ſunt Deitatis propria, ac perſonam divinam deſignant. At non Patris, qui mittit Semen & Schilo: nec Spiritus Sanctus, qui ab eo mittitur, ad communicandam gratiam ipſius. Ergo notatur Filius, à Patre & Spiritu Sancto diſtinctus. Hæc igitur fuit fides Patriarcharum, & Eccleſiæ Patriarchalis de vero Deo, uno Eſſentiâ, & trino Perſonis, illo de quo nunc agitur articulo. Ea tamen Eccleſia non omnis planè erroris vitiive expers fuit. Quum enim in Meſopotamiâ degeret Jacobus, Reliquiæ idololatriæ in Eccleſiâ.
Uxores ipſius ac domeſtici non tantum occulte adhæſerunt avitæ ſuperſtitioni, ſed etiam deſcedentes eam in Cananæam intulerunt. Doctores Hebræi opinantur Leam, in partu Zilphæ ancillæ ſuæ Gad ſive Fortunam, boni ominis ergò, invocaſſe, & ab eo filium ſuum denominaſſe Gen. 30. verſ. 11. Ba-gad, *venit Fortuna:* Sic Pagninus, LXX reddiderunt *εὐτύχηκα felix facta ſum*, pro *εὐτύχῃ feliciter.* גד Gad



Digitized by Google

Period. I. artic. III. Rabbinis eſt ſydus Jovis, vel aliud. Sed rectius noſtri Gad ſumunt pro Gedud *turma*, argumento loci cap. 49. v. 19. Neque enim Jacob paſſus fuiſſet ſuperſtitioſum nomen imponi filio ſuo. Illud verò certum, quod Rachel Teraphim, Deos penates Patris ſui clam furata, abiens ſecum abſtulerit Gen. 31. v. 19. & ſeqq. Tum etiam domeſtici Jacobi ſua idola habuerunt, ſive aſportata ex Meſopotamiâ, ſive ex direptione & incendio urbis Sichem ſervata: quæ omnia ipſe conquiſivit, & defoſſa abolevit cap. 35. v. 2. Poſt mortem verò ipſius degeneres poſteri, etſi ſecreti habitarent ab Ægyptiis, tamen idololatriam ipſorum cupidè nimis amplexi ſunt, & obſtinatè retinuerunt: ut eſt Ezech. 20. v. 7, 8. & Exod. 3. v. 12. Hoc ipſo articulo extra familias & poſteritatem Patriarcharum veri Dei agnitione & cultu celebres fuerunt Melchizedech in Cananæâ, & Jobus ejuſque amici in Arabiâ. Ille quidem non tantum unum eundemque Deum cum Abrahamo agnovit ac veneratus eſt, verum etiam ut Sacerdos ejus eum prædicavit Salemi, ac genti Cananææ colendum propoſuit Gen. 14. v. 18, 19. 20. Hic verò piis diſſertationibus, cum amicis ultro citroque habitis, naturam ejus, proprietates, inprimis majeſtatem, juſtitiam, liberrimam poteſtatem, dominium; tum etiam voluntatem ac opera tam graphice depingit, vix ut aliunde inſigniores hypotypoſes depromi queant. Nec tacet SS. Trinitatis myſterium: Patrem enim paſſim κατ' ἐξοχὴν Deum & altiſſimum nominat, propter originis principatum. Filium vocat Deum redemtorem, oculis corporeis conſpiciendum in beatâ reſurrectione Job. 19. v. 25, 26. Spiritum Sanctum autem variè indigetat, cap. 33. v. 4. & cap. 32. v. 8. & c. 20. v. 3. quibus opera Creationis, illuminationis atque gubernationis ei attribuit. Pluralitatem denique Perſonarum in unâ Eſſentiâ profitetur Elihu, Job. 35. 10. quando exclamandum docet hominibus, *Ubi eſt Deus factores mei? Eloah* ſingulariter unum Deum appellans, eundemque numero plurali *Factores ſuos:* nempe Patrem, Verbum & Spiritum Dei, Univerſi mundi, & ſingulari ratione Hominum Creatores Geneſ. 1. v. 2, 3, 26, 27. Alioqui quæ in Arabia vulgò recepta fuerit doctrina, ſupra aliâ occaſione attigimus. Siquidem teſtatur Job. 31. v. 26, 27, 28. ſe immunem eſſe à populariũm ſuorum idololatriâ, qui Solis & Lunæ pulchritudine, præſtantiâ, ac utilitate multiplici adducti, quam iſta luminaria afferunt hominibus, ea aliorum, vicinorum ſuorum, exemplo ceu Deos adorarint, eoque à vero Deo, cœli terræque Creatore, defecerint. De Babyloniis etiam ſive Chaldæis alibi diximus. In quibus tamen hac ætate nondum ita obſcurata fuit lux veræ doctrinæ de Deo Triuno, quin aliquæ ejus notitiæ, veluti ſcintillæ in tenebris emicantes remanſerint. Habuerunt illi inde à gen-

*Quid de Deo ſenſerint Melchizedech, & Jobus.*

*Gentium idololatria.*

*Reliquiæ veritatis apud Chaldæos.*

tis

Digitized by Google

tis ſuæ primordiis, ſive ex Zoroaſtris, ſive ex alius inſtitutione Magos ſive Sapientes, Sacrorum antiſtites, non minus quam Ægyptii Gen. 41. verſ. 8. qui Sacra docebant atque exercebant. De quibus ſcitum eſt Apollinis oraculum: *Μῦνοι Χαλδαῖοι σοφίαν λάχον ἠδ' ἄρ' Ἑβραῖοι*: *Soli Chaldæi ſortiti ſunt ſapientiam & Hebræi.* Hi vero Unitatem Eſſentiæ divinæ, ac in eâ Trinitatem Perſonarum etſi malè intellectam, videntur agnoviſſe & profeſſi eſſe: idque ex majorum ſuorum, Patriarcharum, inſtitutione. Mercurius Triſmegiſtus Princeps Magorum, de Unitate Eſſentiæ ita loquitur: *Unum Deum eſſe, unitatem unam, omnium quæ ſunt radicem: Sine hâc nihil factum eſſe, nihil fieri poſſe: Unum illum bonum propriè, ſeu τὸ ἀγαθὸν cognominari, infinitâ creandi poteſtate præditum, itaque in cælo immortalitatem, in terrâ viciſſitudinem, in univerſo vitam ac motum ſeminaſſe. Ei ſoli Patris ac Boni cognomina convenire, nec cuiquam præterea abſque blaſphemiâ tribui poſſe.* Idcircò hunc *Patrem mundi* vocat, *Creatorem, Principium, gloriam, naturam, finem, neceſſitatem, renovationem omnium rerum; ſolum ſanctum, ſolum æternum: qui ſolus ſit laudandus, invocandus, ſacrificiis placandus.* Quæ omnia apud Mercurium leguntur, in libro qui dicitur Pimander, cap. 2, 3, 4. & ſeqq. De Trinitate verò ibidem ita diſſerit: *Deus, qui intellectus eſt, & vita, & lumen, ut qui ἀῤῥενόθηλυς, mas ſimul & fœmina,* hoc eſt, expers ſexus, *eſt, λόγον* ſive *Verbum peperit: qui quidem Intellectus alter eſt omnium opifex, unaque cum illo & alium, qui Deus igneus, & divinitus Spiritus eſt:* ubi *Mentem mente genitam, intellectum de intellectu,* & præterea *divinum Spiritum*, imò *Spiritum Deum* proponit. Rurſum *hic λόγος ex Deo procedens, quia totus perfectus & generandi potens, ſummuſque opifex, incubuit in aquam fæcundamque reddidit eam:* quomodo etiam Moſes loquitur Geneſ. 1. v. 2. Similia habet Cyrillus ex eo lib. 1. contra Iulianum: ubi *Mens Deus Pater, λόγος perfectus primogenitus & genuinus Dei filius, & Spiritus S. Spiritus omnia vivificans & implens* appellatur. Et conſtat tria univerſim rerum principia Magos conſtituiſſe, Oromaſem, Mitrim, & Ariminim; Deum, Mentem, & Animam: quam etiam Amorem, & igneum rerum vinculum dixerunt. Cæterum cum ab hâc Unitate trium Principiorum in πολυθείαν deflexerint, accidit eis quod de Gentilium Sapientibus perhibet Apoſtolus Rom. 1. verſ. 21. nempe quod evanuerint in ratiociniis ſuis, ac ſtulti facti ſint, Dei veritate in falſitatem, ac Unitate Creatoris in multitudinem creaturarum, velut Deorum, commutata. Apud Ægyptios an & quouſque veri Dei cognitionem reſtaurarit ac perduxerit Joſephus, ad ſupremam Ægypti præfecturam evectus, haud facilè eſt definire ex Pſal. 105: v. 22. Ex hiſtoriâ quidem conſtat, ſemel receptam & inolitam jam ſuperſtitionem in gente illâ perduraſſe.

Period. I. Artic. III.

Ægyptii per ſeveranunt in ſuperſtitione.



Digitized by Google

Period. I. artic. III. Etenim Magi ſive Sapientes Ægyptiorum, non minus tum quam deinceps in honore ac pretio fuerunt: & non modo diſciplinas Mathematicas, Geometriam, Arithmeticam, & Aſtronomiam, ſed etiam doctrinam Religionis ac ſacrorum tradiderunt: Gen. 41. v. 8. Diodorus Siculus lib. 2. & Herodotus in Euterpe. Præterea ſuperſtitio illius gentis ex collatione Gen. 43. verſ. 32. & cap. 46. v. 34. manifeſta eſt. Narrat Moſes Ægyptios cum Hebræis fratribus Joſephi, utpote pecuariis, nec menſâ communi uti, nec eodem loco degere ſuſtinuiſſe. Cauſam odii alii aliam afferunt. Rupertus Tuitienſis lib. 9. Commentariorum in Geneſ. cap. 19. eam refert ad arrogantiam & ſuperbiam Ægyptiorum; qui, quia gaudebant multitudine equorum & curruum, nec non amplitudine divitiarum ex quæſtuoſis negotiationibus terrâ marique, iccircò humile genus paſtorum, quales Hebræi, contemnebant. Petrus Cunæus lib. 1. de Republicâ Hebræorum cap. 5. cauſam conjicit in vitæ ac ingeniorum diſſimilitudinem, quod Ægyptii, homines ſedentarii & opifices, ac ferè molles & effœminati, pecuarios ſive paſtores, tanquam viros ſtrenues & laboribus induratos ſuſpectos habuerint, & propter res domi ſæpius turbatas, odio proſecuti fuerint. Sed fontem ſequioris affectus nemo rectius aperit ipſo Moſe, qui Exod. 8. v. 26. ſic alloquitur Pharaonem: *Si ſacrificaremus id, quod abominationi Ægyptiis ante oculos eorum, nonne lapidaturi eſſent nos?* Nimirum Ægyptii non tantum à ſacrificiis, ſed etiam à mactatione ac eſu pecudum abhorrebant, quas ipſi colebant pro Diis. Proinde cum Hebræi partim eas immolarent, partim etiam iis veſcerentur, ipſi quoque abominationi erant. Ægyptiorum, quotquot erant pecuarii, quæ fuerit ratio, non ſatis liquet ex Moſe, aut aliis Scriptoribus. Fortè religione ſacriſque diverſi erant à cæteris, ac propterea ab iis longius ſemoti, in campeſtribus Ægyptii habitarunt. Atque hæc de primâ Eccleſiæ V. T. periodo hactenus.

Periodus V. T. ſecunda. Artic. I. Doctrina de Deo Eccleſiæ Iſraëlis tradita, quoad

Succedit *Secunda*, cujus *Primo Articulo*, ut de novo conſtituta eſt tota Eccleſia Iſraëlitica miniſterio Moſis, ſervi Dei, ita præcipuè doctrina de Vero Deo novâ, eaque familiariſſimâ ipſius revelatione integrè reſtaurata, ac mirificè illuſtrata eſt. Et principio quidem oſtendit, ſe eſſe Deum Patrum ipſorum, Deum Abrahami, Deum Iſaaci, & Deum Jacobi Exod. 3. v. 6. ut ſe à fictitiis Diis diſcernat, fœderiſque cum Patribus initi memoriam renovet, unde pendebat ipſius populi liberatio. Inſuper edito nomine *Eheje* v. 14. æternam ſuam Eſſentiam declarat, quâ ab omnibus in tempore creatis diſtinguitur, expers principii, ſucceſſionis, & finis Heb. 13. verſ. 8. immutabilis, eoque in præſtandis promiſſis, quæ Patribus facta, conſtantiſſimus Gen. 15. v. 14. & cap.

*Period. II. artic. I.*

& cap.46.v.4. Poſtea verò diſtinctè ac ſigillatim patefecit, quid de ſe ac naturâ ſuâ, de proprietatibus ac perſonis teneri ac credi vellet.

*Unitatem Eſſentiæ,*

Unitatem Eſſentiæ divinæ ſolidiſſimè aſſeruit contra πολυθεΐαν Gentilium: docens ſe unum eſſe Deut.6.v.4. ac ſolum Deut.32.v.12. præter quem nec ſit, nec eſſe poſſit alius cap 4.v.35. cap.32.v.39. Quæ unitas eſt numeri & individui ſingulariſſima, omnem multitudinem aut multiplicationem Deitatis excludens. Hanc Unitatem Deus facto ipſo comprobavit, dum educens populum ſuum ex Ægypto, Deorum Ægyptiorum vanitatem ac falſitatem palam redarguit Exod.12.v.12.

*Proprietates eſſentiales.*

Proprietates verò, quibus una illa eſſentia declaratur atque cognoſcitur, variis deſcriptionibus complexus eſt, ac propoſuit. Præ cæteris inſignis eſt, quam clarâ voce enunciavit in gratiam Moſis, petentis viſionem gloriæ ipſius Exod.34.v.6,7. *Iehova, Iehova, Deus fortis, miſericors & gratioſus, longanimis & multus benignitate & fide, cuſtodiens benignitatem millibus, condonans iniquitatem, & defectionem & peccatum: & qui nullo pacto non abſolvit ſontem, viſitans iniquitatem patrum in filios, & in filios filiorum, in nepotes & in abnepotes.* Cui haud abſimiles ſunt aliæ, Exod.20. v 5.6. & Deut.5.v.15,16. item Deut.4.v.24. & 31. nec non cap. 32.v.4. Quibus omnibus demonſtrat, non modo cujuſmodi ſit abſolutè in ſeipſo, ſed etiam qualis ſit erga nos, ad ingenerandum nobis timoris ac fiduciæ filialis ſincerum affectum.

*Trinitatem Perſonarum.*

Denique Trinitatis myſterium etſi Exod.3.v.6. & Num.6.v.24,25,26. videtur innui ex quorundam ſententiâ, ob trinam repetitionem nominis Dei, & Jehovæ; evidentior tamen & certior eſt ejus demonſtratio, quæ ex ſingularum Perſonarum diſtinctâ mentione exſtruitur. Nam Deus Pater nomine Jehovæ paſſim ſignificatur. Filius appellatur Angelus Jehovæ, qui eduxit populum Iſraël ex Ægypto, & per deſertum deduxit, qui & ipſe eſt Jehova, Patri ὁμοούσιος, pari cultu proſequendus Exod.14. v.19. & cap.23.v.20,21. & ſeqq. Spiritus Sanctus autem dicitur Spiritus Jehovæ, nempe Patris & Filii. Exod.35.v.31. & ſeqq. Num.11. v.25. & ſeqq. Qui tamen tres, Jehova, Angelus Jehovæ, & Spiritus Jehovæ non niſi unus ſunt & ſingulariſſimus Deus.

*Damnatur omnis idololatria.*

Sic conſtitutâ ac aſſertâ vera de Deo doctrinâ, fictitios Deos, & eorum commentitios cultus Moſes redarguit, interdixit, tanquam pugnantes cum uno illo vero Deo, qui in tribus perſonis ſubſiſtit, ac ſe populo ſuo patefecit. Et ne quis effugio locus relinqueretur, in genere & ſpecie eos deſignat & damnat. Etenim caveri jubet Deos, tum Ægyptiorum, à quibus exierant, Exod.20.verſ.23. & Cananæorum, ad quos venturi, & inter quos habitaturi erant cap.23. verſ.23,24. tum aliarum gentium quarumcunque Deut.32.v.37,38.



Digitized by Google

Period. II. artic. 1. Atque hos diſtributione quadam ex ſubjecti commemorat, majoris evidentiâ causâ, Exod. 20. verſ. 4, 5. Deut 5. verſ. 12, 13. inprimis autem Deut. 4. v. 16, 17. & ſeqq. Alios enim Cœleſtes facit, ut Angelos; Malos nempe, (nam Boni divinitatis opinionem nunquam affectarunt, nec honorem admiſerunt Apoc. 19. v. 10. & cap. 22. v. 8, 9.) Æthera, Solem, Lunam, Sydera, & inprimis ſeptem planetas, & duodecim ſigna Zodiaci, quæ Militiæ ſeu Exercitus cœlorum nomine veniunt, Deut. 17. v. 2. tum etiam Aërem, & Aves in eo volitantes: alios Terreſtres, ut Terram ipſam, Gentibus Deam Veſtam, & Tellurem dictam: Homines vivos & mortuos; Bruta animantia, gradientia & repentia; Res inanimatas, herbas, plantas, & arbores; alios Aquatiles, ut Aquam ipſam, quæ Gentibus Thetis mater, & Oceanus pater dicta; Piſces etiam & monſtra marina. In ſpecie autem prohibet, ne pro Diis habeant, aut religiosè colant Dæmonia, Homines mortuos, & idola alia. Non *Dæmonia* ſive Dæmones aut Spiritus malignos, ſive

Dæmoniorum. formâ viſibili apparerent: Levit. 17. v. 7. ubi שְׂעִירִים *horrentes* vel *horrifici* appellantur, quia horridâ ſpecie apparerent, & horrorem incuterent; alii reddunt *Piloſi*, quod formâ hircinâ ſeſe exhibuerint: & Deut. 32. v. 17. ubi dicuntur שֵׁדִים hoc eſt *Vaſtatores*, quod rebus humanis vaſtandis intenti ſint: Sive etiam homines, viros aut mulieres, obſideant, in iis agant, loquantur & reſponſa edant: Lev. 19. v. 31. & cap. 20. v. 6. & 27. אוֹב & pluraliter אוֹבוֹת quaſi *utres*, ἐγγαστρίμυθοι, quod turgeſcente horum ventre inſtar utris, Diabolus ex eo oracula redderet: Græcis Pythones dicuntur, quia erat δαιμόνιον μαντικὸν, παρὰ τὸ πυνθάνεσθαι à ſciſcitando, quod conſulentibus reſponderet; vel à Pythone urbe Phocidis, quæ Delphos, ubi Apollinis Pythii oraculum fuit. Hinc Act. 16. v. 16. Spiritus Pythonis reſpondens, & Deut. 18. v. 11. requirens Pythonem, & reſponſa Dæmonum po-

Hominum mortuorum. ſtulans, commemorantur. Non *Homines mortuos* Deut. 18. v. 11. qui conſulebantur ut Dii, & in pretio erant: iidemque vel evocabantur, ut ſpectrum Samuelis 1 Sam. 28. vel ad Statuas interrogantibus reſpondebant: quod de Jovis Beli ſtatuâ hiſtoriæ teſtantur. Non de-

Idolorum. nique *Idola* alia; ut ſunt Vitulus aureus, Moloch, & Baal Peor, quæ ex-

Vituli aurei, preſſe nominantur. *Vitulus* vocatur עֵגֶל quam vocem LXX paſſim μόσχον reddiderunt: at Pſal. 106. verſ. 19, 20. ſynonymôs עֵגֶל *vitulus*, & שׁוֹר *bos* dicitur, quia vitulus Hebræis etiam triennis eſt Geneſ. 15. v. 9. & Bos eâ ætate appellatur. Ejus cultum ex Ægyptiâ ſuperſtitione traxiſſe originem, non eſt dubitandum. Herodotus lib.

3. cele-

Digitized by Google

3. celebratiſſimum Ægyptiorum Apin ſex Epaphum μόσχον vitulum Period. II. nominat, eundemque miris notis inſignem deſcribit; toto nimirum artic. I. corpore nigrum, quadratâ in fronte maculâ candidâ, ſimilique corniculatæ lunæ formâ in latere dextro conſpicuum, qui non ex congreſſu tauri ſed radiis ſolaribus in vaccam demiſſis eamque implentibus, conceptus & natus credebatur. Cuſtoditus autem fuit in urbe Memphi. Habebant Ægyptii & alium bovem Mnevin, qui Heliopoli colebatur, nutritus in ſepto. Diodorus Siculus lib. 2. Plutarchus lib. de Iſide & Oſiride. Duo hi Boves ſacri fuerunt tum Soli & Lunæ, qui Ægyptiis Oſiris & Iſis dicebantur: tum etiam primis ipſorum regibus, Oſiridi regi & Iſidi reginæ, à diis ſuis denominatis, quibus inventum agriculturæ ferebant acceptum. Vitulus aureus in deſerto affirmatus fuit ad ſimilitudinem Apis; quod tradit Lactantius lib. de verâ ſapientiâ cap. 10. Ambroſius in Roman. cap 6. Hieronymus in Hoſ. cap. 4. Nam quod cœlo ſculpſiſſe Aaron ſcribitur, notæ videntur, quibus Apis eximius erat: & feſtum gaudio ac epulis agitatum inventi Apis feſtivitatem referre: & Vitulus, memoriale inventoris frugum, commodiſſimè repræſentare Deum, quotidianâ mannâ populum cibantem. Hæc idololatria deſcripta & damnata eſt Exod. 32. cap. *Moloch*, cujus mentio exſtat Lev. 18. v. 21. & cap. 20. v. 2, 3, 4. fuit Deus & idolum Ammonitarum: aſtrum regium, Saturnus; vel ſtella magna in cœlo, quæ Molochi. מֶלֶךְ *Melech* rex aliarum, nempe שֶׁמֶשׁ Sol. Idolum Molochi fuit in Gebal lapideum, auro obductum, & ſtellæ inſidens: utrinque autem duo fœminea ſimulachra, pariter ſedentia: ante ipſum ara, in quâ ſacrificia & ſuffitus fiebant. Sacrificium ejus erat, quod filii filiæque vivi ei cremabantur. Plerique Hebræorum exiſtimant, liberos non combuſtos, ſed duabus pyris exſtructis per illarum medium traductos, & ſic velut februatos eſſe. Verum id falſum eſt, & redarguuntur Pſal. 106 v. 37, 38. ubi dicuntur effuſo ſanguine liberos ſuos ſacrificaſſe dæmonibus. Idem affirmatur Jer. 7 v. 31. Et Hieroſolymæ locus, ubi cultus iſte peragabatur, dictus fuit Hinnom, ab ejulatu eorum, qui immolabantur; itemque Tophet, à tympanorum ſtrepitu, qui excitabatur, ne ejulatum ardentium liberorum parentes exaudirent, & ad commiſerationem flecterentur. Hujus ſacrificii etiam meminit Diodorus Siculus lib. 20. Carthaginenſes difficillimis temporibus trecentos procerum liberos immolaſſe teſtatus. *Baal-Peor*, vel *Pehor* abſolutè Num. Baal peoris. 25. v. 3. & ſeq. Deus & idolum Moabitarum, quod colebatur in monte Peor. Num. 23. v. 32. ubi domus & templum Peoris Deut. 34. v 6. ſic dictum à radice פָּעַר hoc eſt, nudavit, vel aperuit, ſcili-

cet.

Period. II. artic. I. cet os. Hieronymus in Hoſ.cap.4. & 9. Priapum fuiſſe dicit, qui nudis pudendis ſpectaretur. Hebræi ab aperiendo appellatum volunt, quod cultores coram ipſo aperirent os ſive foramen podicis, & cacarent ſive egererent ſtercus. Hinc idola Stercus, & Dii ſtercorei appellantur Levit.26.v.30. & Deut.29.v.17. quanquam alii ſic dictos volunt ceu abominales ut ſtercus. Etſi verò Iſraëlitæ ita inſtituti fuerunt in doctrinâ de vero Deo, & tot apparitionibus, judiciis, ac beneficiis in eâ confirmati, tamen ex diuturnâ conſuetudine cum Ægyptiis idololatris non modo animo propenderunt in idololatriam, ſed etiam ſuperſtite adhuc & inter eos verſante Moſe, prolapſi ſunt. Semel cum per abſentiam ipſius longiorem, duce Aarone, aureum Vitulum, tanquam Dei ſimulachrum, Exod.32. cap. Iterum, cum ad idolum Moabitarum, Baal Peor, deflexerunt Num.25.cap. Nam Bileam, cum non poſſet incantationibus ſuis obeſſe, dedit Moabitis ac regi ipſorum Balazo conſilium, ut ad ſcortationem ac libidines, & eâ occaſione ad idololatriam quoque populum Iſraël pellicerent Num.31.v.16. Apoc.2.v.14. Sed Deus ſeverè ultus eſt utramque defectionem illam Exod.32.v.27,28,35. iſtam Num.25.v.4. & ſeqq. & reſtaurata fuit vera doctrina & cultus ab ipſo Moſe. Sub cujus ſucceſſore Joſuâ populus conſtanter perſtitit in eodem cultu. Eandem etiam doctrinam audivit. Deum enim Unum ac verum, qui cum patribus fœdus inierat, & Moſi locutus erat, tot etiam miracula ipſis exhibuerat, paſſim eis Joſua proponit. Deſcriptiones Dei nobiliores hîc ſunt, Joſ.2.v.11. *Iehova, Deus veſter, eſt Deus in cœlis ſupra, & in terrâ infra.* Cap 3.v.10. *Deus fortis vivus, qui eſt in medio veſtri,* & v.13. *Iehova Dominus totius terræ.* Cap.24.v.19. *Deus ſanctiſſimus, Deus fortis Zelotes, non ferens iniquitates & peccata.* Pluralitas Perſonarum divinarum ibidem quoque docetur argumento gemino. I. illuſtri apparitione Cap.6. Vir, qui ex adverſo Joſuæ conſtitit, fuit princeps militiæ Jehovæ v.2,3. ſanctificans locum, ut Joſuæ calcei eſſent exuendi v.3. (non ſecus ac Moſi apparente Angelo in rubo Exod.3.cap.) qui etiam Jehova dicitur v.5. & dicit, Trado in manum tuam Jerichuntem, v.5. Diſtinguitur à Jehova ceu præfectus militiæ ejus, & tamen eſt Jehova: unde utriuſque ὁμουσία perſpicitur. II. phraſi myſticâ Cap.24.verſ.19. *Iehova Elohim Dii ſancti ſunt:* ſubſtantivo & abjectivo pluralibus: quomodo notantur plures perſonæ in unâ eſſentiâ divinâ. Hanc doctrinam poſtquam toto gubernationis ſuæ curriculo tradidiſſet Joſua, & à falſis Diis eorumque cultu ipſos eſſet dehortatus, ſolenni ſtipulatione obligavit, & inſtrumento deſuper conſignato confirmavit, iteratis eo fine ſub extremum vitæ ſuæ Comitiis Cap.23.v.7. & ſeq. item v.16.

Iſraëlitarum idololatria.

Sub Joſua viguit vera doctrina.

&

Digitized by Google

& cap.24.v.14,15,16. & v.22. & ſeqq. Non pauciora, aut minus illuſtria doctrinæ hujus firmamenta ex reliquorum Judicum hiſtoriâ peti poſſunt. Etenim paſſim verus Deus, qui Iſraëlis uſitatè dicitur, ut ſingularis ac unus numero proponitur, & ad ipſius ſolius fidem atque cultum populus Dei revocatur & obſtringitur. Sic autem deſcribitur, quod ſit *Deus majorum ipſorum, qui eduxit ipſos ex Ægypto* Jud. 2.v.12. *Iehova Deus Iſraëlis, qui ejecit Amoræum à facie populi ſui Iſraëlis* cap.11.v.25. *Iehova Deus fortis, omni notitiâ præditus, qui ſolus eſt ſanctus, præter quem non eſt alius; nulla rupes ut ipſe Deus noſter; qui morte afficit, & in vitam revocat; depauperat & ditat; deprimit, etiam extollit, &c.* 1 Sam.2.v.2,3,6,7,8. Tum etiam falſi Dii plures numero huic Uni vero Deo opponuntur, ac cultus eorum, tanquam idololatricus & impius damnatur. Jud.2, v.1,2,11,13,17. cap.3.v.7. cap.5.v.8. cap 6. v.10,30,31. cap.8.v.33. cap.9.v.27,46. cap.10.v.6,14,26. cap.16. v.23. cap.17.v.5,30.31. 1 Sam.7.v.2,3. Dii porrò Gentium, qui nominatim hîc recenſentur, ſunt: Aſtaroth. Baal Berith, Camoſch, & Dagon. *Aſtaroth* plurali numero memoratur Iud.2.v 13. cap.10. v.6. 1 Sam.7.v.2,3. ſcribitur etiam ſingulari *Aſtoreth*.1 Reg.11.v.5. & 33. Fuit Dea Zidoniorum, & idolum Veneris, quam Zidonii maximè coluerunt. Ideoque genere fœminino ἡ Ἀςάρτη appellatur LXX interpretibus. De eâ loquitur Cicero lib.3, de Naturâ Deorum, & Plautus in Mercatore. Figura ei forma mulieris ſpecioſiſſimæ; colebatur autem in lucis & delubris, & virgines meritoriæ proſtabant in honorem ipſius. Alii put nt fuiſſe ſimulachrum Jovis Hammonis, & quod ovis forma cultus ſit. Sed prius eſt probabilius. De *Baalim*, quod plurale eſt à Baal & Bel, ſupra dictum. Fuit idolum pluribus Gentibus commune: cujus tamen origo eſt à Babyloniis: teſte Hieronymo in Hoſ.cap.2. Diſtinctionis causâ quandóque additur nomen aliud: ut hîc *Baal-Berith* Jud.8 v.33. & cap.9.v.4,27,46. idolum Sichemitarum. Fœderis Deus, ſic dictus per κακοζηλίαν veri Dei, quod fœdere ad ſui cultum homines obſtrinxiſſet. Sic Jupiter ὅρκιος dictus Gentilibus, item Piſtius: de quibus agit Gyraldus in Syntagmate ſuo de Diis Gentilium. *Camoſch* Jud.11.v.26. quem Hieronymus in Eſa. cap.15. vult eſſe idolum Moabitarum, quod alio nomine dicitur Baal-Peor. Et quidem Num.21.v.29. 1 Reg.11. v.7. Jer.48.v.46. Moabitis tribuitur. Hîc autem Amonitarum Deus eſt. Unde colligitur fuiſſe idolum commune, ut Baal. Volunt autem dictum à Rabbinico כָּמַשׁ *palluit*: fortè quod pavorem incuteret cultoribus, ut territi expalleſcerent: quemadmodum Pallori & Pavori fana ſacrata fuiſſe refertur apud Livium lib. 1. *Dagon* Jud.16.v.23. 1 Sam.5.v.3,

Period. II. artic. I. Itemque ſub reliquis Judicibus.

Damnata idololatria.

Aſtaroth.

Baal Berith.

Camoſch.

Dagon.

 11. &

Digitized by Google

Period. II. artic. I. 11. & ſeqq. idolum fuit Philiſtæorum, de quo ex originationis diverſitate gemina ſententia obtinet. Alii enim à דָּג derivant, quod *piſcem* ſignificat. Hi volunt ſimulachrum ſic effictum fuiſſe; quemadmodum Syrenes & Tritones pinguntur, ut facie ac pube tenus referret mulierem formoſam, reliquâ corporis parte piſcem. Quomodo Dercete deſcribitur ab Ovidio lib. 4. Metamorph. & ab Horatio in arte poëticâ: *ut turpiter atrum Deſinat in piſcem mulier formoſa supernè.* Plinius lib. 5. cap. 13. Herodotus & Diodorus Siculis lib. 2. His eſt Deus marinus. Alii à דָּגָן deducunt, quod eſt *frumentum:* quia Dagon Deus frumenti fuerit, & aratri inventor: quaſi Deus frumentarius: Jupiter ἀρότριος Phœnicibus; vel Saturnus cum falce. Macrobius lib. 1. Saturnalium cap. 7. Euſebius lib. 1. de præparat. Euangel. Forma humana, quam ei tribuunt, colligitur ex 1 Sam 5. v. 3, 4. Sed prior ſententia melior: quam confirmat modo dictus v. 4. ubi præciſis capite & manibus ſimulachri, Dagon remanſiſſe dicitur, hoc eſt truncus, quâ piſcem referebat. De hoc idolo illud memorabile eſt in Sacra hiſtoriâ; quod Deum Iſraëlis Philiſtæi ipſi extollunt, & Deo ſuo majorem agnoſcunt, 1 Sam. 4. v. 8. licet de ipſo more gentili loquantur pluraliter. Præterea gloriam Deitatis ipſi ſoli tranſcribunt, idque

Trinitatis uberior patefactio. ex judicio Sacerdotum ſuorum cap. 6. v. 5, 6. Myſterium Sacroſanctæ Trinitatis, etſi ex libris Moſis & Joſuæ notum eſſet, novis tamen revelationibus patefactum fuit. Siquidem Filius Dei, ut Legatus Patris ad populum, ſpecie Angeli apparuit, tum Gideoni. & quidem repetitò: ſemel Iud. 6. v. 11, 14. cum ipſi vindicias populi à Midianitarum tyrannide demandaret: iterum cap. 7. v. 2. & ſeq. cum eidem modum rei gerendæ præſcriberet, & promiſſione felicis ſucceſſus animaret: tum parentibus Simſonis, cap. 13. v 3. & ſeqq. Etſi enim quidam Angelum creatum intelligunt, tamen circumſtantiæ omnes Increatum nobis exhibent, Nam ei tribuuntur nomina Dei, Iehova cap. 6. v. 12, 14, 26. Elohim cap. 13. v. 22. Manoach eo viſo ſe Deum vidiſſe profitetur. Dicitur *Peli* mirificus v. 18. quomodo Eſa. 9. v. 6. appellatur *Pele* mirabilis, qui ibidem Deus fortis vocatur. Tribuitur honos Dei cap. 6. v. 18. & ſeq. & cap. 13. v. 19. ſeq. ſacrificium enim Domino jubens offerri, ſemetipſum oſtendit illum, cui id oblatum eſſet, dum ignem miraculo excitavit, qui oblationem abſumſit. cap. 6, v. 21. (ut Deus fecit 1 Chron. 21. v. 26. & 1 Reg. 18. v. 38. Pſal. 20. v 4.) & dum in flammâ in cœlum adſcendit cap. 6. v. 21. & cap. 13. v. 20. ſumens ſacrificium de manu ipſorum v. 23. De Spiritu Sancto res non minus eſt manifeſta. Nam Spiritus Iehovæ Iudices induit fortitudine & robore,

Period. II. artic. I.

bore, excitavit heroicos motus, & ſucceſſus largitus eſt. Id narratur de Othniele Iud. 3. v. 10. de Gideone cap. 6. v. 34. de Iephta cap. 11. v. 13. de Simſone cap. 14. v. 1, 7, 20. & cap. 16. v. 20. De cæteris autem omnibus eſt intelligendum, quoties Deus dicitur eos excitaſſe; nempe per ſpiritum ſuum. Uterque verò, tam Angelus ille, quam Spiritus diſtinguitur à Iehovâ: adeoque tres ſunt: Iehova abſolutè, qui Pater: Angelus Iehovæ, ſingulari modo, qui Filius; quia hoc proprium ipſi munus, ut ſit Legatus Patris, Angelus fœderis Mal. 3. v. 1. Mediator non minus in V.T. ἄσαρκος, quam in N. ἔνσαρκος: unde licet Spiritus S. quoque mittatur à Patre, nuſpiam tamen Angelus Iehovæ apellatur: & denique Spiritus Iehovæ, qui Spiritus Sanctus, Spiritus Patris & Filii: & tamen hi tres ſunt unus Iehova Deus, qui omnibus aliis Diis opponitur. Sunt qui huc etiam referunt locum 1 Sam. 2. v. 36. *coram Uncto meo*, qui Chriſtus, verus Sacerdos & Rex in Eccleſiâ V.T. Sed rectius de Rege in populo Iſraëlis excitando intelligitur. Quod ſi etiam de Chriſto accipiatur, eſt probatio longius petita; ut ſit Pater Ungens, Filius Unctus, & Spiritus Sanctus ipſa Unctio Pſal. 45. v. 8.

Artic. II. Doctrina de Deo Vero tradita in libris Hiſtoricis.

Progredimur ad *Secundum Articulum*, quo de doctrina de Vero Deo longè copioſius explicata, & illuſtrius patefacta fuit. Documenta ejus duplici claſſe ſive ordine diſtinguemus, ut alia ex libris Hiſtoricis, alia ex Dogmaticis depromantur ac procedant. Prius ordinis teſtimonia continentur libris duobus Samuelis, & initio libri primi Regum, tum etiam libro primo Chronicorum, & principio ſecundi: & partim Unitatem Eſſentiæ divinæ, nec non proprietates ejus nobis deſcribunt, partim Perſonarum divinarum in eâ Trinitatem demonſtrant. Unum eſſe Verum Deum, non multos, prout Gentilibus perſuaſum, evincit collatio omnium locorum, quibus de Vero Deo ſermo eſt, cui non eſt par alius, imo præter quem non eſt alius Deus 2 Sam. 7. v. 22, nec alia rupes cap. 22. v. 32. 1 Chron. 17. v. 20. 2 Chron. 6. v. 4. & ſeqq. Et uni ipſi multi Dii, tanquam vana & fictitia numina, judiciis ipſius non minus quam aliæ creaturæ obnoxia, opponuntur, 1 Sam. 12. v. 22. & ſeqq. 1 Chron. 14. v. 12. cap. 16. v. 26. cap. 17. v. 21. Deſcriptiones verò Unius illius veri Dei variæ & inſignes ſubjiciuntur. Cujuſmodi ſunt 1 Sam. 15. v. 29. *Iehova, æternitas Iſraëlis, non mentitur, nec ullius eum pœnitet; quia non eſt homo ut pœniteat eum.* Cap. 17. v. 45. *Iehova exercituum, Deus acierum Iſraëlis.* 2 Sam. 7. v. 22, 23, 26, 27, 28. *Magnus eſt Iehova Deus, non eſt par ei, nec eſt Deus præter eum, qui redemit populum Iſraël, qui eſt Iehova exercituum, Deus exercituum Iſraëlis, cujus verba ſunt veritas.* 1 Sam. 22. v. 31. & ſeqq. *Deus fortis, cujus via eſt inte-*

 *gra,*

Perid. II. artic. II. *gra, ſermo purgatiſſimus, præter quem non eſt alius Deus, non alia rupes; qui eſt robur ſuorum* 1 Reg.8. v.23,27,32,39. *Iehova Deus Iſraëlis, cui nullus ſimilis eſt Deus, in cœlis ſupernè, aut in terrâ infernè; ſervans fœdus & benignitatem; quem cœli cœlorum non capiunt; qui damnat improbum & juſtificat juſtum; qui ſolus novit cor omnium filiorum hominis.* 1 Chron.16. v.25,26. *Magnus Iehova & laudandus valde, & reverendus ſuper omnes Deos; quia omnes Dii populorum ſunt idola; Iehova verò cælos fecit; Hic eſt Iehova Deus noſter, in totâ terrâ ſunt judicia ejus.* 1 Chron.29. v.10. & ſeqq. *Benedictus Iehova, Deus Iſraëlis Patris noſtri à ſeculo uſque in ſeculum: Tua eſt, ô Iehova, magnitudo, & potentia, & gloria, & æternitas, ac majeſtas; imò omnia in cælo & in terrâ: Tuum eſt Iehova regnum, ut qui extollis te ſuper omnia in caput.* v.12. *tu dominum habes in omnia, & in manu tuâ vis & potentia.* & v.17. *tu es ſcrutator cordis, & vis quæ recta ſunt.* v.18. *Iehova Deus Abrahami, Iſaaci, & Iſraëlis, patrum noſtrorum.* 2 Chron.4. & ſeqq. ubi recurrunt, quæ ex 1 Reg.8. recitata ſunt.

Trinitas Perſonarum. Trinitas Perſonarum divinarum quoque docetur & aſſeritur his ipſis libris. Siquidem 2 Sam.7. v.12. & ſeqq. 1 Chron.17. v.12. & ſeqq. cap.22. v.13. & cap.28. v.6. non tantum de Salomone, tanquam typo, ſed etiam de Chriſto, tanquam antitypo, ſermo eſt. Nam filio ex Davide orituro tribuitur Regnum æternum; quod non eſt nudæ creaturæ Luc.1. v.32. Ædificatio domus ſpiritualis quæ eſt Eccleſia Matth. 16. v.18. imò κατ' ἐξοχὴν vocatur Filius Dei, quod nomen, Apoſtoli teſtimonio Hebr.1. v.5. ne quidem Angelis, creaturarum excellentiſſimis eo ſenſu communicari poteſt. Proponuntur igitur duæ perſonæ, Pater qui genuit Filium; & Filius, qui genitus eſt à Patre. Tertia perſona ſimul comprehenditur phraſi myſticâ, ſed implicitè 2 Sam.7. v.23. *ad quam gentem redimendam iverint Elohim,* Deus plurali numero, hoc eſt, tres perſonæ Deitatis, quarum hoc opus. Explicitè autem alibi adjungitur; ut cum Spiritus Dei dicitur irruiſſe in Saulem 1 Sam.10. v.6,10. cap.11. v.6. in Davidem poſtquam receſſerat à Saule cap.16. v. 14, 15. in Amaſam 1 Chron.12. v.18. Hunc autem fuiſſe Spiritum Sanctum ex Pſal.51. v.13. manifeſtiſſimum eſt.

in libris Dogmaticis. Secundi ordinis teſtimonia libris Dogmaticis, prout vocantur, hoc eſt, Pſalmis Davidis, & Scriptis Salomonis Canonicis comprehenduntur. Quorum tanta eſt copia, ut vix numerus eorum iniri poſſit. Nos pauciſſimis contenti erimus.

Unitas Eſſentiæ. De Unitate Eſſentiæ divinæ iſta loquuntur: Pſal.86. v.10. & 8. *Tu Deus ſolus es; non eſt par tibi inter ullos Deos.* Pſal.89. v.9. *O Iehova, Deus exercituum, quis eſt par tibi robuſtus Iah?* quod repetitur ex Pſal.35. v.10. Sic Pſal.96. v.5. *Omnes Dii populorum ſunt idola; Iehova verò cælos fecit.* Pſal. 115. v.3. & ſeq. *Deus noſter in cælis eſt, quicquid voluit fecit. Terricula*

*gentium*

Digitized by Google

*gentium aurea & argentea ſunt opus manuum humanarum; os eſt eis, &c.* Sic Period. II.
Pſal.135. v.5. ſeq. *Ego novi magnum eſſe Iehovam, & Dominum noſtrum* artic. III.
*ſuperiorem omnibus Diis, &c.* & v.13. ſeq. ubi eadem verba recurrunt, quæ ex Pſal.115. adducta. Proprietates verò Dei repræſentantur hypotheſibus ac deſcriptionibus, quæ paſſim obviæ ſunt: Pſal.18.v.3.& ſeqq. uſque ad finem. Pſal.36. v.6,7,8,10. Pſal.86.v.5,8,10,15. Pſal. 103.v.3 & ſeqq. Pſal.105.v.7,8. & ſeqq. Pſal.111.v.2. & ſeqq. Pſal. 113.v.5,6. & ſeqq. Pſal.145.v.3,8,9. & ſeqq. Trinitas Perſonarum divinarum implicitè ſignificatur Pſal,149.v.2. *Lætetur Iſraël in facientibus ipſum*, hoc eſt, in tribus perſonis Deitatis, quæ ipſum crearunt Gen. 1. v.1,2,26. Sed explicitè diverſimode denotatur in Pſalmis & Proverbiis. In Pſalmis quidem, Pſalmo 2. diſtinctæ Perſonæ unius Eſſentiæ non ſemel nobis proponuntur, v 2. *conſultarunt contra Iehovam*, Deum Patrem, *& contra Unctum ejus*, Filium Meſſiam v.6. *Ego inunxi regem meum, ſuper Zion montem ſanctum meum:* ubi Rex Eccleſiæ univerſalis, qui verus Deus ex ratione officii ſui, diſtinguitur ab Ungente, ipſum & conſtituente Deo Patre. v.7. *Iehova*, ſcilicet Pater, *dixit mihi, Filius meus es tu, Ego hodie genui te*: ubi duæ perſonæ, Pater & Filius, etiam nominibus, & notis perſonalibus diſcriminantur. v.11,12. *Colite Iehovam &c. oſculamini Filium, ne iraſcatur, &c. Beati omnes qui confidunt in eo.* Non tantum Jehovæ Patri, ſed etiam Filio deferri jubetur cultus religioſus obedientiæ, & fiduciæ; tribuitur ei ira vindicatrix omnipotens; & fidentibus ipſi promittitur beatitudo æterna, quæ Dei donum eſt. Pſal. 33.v.6. *Verbo Iehovæ facti ſunt cœli, & Spiritu oris ejus omnis exercitus ipſorum.* Hîc tres ſunt Perſonæ: Iehova κατ' ἐξοχὴν dictus, Deus Pater; Verbum ſeu Sermo Iehovæ, Deus Filius, λόγος Patris οὐσιώδης; & Spiritus oris Iehovæ, Deus Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedens. Nonnulli quidem negant Trinitatis hîc inveniri notationem, partim quia ſynonymia in utroque verſus membro, more in libris Sacris, & maximè in Pſalmis uſitato; partim quia indicetur omnipotens mandatum, ut v.9. Sed explicatio petenda eſt ex hiſtoriâ Creationis Gen. 1. & Ioh. 1. ubi Iehova, Verbum, & Spiritus Dei diſtinguuntur, quæ diſtinctio hîc quoque admittenda eſt. Pſal.45.v,7,8. *Solium tuum, ô Deus, eſt in ſeculum & ſempiternum, ſceptrum rectum eſt ſceptrum regni tui, Dilexiſti juſtitiam & odio habuiſti iniquitatem, propterea unxit te, ô Deus, Deus tuus oleo lætitiæ ſupra conſortes tuos.* Deus tuus eſt Deus Pater, quem Chriſtus ipſe Deum ſuum dicit Ioh.20.v.17. & hic eſt Deus ungens. O Deus, hoc eſt, Deus filius, qui a hic ungitur; hinc Meſſias & Chriſtus κατ' ἐξοχὴν appellatur: Eidem tribuitur Solium æternum; unde Chriſti Deitas probatur hoc dicto ab Apoſtolo Heb.1 v.8,9. Oleum lætitiæ eſt Spiritus Sanctus per

Trinitas Perſonarum.

Period. II. Artic. II. metaphoram, quia illo tanquam oleo Chriſtus unctus eſt Eſa.61,v.1. Joh.3.v 34. Pſal.110.v.1,2. *Dixit Iehova Domino meo, Sede ad dexteram meam, &c. Scipionem robuſtum tuum, &c.* Ubi Iehova, Deus Pater, dixit Domino: hoc eſt, Filio: qui Adam quidem hîc dicitur, non Adonai; quia pronomen addendum fuit; infra tamen v.5. Adonai vocatur, & non niſi divina ἀποτελέσματα ei tribuuntur. Chriſtus etiam Marc.14 v.62. & Luc.22.v.69. ex Seſſione ad dexteram Dei, quæ heic Meſſiæ promittitur, ſe Filium Dei eſſe probat. Spiritus Sanctus etiam deſignatur: quia v.2. Scipionem robuſtum emittit Zione, hoc eſt prædicationem Euangelii cum efficaciâ Spiritus S. effundendi ſuper Apoſtolos Actor.2.cap. Eſa.2.v.3. In Proverbiis autem: Cap.8. v.22.&ſeqq. ubi Iehova rurſus eſt Deus Pater: Sapientia ſcilicet Dei eſſentialis, hoc eſt Deus Filius, qui λόγος Ioh.1.v.1. quia dicitur genita v.24. filii enim gignuntur à Patribus: etſi hîc καταχρηστικῶς, quia חוֹלָלְתִּי *parere* eſt à חוּל *dolere:* quia pariunt mulieres cum dolore. Deſcribitur autem I. æternitate v.22,23. quæ incommunicabilis Dei proprietas. II. ab opere gubernationis v.14,15. quod Dei ſolus proprium. III. ab amore Patris v.30. cujus εὐδοκία in ſolo Filio Col.1.v.13. Nonnulli huc quoque referunt Cap 30. v.4. *Quis adſcendit cælos & deſcendit? quis collegit ventum pugillis ſuis? quis ligavit aquas ſuo pallio? quis ſtabilivit ullos fines terræ? quod eſt nomen ejus, & quod eſt nomen filii ejus? ſi noſti.* Ergo Pater & Filius hîc indicatur, qui non niſi ex ipſorummet revelatione cognoſcuntur, Matth.16.v.17. cap.11. v.27. Sic Filium deſignatum putant v.1. nominibus *Ithiel* & *Ucal:* quorum illud notat *Mecum Deus*, iſtud *Prævalebo.* Sed res non ita evidens; quapropter alii aliter declarant; ut ſit ſermo Agur ad diſcipulos, Ithiel & Ucal dictos; qui negat quemquam hominum in cœlum adſcendiſſe, atque inde rediiſſe, ut ea hominibus declaret. Cæterum inclinatio Eccleſiæ & corruptela doctrinæ facta eſt ſub Salomone ſene; quam etiam ſuccedanea reſipiſcentia tollere nequivit. Ideoque *Tertio*

Artic. III. *Articulo* ſecundæ hujus Periodi, diviſo jam Regno in duo, Iſraëlis & Iudæ, doctrina de Deo magis etiam obſcurata & depravata eſt. Ut de Regno Iſraëlis, quod brevioris temporis fuit, oſtendam primo loco. Etenim Ieroboam primus rex Iſraëlis, *duos Vitulos aureos* erexit in Dan & Bethel, tanquam ſymbola veri Dei, qui illuſtri miraculo educationis populi ex Ægypto notus erat Iſraëlitis 1 Reg.12.v.28.& ſeqq. Dubio procul imitatione Ægyptiorum, (ubi Mnevis & Apis in vitulis colebantur) quos inter ipſe diu exul vixerat: ut ante Iſraëlitæ Exod. 32. uſque adeo, ut ſint, qui tempus feſti à Ieroboamo inſtituti, cum feſto Apis congruere oſtendant. Longius autem prolapſus eſt ab hâc

Corruptela doctrinæ de Deo in regno Iſraëlis. Idololatria duorum vitulorum.

impie-

Digitized by Google

impietate Rex Achab, qui impiæ uxoris Jeſabelis inſtigatu *Baalem* Zidoniorum loco veri Dei Iſraëlis in regnum ſuum invexit, & ei ſacrorum ſedes & adminiſtros conſtituit. De quo idolo jam ſupra aliquoties dictum 1 Reg. 16. v. 23. Filius ipſius Achazias, etſi idem idolum retineret, tamen morbo gravi affectus ex lapſu, conſultum miſit Ekronem, ad Baalzebub de ſanitate ſua 2 Reg. 1. v. 3, 4. *Baalzebub* eſt Dominus vel Deus muſca, ſive muſcæ. unde μυῖαν appellant Ioſephus & LXX interpretes. Iudæi, & horum judicium ſecutus Scaliger in Euſebianis, putant joculari vocabulo ſic dictum pro Baal Zebachim, Dominus victimarum, immolationum, Baal Zebub Dominum muſcæ: quod cum muſcæ in templo Hieroſolymitano carnes victimarum non liguriebant, fana gentium à muſcis infeſtarentur, propter nidorem victimarum. Sed veroſimilius ab ipſis Ekronitis ſic dictum; quia hoc nomine cum reverentiâ ab ipſo Ahazia inſignitur, quando eò ſciſcitatum mittit de ſanitate. Quin Græci inprimis Arcades quotannis, & Elei Olympico certamine τὸν Μυίαγρον & Ἀπόμυιον Iovem ſacrificio venerabantur; quem Myiodem vocat Plinius lib. 29. cap. 6. Ratio nominis eſt, aut quod formâ muſcæ appareret, & reſponſa interrogantibus daret; aut quod muſcas aliaque inſecta abigeret: poſterius à Plinio confimari videtur lib. 10. cap. 28. ubi de Eleis loquitur. In N. T. pro Beelzebub legitur Beelzebul, hoc eſt, Dominus ſtercoris ſeu ſtercoreus, qui princeps dæmoniorum, Matth. 12. v. 24. & alibi. Qui præterea Dii fuerint Iſraëlitarum, ex 2 Reg. 17. v. 16, 17. patet: ubi præter Vitulos & Baalem memorantur *Exercitus cœlorum*, ſcilicet viſibilium, Sol, Luna, Sydera, exemplo aliorum Gentium. *Moloch*, etiam Ammonitarum, quia filios & filias per ignem traduxerunt, qui Molochi cultus fuit. Et Amoſ. 5. v. 26. iſta confirmantur. Nam *Milcom* cujus tabernaculum portaſſe dicuntur, eſt Moloch, ut redditur Act. 7 v. 43. *Cijun* verò, pro quo Stephanus ex LXX dicit Remphan, Hebræi putant eſſe Saturnum, ſupremum planetarum, qui Arabibus & Perſis appellatur Kevan; unde levi immutatione Rephan & Remphan confectum. Eſt autem Synecdoche ſpeciei, omniumque ſyderum cultus hoc uno comprehenditur. Sed Deus non deſtitit pro immensâ miſericordiâ ſuâ, etiam apoſtatico illi regno ſubmittere Prophetas, qui reſtaurarent veram de Vero Deo Doctrinam. In his primo loco nobis memorandus Elias Thiſbites, qui illuſtri populi conventu in monte Carmelo, præſente etiam Rege Achabo, verbo & miraculis aſſeruit, tum verum Deum eſſe Deum Abrahami, Iſaaci, & Iſraëlis 1 Reg 18. v. 36, 37. tum eſſe etiam ſolum Jehovam, præter quem non ſit alius Deus, v. 21, 24. qui ſit Iehova Deus exercituum cap. 19. v. 10.

[Margin: Period. II. art. c. III. Baalis. — Baalzebub. — Exercitus cœlorum. — Moloch. — Cijun. — Prophetæ veræ doctrinæ vindicias egerunt.]

Eundem

Digitized by Google

Period. II. artic. III.

Eundem Deum inſigni hypotypoſi repræſentavit Michas 1 Reg. 22. v. 19. & ſeqq. ceu moderatorem rerum omnium, & cujus imperio etiam immundi & mendaces ſpiritus ſubſint. Eliſæus quoque, ſucceſſor Eliæ, hunc unum Deum prædicavit, & fidem ejus ſtupendis miraculis confirmavit, 2 Reg. 2. & ſeqq. capp. At non minus evidens eſt doctrina de Deo in ſcriptis Prophetarum quorundam Minorum, qui docuerunt in Iſraële, & quorum conciones deſcriptæ habentur: ut ſunt Hoſeas, Amos, & Nahum. Etenim paſſim Deum proponunt ut unum numero, eumque omnibus gentium idolis opponunt. Hoſ. 2. v. 12, 13. & ſeqq. Cap. 4. v. 12. Cap. 9. v. 1. & Cap. 11. v. 2. Addunt inſuper illuſtres deſcriptiones Dei, petitas à proprietatibus ipſius & operibus. Hoſ. 2. v. 19, 20. *præditus juſtitia, judicio, benignitate, miſericordiâ, fide.* Cap. 11. v. 9, 10. *ubi miſericors, pœnitens mali, Deus fortis, ſanctus.* Amoſ. 5. verſ. 8, 9. *Opifex Pleiadum & Orionis, qui mutat in matutinum denſiſſimam umbram, & diem nocte obtenebrat; advocat aquas maris, & effundit eas in ſuperficiem terræ, Iehova nomine.* Sic Cap. 9. v. 5, 6. *Dominus Iehova exercituum, qui tangit terram, & diſſolvitur, &c.* Sed inprimis illuſtris eſt deſcriptio Nahum. 1. v. 2, 3. ſeqq. quâ Deus fortis, robuſtus, vindex acerrimus contra impios, & benigniſſimus piorum defenſor, ad Eccleſiæ ſolatium depingitur.

Trinitas perſonarum ab iiſdem aſſerta.

Myſterium Trinitatis non illuſtratur quidem ab hiſce prophetis novâ revelatione: attamen Pater & Filius, ut duæ perſonæ ὁμοούσιοι & tamen diſtinctæ, introducuntur. Loca pauca fidem ejus firmabunt. Hoſ. 1. v. 7. *Domus Iudæ* (inquit Jehova v. 4, 6.) *miſerebor, ſervaboque eos per Iehovam Deum ipſorum.* Hic Jehovæ Pater, & Jehova Filius ſervator: cum tamen unus tantum ſit Iehova eſſentiæ reſpectu. Cap. 3. v. 5. *Quærent Iehovam Deum ſuum, & Davidem regem ſuum.* Hic diſtinguitur Iehova à Servatore Davide, qui idem ille Iehova Filius Dei. Cap. 11. v. 1. *Ex Ægypto vocavi Filium meum.* Filius iſte typice eſt Iſraël Exod. 4. verſ. 22, 23. myſtice autem Chriſtus Matth. 2. v. 15. Filius Dei proprius, unigenitus; alius à Patre vocante, & tamen ejuſdem cum Patre eſſentiæ. Cap. 12. v. 4, 5. ubi Deus dicitur Angelus, quo cum Iacob ex Meſopotamiâ redux luctatus eſt; nempe Deus Filius, à Patre diſtinctus, ut ex Gen. 32. oſtenſum.

Gentibus vera de Deo doctrina tradita.

Ionas, qui σύγχρονος fuit Prophetis illis, & in Iſraële docuit, ad exteros Ninevitas eandem doctrinam protulit, velut in præludium futuræ Gentium vocationis. Siquidem prædicavit eis illum Unum ac verum Deum, populo Iſraël peculiariter patefactum, qui ſit *Deus fortis, gratioſus, miſericors, & amplus benignitate, & pœnitens mali, apud quem eſt omnimoda ſalus,* cap. 2. v. 9. & cap. 4. v. 2. & ita crediderunt de ipſo Ninevitæ: cap. 3. v. 6, 9, 10. Sed hæc fides paulo poſt evanuit; ut ex Nahumo

humo colligitur. Inter pios autem Iſraëlitas perduravit. Nam deſtructo regno Iſraëlitico per Salmanaſſarem, & abductis diſperſiſque Iſraëlitis, pii exules hanc ipſam doctrinam conſervarunt & profeſſi ſunt. Exemplo & unus multorum inſtar eſt Tobias, & familia ipſius & agnatorum, qui crediderunt de Deo, quæ libris Moſis & Prophetarum continentur. Orationes ſunt totidem probationes, quæ leguntur Tob. 3. v. 2. & ſeqq. item v. 14. & ſeqq. cap. 8. v. 5. & ſeqq. & v. 14, 15. & Cap. 13. v. 2. & ſeqq.

Period. II. artic. III. Exules Iſraëlitarum pii in vera doctrina perſtiterunt.

In locum Iſraëlitarum quæ ductæ in Samariam coloniæ 2 Reg. 17. v. 24. memorantur: nempe Babylonii, Cuthæi, Havæi, Chamathæi, & Sepharvæi. Hi primò Gentium ſuarum idola invexerunt v. 30, 31. Babylonii Succoth Benoth, Cuthæi Nergal, Chamathæi Aſchima, Havæi Nibchaz & Tartak, Sepharvæi Adramelech & Hanammelech. Hæc omnia Aſſyriorum numina appellant Sacræ literæ Ezech. 23. v. 7. De interpretatione non ſatis convenit: licet conſentiant non unum ſed multos habuiſſe Deos: quos quidem ipſi fecerunt, ut textus loquitur. *Succoth Benoth* Judæi volunt fuiſſe imaginem Gallinæ cum pullis. Rectius Beda, tabernaculum idoli Benoth, id eſt, Mylittæ Babyloniæ, ſive Veneris Uraniæ, ad quam proſtabant virgines corollis revinctæ & corpus proſtituebant, ut teſtantur Herodotus lib. 1. & Strabo lib. 6. *Nergal* erat ſacer ignis perennis, qui in ſeptis à Cuthæis religioſiſſime ſervabatur, exemplo Perſarum: nam Chuthæi à Chutho Perſidis fluvio & regione denominantur. *Aſchima* Judæi Hircum fuiſſe ferunt, *Nibchaz* canem, *Tartak* aſinum, *Adramelech* mulum, *Anammelech* equum. Joſephus lib. 9. c. 14. teſtatur fuiſſe totidem numina. LXX. omnes enumerant genere fœminino, & articulum τὴν cuilibet præponunt, quia εἰκόνα ſubintelligunt, ſive horum omnium imagines. Sic igitur Gentilium ſuperſtitio in loca iſta illata. Sed cum infeſtarentur propter hunc cultum à leonibus, coacti metu graviorum pœnarum, etiam Jehovam colendum adſciverunt, & cum Diis ſuis copularunt; contra quam faciendum docuerunt. Joſua cap. 24. Elias 1 Reg. 18. & poſtea Apoſtolus 2 Cor. 6. Et hæc religionis Gentilis & Iſraëliticæ permixtio Samaritaniſmus nuncupari ſuevit.

Samaritanorum idola. Succoth Benoth. Nergal. Aſchima &c. Sociata cultui veri Dei.

In Regno Iudæ ſemina corruptelarum doctrinæ de Uno Vero Deo & recto ejus cultu à ſene ac deliro Salomone ſemel ſparſa, nunquã planè exſcindi potuerunt, ſed ſubinde repullularunt ſub ejus Succeſſoribus; ad ſummum autem excreverunt ſub Regibus infamibus impietate & idololatriâ, Ahaziâ, Achazo, Manaſſe, Ammone, & degenere Joſiæ poſteritate. Qui fuerint Dii ipſorum, quorum cultus publicè exercebatur, non uno loco memorat ſacra hiſtoria. Salomon admiſit *Aſtaroth* Deam Zidoniorum, *Milcom* ſive Moloch, Deum Ammonitarũ, & *Camoſch* Moabitarum, 1 Reg. 11. 5, 7. 33. quæ idola non prorſus abolita fuiſſe ſub Roboamo, ex

In regno Judæ quæ idola ſubinde culta.

Period. II. artic. III.

1 Reg. 14. v. 22, 23. colligitur: Sub Abiâ uxor ipſius Mahacha conſtituit idolum *Miphletzeth*, quod filius Aſa poſtea deſtruxit, cap. 15. v. 13. Hieronymus Priapum, Pagninus idolum in luco, alii horrendam ſtatuam reddunt: nam פָּלַץ à quo deſcendit, *contremiſcere* ſignificat: quod horrorem cultoribus incuteret. Convenientiſſima eſt eorum interpretatio, qui Priapum deſignari exiſtimant, aut Phallum & Ityphallum Gentilium, terribile membrum ejus. Ei σύμβωμος erat Venus. Liranus vult Maacham fuiſſe Antiſtitam Sacrorum, quæ Priapo celebrabantur, & præfuiſſe fœminarum συνόδῳ ſive ſodalitio, quæ ipſum colebant. Porrò ſucceſſu temporis plures etiam Dii cumulati fuerunt. Ahazia gener Achabi, maritus Attaliæ, *Baalimos* adjunxit 2 Reg. 11. v. 18. Achaz addidit ſacra Damaſcenorum, ſive *Deos Syrorum* 2 Reg. 16. v. 20. 2 Chron. 28. v. 2, 3 Manaſſes omnes ſupergreſſus impietate præter alia etiam totum *Exercitum cælorum* veneratus eſt, inprimis Solem, Lunam, ac planetas 2 Reg. 21. v. 3, 5. Sic fuerunt equi & currus Solis cap. 23. v. 11. qui religionis ergò, peculiariter ei dicati erant: ut alia innumera taceam. Semper tamen inter has corruptelas manſit in Juda, tanquam ſede Eccleſiæ, vera de vero Deo doctrina, quæ reſtaurata & propagata eſt miniſterio non tantum Prophetarum: ſed etiam piorum quorundam Regum, Aſæ, Joſaphati, Hizkiæ, & Joſiæ. Summa doctrinæ ex libris Regum & Chronicorum, inprimis autem ex Prophetis Eſaiâ & Ieremiâ, tum etiam ex Ioële, Obadia, Michâ, Habacuco & Zephaniâ petenda eſt. Etenim conſtanter magnoque conſenſu docuerunt, Jehovam verum Deum unum tantum eſſe, præter quem non ſit alius, & cui nec par, nec ſimilis ſit alius: Deos verò Gentilium ac eorum ſimulachra ipſâ vanitate vaniora, ac ſumme deteſtabilia eſſe. In quam ſententiam dicta è multis pauca adferam, id teſtificantia. Eſai. 40. v. 12. & ſeqq. inprimis v. 17. *Qui aſſimilabitis Deum fortem, & quam ſimilitudinem comparabitis ei?* & v. 15. *Cui aſſimilaretis me ut æqualis eſſem? inquit Sanctus.* Cap. 43. v. 11. & ſeqq. *Ego ego ſum Iehova, & nullus eſt præter me ſervator. Ego indico, & ſervo, & prænuncio, non autem ullus in vobis alienus Deus, &c.* Cap. 44 v. 6, 8. *Iehova rex Iſraëlis, & vindex ejus, Iehova exercituum, ego primus & ego ultimus, & præter me nullus eſt Deus: an eſt Deus præter me? utique nulla rupes, nullam novi.* Cap. 45. v. 5, 6. *Ego Iehova & nullus præterea, præter me nullus eſt Deus; accingo te, quamvis ignores me; ut cognoſcant Gentes ab ortu Solis & ab occaſu ejus nullum eſſe præter me, me Iehovam eſſe, & nullum præterea.* Sic v. 14, 18, 21, 22. Cap. 46. v. 5, 6, 9. *cui aſſimilaretis me & æquaretis, aut compararetis me, ut ſimiles eſſemus? &c.* Jerem. 10. v. 6, 7. *Nullus eſt par tibi ô Iehova, maximus es, & maximum nomen tuum potentia,*

Vera doctrina conſervata de Dei eſſentiâ.

Digitized by Google

*tentia*, *&c.* v. 10 & ſeqq. Sic Joël. 2. v. 27. Mich. 1. v. 7. & ſeqq. Period. II. artic. III.
Habak. 2. v. 18, 19, 20. Jam qualis ſit unus ille Deus, inſignibus & maximè emphaticis deſcriptionibus atque etiam hypotypoſibus declarant: quarum aliquæ ſaltem proponendæ ſunt. 2 Reg. 19. v. 15. *Iehova Deus Iſraëlis, inſidens Cherubinis, tu es Deus ſolus omnibus regnis terræ, tu feciſti cœlum & terram.* v. 16. *es Deus vivens.* v. 18. *Dii autem gentium, non Dii, ſed opus manuum hominis, lignum aut lapis.* 2 Chron. 20. v. 6, 7. *Iehova Deus majorum noſtrorum, tu es Deus in cœlis, & Dominus in omnia regna gentium: in manu tuâ eſt vis & potentia, ac nemo tibi poteſt obſiſtere. &c.* Eſai. 40. v. 28, 29. *Iehova eſt æternus, creator extremitatum terræ, non defetiſcitur, neque defatigatur, cujus prudentia nulla eſt perveſtigatio, &c.* Cap. 42. v. 5. *Iehova Deus ille fortis, creator cœlorum, & qui extendit illos, qui expandit terram & res prognatas ex eâ; qui indit animam populo agenti in eâ, & ſpiritum ambulantibus in eâ.* verſ. 8. *Ego ſum Iehova, illud eſt nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus.* Cap. 43. v. 10, 11, 12, 13. & cap. 44. v. 19, 20. Cap. 46. verſ. 9, 10. *Ego ſum Deus fortis, & nullus præter me eſt Deus, nemo par mihi; indicans à principio finem, & ab antiquitate, quæ nondum facta ſunt: dicens, Conſilium meum ſtabit, & omnem delectationem meam facturus ſum.* Jerem. 10. v. 10, 12. *Iehova, Deus verus, Deus vivens, & rex ſempiternus, à cujus fervore commovetur terra, nec ſuſtinere poſſent gentes indignationem ejus: qui fecit terram virtute ſuâ, ſtabiliit orbem habitabilem ſapientiâ ſuâ & prudentiâ ſuâ extendit cælos.* v. 11. *Dii* autem *iſti qui non fecerunt cœlum & terram perituri ſunt de terrâ.* Cap. 32. v. 17, 18, 19. *Domine Iehova, tu feciſti cœlos & terram, virtute tuâ maximâ & brachio tuo extenſo, non poteſt tibi occultari ulla res. Exerces benignitatem in milleſimos, & rependis iniquitatem Patrum in ſinum filiorum; Deus ille fortis, maximus, potentiſſimus, cujus nomen eſt Iehova exercituum: magnus conſilio & amplus actione: oculi tui aperti ſpectant in omnes vias hominum, ut des cuique ſecundum vias ſuas.* Joël. 2. verſ. 13. *Iehova Deus gratioſus, miſericors, longanimis, multus benignitate, quem pœnitet mali, & præter quem nullus eſt amplius.* Mich. 7. v. 18, 20. *Quis eſt Deus fortis par tibi? condonans iniquitatem, præteriens defectionem, præſtans fidem.* Habak. 1. verſ. 12, 13. *Nonne tu ab æterno es Iehova Deus meus, ſanctus meus? purior es oculis, quam ut adſpicias malum.* Ex quibus Dei natura, proprietates, & erga nos operationes clariſſimè perſpiciuntur. Reſtat Myſterium Sacroſanctæ Trinitatis, quod hôc articulo non modo repetitum, ſed etiam luculentius eſt revelatum. Et quidem nonnullis locis tres perſonæ Deitatis conjunguntur, nonnullis rurſum Deitas Filii & Spiritus Sancti ſigillatim confirmatur. Primi generis loca præcipua ſunt, Eſai. 6. v. 3. & ſeqq. ubi Deo glorioſiſſimè

de Trinitate Perſonarum.



Digitized by Google

Period. II. artic. III. majeſtatem ſuam patefaciente, plures tamen eſſe ſignificantur verſ. 8. Jehova ait, *Quem miſſurus ſum, & quis iturus eſt Nobis?* hoc eſt, tribus Elohim, ſive perſonis Trinitatis: quæ conſultatio cum ὁμουσίοις ejuſdem eſſentiæ conſortibus inſtituitur, ut Geneſ. 1. v. 26. cap. 3. v. 22. cap. 11. v. 7. Probatur porrò probabiliter ex v. 3. ubi τεισάγιον, quod Seraphim acclamant, יהוה צבאות קדוש קדוש *Sanctus Sanctus Sanctus Iehova Zebaoth*: nam etſi grammatice, & rhetoricè ſummum gradum notat, ſive ſuperlativum perfectionis, quaſi dicatur ἁγιώτατος ſanctiſſimus; myſticè tamen tergemina repetitio tres deſignat Perſonas. At apodicticè confirmatur ex N. T. ubi hæc viſio etiam de Filio Ioh. 12. v. 40, 41. & de Spiritu Sancto Act. 28 v. 26. explicatur. Eſai. 63. v. 7. & ſeqq. qui eſt illuſtriſſimus totius Vet. T. quoad diſtinctam trium Perſonarum enumerationem, non uno modo confirmatam. Primò enim diſtinguuntur nominibus. Pater dicitur *Iehova* verſ. 7. quia expers originis. Filius dicitur *Angelus faciei* v. 9, tum quia eſt imago Dei eſſentialis Coloſſ. 1. v. 15. Ioh. 14 v. 9. tum quia apparet coram facie Patris pro nobis Hebr. 9. verſ. 24. Eſt idem qui Exod. 23. verſ. 20. appellatur Angelus Domini, in cujus medio eſt nomen Domini; Mediator Chriſtus etiam in V. T. Spiritus Sanctus dicitur *Spiritus ſanctitatis* v. 10, 11. nomine ipſi proprio in utroque Teſtamento. Deinde diſtinguuntur operibus, quæ unicuique tribuuntur propria. Jehovæ miſeratio & beneficentia erga populum; Angelo faciei redemtio populi ejuſque portatio: Spiritui ſanctitatis indignatio contra populum rebellem & juſta pœna. Denique relationibus à ſe invicem diſtinguuntur, quæ ſignificantur pronomine *Ejus*: *Angelus faciei ejus*, hoc eſt, Jehovæ Patris: *Spiritus ſanctitatis ejus*, tam Filii, quam Patris. Ergò Angelus faciei, Spiritus ſanctitatis, & Jehova, ſunt tres diverſæ Perſonæ. Secundi generis loca ſunt. Pro Deitate Chriſti Filii Dei: quia eſt *Immanuel* nobiſcum Deus Eſai. 7. v. 14. & cap. 8. v. 10. *Admirabilis, Deus fortis, robuſtus, Pater æternitatis* cap. 9. v. 67. *Deus noſter, qui ulciſcitur hoſtes ſuos, & ſervat populum* cap. 35. v. 4. *Iehova, cui via paratur, Dominus Iehova, qui prædicatur, & venit contra robuſtum* cap. 40. v. 3, 9, 10. præditus divinis proprietatibus, nempe facultate *prædicandi futura ac benefaciendi* cap. 41. verſ. 27. *cui flectetur omne genu, & jurabit omnis lingua* cap. 45. v. 23. *qui ut æternus Iehova oritur ſuper populum ſuum* cap. 60. v. 1, 2, 19, 20. eſt *Iehova juſtitia noſtra* Jerem. 23. v. 5, 6. cap. 33. v. 15, 16. *cujus exortus eſt à principio ſeculi* Mich. 5. v. 1. & regnum ejus *regnum Iehovæ* vocatur Obad. v. 21. Pro Deitate Spiritus Sancti: quia eſt Spiritus Jehovæ, ſpiritus ſapientiæ & intelligentiæ, ſpiritus conſilii & roboris, ſpiritus cognitionis & reverentiæ Jehovæ Eſa. 11. v. 2, 3. quæ chariſmata divina;

Digitized by Google

*Period. II. artic. III.*

vina; mittit prophetas & alios Eccleſiæ Doctores cap. 48. v. 16. & idoneos miniſterio efficit cap. 61. v. 1, 2. Verbo efficaciam largitur cap. 59. v. 21. denique totam Eccleſiam donis ſuis replet Joël. 2. v. 28. & ſeqq. Sic habuit doctrina de Deo in populo Juda & Iſraël toto Periodi ſecundæ per ſuos articulos decurſu. Interea in Gentibus notitiæ de Deo creatore cœli & terræ, impreſſæ mentibus & poſt lapſum reliquæ, non tantum obſcuratæ, ſed etiam depravatæ novis commentis paulatim evanuerunt. De Chaldæis & Ægyptiis ſupra diximus. Ab his Theologiam ſuam Græci, à Græcis porrò Romani acceperunt. *Græci*, ingenioſum ſed vanum & fabuloſum hominum genus, hîc plurimùm ſibi indulſerunt. Initio communes cum aliis Gentibus Deos habuerunt, & coluerunt, Corpora cœleſtia, Solem, Lunam, & ſydera: quod perpetuo motu agitari, & influxu inferiora hæc variè afficere cernerent: à quâ celeritate Deos, quaſi à *θέειν* vel *θεῖν currere* appellatos, teſtis eſt Plato in Cratylo. Quam ſententiam etiam Homerus approbat, cum Solem omnia videre, omniaque audire inquit, lib. 3. Iliados: quod eſt, ut ait Plato lib. 2. de legibus, ſolius Dei munus. Poſt alios etiam Deos ab Ægyptiis mutuati ſunt, & quæ ad eorum ſacra pertinebant, Herodotus lib. 1. Diodorus Siculus lib. 4. Sed qui antiquiſſimi cenſeantur, audiamus. Apud Homerum lib. 3. Iliados memorantur: Jupiter ex Idâ genitus, Sol, Flumina, Tellus, & Inferi caſtigantes crimina mortalium. Herodotus in Clio ſive lib. 1. recenſet Jovem, Solem, Lunam, Tellurem, Ignem, Aquam, & Ventos, quibus in verticibus montium ſacra fiebant. Iſti primi fuerunt & Priſci Græcorum Dii. Quibus ex genere Mortalium Innumeros, rebus præclarè geſtis inclytos, adjunxerunt. Quales fuerunt Veteres Græciæ Heroës, Poëtis & Hiſtoricis celebrati. Horum verò cum varia etiam crimina, adulteria, furta, latrocinia, raptus nota eſſent, eadem tranſtulerunt ad Deos, tanquam res talibus Diis convenientes. Unde Dii adulteri, fures, latrones, raptores, ebrioſi, multò impuriores brutis Ægyptiorum nati. Utroſque denique ita inter ſe confuderunt, terreſtres cum cœleſtibus, præterea Sacra ipſorum tam altè fabularum involucris implicarunt, cum liceret omnibus, quicquid libuiſſet de Diis confingere, ut nec certus eorum numerus definiri, nec ratio ſingulorum indagari aut explicari potuerit. Id vel nomina humana aſtris tributa confirmant. Scripſerunt de iis Orpheus, Muſæus, Mercurius, Linus, antiquiſſimi Poëtæ, quorum fragmenta tantum ſuperſunt, Heſiodus fabuloſos Deorum ortus carminibus cecinit in Theogoniâ ſuâ; ſicut Homerus non pauca de iis habet in Iliade & Odyſſeâ, Zeno, Cleanthes, Chryſippus, ut ait Cicero in 3. lib. de Naturâ Deorum, fabularum antiquarum de

*Doctrina de Deo corruptiſſima inter Gentes.*

*Græcorum Dii.*

Period. II. V. T. eorum diviſio.

Diis expoſitiones voluminibus ſuis complexi erant: quæ ad nos non pervenerunt. Univerſi diſtingui poſſunt in ordines quatuor: Cœleſtes, Terreſtres, Aquaticos, & Inferos: neque præter hos alios Deos eſſe creditum eſt. Cujus diviſionis ratio ex providentiâ divinâ, ejuſque variâ operatione exſtructa eſt: ut infra dicetur. *Cœleſtes* erant: Ζεὺς Iupiter, pater ille hominum ac Deorum: Κρόνος Saturnus, Oceani & Thetyos filius, ut ſcribit Plato in Timæo: Οὐρανὸς Cœlum, è Terrâ natum, ut vult Heſiodus; vel ut alii Græci, teſte Cicerone lib. 3. de Natur. Deorum, Ætheris & Diei filius. Ἥρης Iuno, Saturno genita. Ἥφαιστος Vulcanus, Iunonis filius, ut eſt apud Heſiodum in Theogoniâ, &c. *Terreſtres:* Γαῖα Tellus, poſt Chaos, incertis parentibus edita; Heſiodus. Διόνυσος Bacchus, filius Semeles ex Iove; ut cenſet Orpheus in hymnis. Δήμητρα Ceres, Saturni & Opis filia; Heſiodus, &c. *Aquatici:* Ὠκεανὸς Oceanus, Cœli & Veſtæ ſive Terræ filius; Heſiodus. Θέτις Thetis, quæ uxor Oceani: Heſiodus. Τρίτων Triton, Deus marinus, Neptuni & Amphitrites filius; Heſiodus. *Inferi:* Πλούτων Pluto, Ope & Saturno genitus. Μοῖραι Parcæ, Iovis & Themidis filiæ numero tres, Clotho, Lacheſis, & Atropos, perpetuò inter ſe concordes; Heſiodus. Μινὼς Minos, Iovis & Europæ filius; Heſiodus. & Ῥαδάμανθος Rhadamantus, &c. Atque ad haſce claſſes cæteri Dii penè innumerabiles revocari poſſunt. Athenienſes verò, ne quem prætermitterent in ordine Deorum ſibi incognito, pro inſigni ſuperſtitione ſuâ etiam Ἀγνώστῳ Θεῷ altare poſuerunt, & cultum detulerunt Act. 17. v. 23. Pauſanias in Atticis, & Lucianus in Philopatride. Sunt tamen, qui benignius factum interpretantur. Nempe Athenienſes, cum cæteris ſapientiores eſſent, ac Deorum ſuorum turpitudinem intelligerent, neque ullum niſi ſempiternum & optimum eſſe poſſe Deum putarent, quia eſſe omnino cognoſcerent, quis eſſet ignorarent, Ignoto ſibi Deo aram erexiſſe. Perduravit in Græcis hujuſmodi de multitudine Deorum opinio, ferè ad tempora uſque Socratis & Platonis. Socratem enim conſtat ex Apulejo & A. Gellio ad cicutam damnatum, quod non modo unum Deum profiteretur, verum etiam Deos gentilitios, nihil quercu, cane, hirco diviniores, rideret. Plato verò priſcam Græcorum Theologiam quodammodo immutavit, & Unum tantum Deum Optimum Maximum eſſe docuit. Quam ſapientiam ipſe ex diſciplina Ægyptiorum atque Phœnicum hauſerat. Deum dixit ζῶον ἀθάνατον animatum immortale, ſibi ipſi ad beatitatem ſufficiens, mentem æternam, & boni in naturâ cauſam. Cumque Unum univerſa aſſiduè regere crederet, ipſum modò Mundi Animam, modò Mundum ipſum, modò Vim illam, quæ eſſet in omnibus naturalibus corporibus

Polytheïæ contradictum à quibuſdam.

bus

Digitized by Google

bus diffuſa, ab operationibus ſuis & effectis appellavit. Sed inprimis memorabile eſt, quod Epiſtolâ 13. ſcribit ad Dionyſium majorem Siciliæ tyrannum: *Hinc diſces tu, ſcribam ego ſeriò, nec ne. Cum ſeriò, ordior epiſtolam ab uno Deo: cum ſecus, à pluribus.* Itaque non dicit, Si Diis placuerit, ſi Dii adſuerunt; ſed quod Deo placuerit, Deo juvante, Deus novit. Alibi Deum vocat *principium, medium & finem*; *Rhetorem omnium quæ ſunt, quæve erunt: Bonum, & omnis boni ideam: Regem omnis ſtirpis intelligibilis, à quo omnia eſſentiam habent.* Hæc Plato ſub Jovis nomine Deo tribuit, qui Deus Deorum vocatur: at eâ religione, ut aliis non tribuat idem nomen. Noluit quidem iſta proferri in vulgus, forte metu ſupplicii, cujus in præceptore exemplum recens viderat. Et in libris de Legibus, quod edendi in vulgus, ſæpius Deos nuncupat intelligentias cœleſtes. Verum introducit illico Deum, Deos, ut à ſe conditos, compellantem: & genitos illos factoſque Deum Patrem factorem ſuum, denique Deum Deorum agnoſcentes. Ariſtotelis quoque hic minimè obſcura eſt ſententia. Lib. 12. Metaphyſicorum cap. 7. dicit. *Deum eſſe vivens, æternum, & optimum.* Et paulò poſt: *Eſſe ſubſtantiam æternam, immobilem, magnitudinis expertem, indiviſibilem, infinitam, impaſſibilem, immutabilem, & à ſenſibilibus ſeparatam.* Idem paſſim vocat Deum *Ens primum, motorem primum, principium primum, à quo omnia ſint, & per quem omnia exſiſtant.* Lib. 3. Phyſicorum cap. 10. verò teſtatur, conſtantem fuiſſe antiquiorum ſententiam, ut Zenoni Deos plures aſſerere, & Deum negare æque impium videretur. De *Trinitate* an, & quantum Græci intellexerint, res eſt obſcurior, & majoris inquiſitionis. Si tamen Alcinoo credimus Philoſopho Platonico, Socrates & Plato Deum Mentem ſeu intellectum eſſe docuerunt: in eo Ideam Unam ſubſiſtere: hanc autem ſi ad Deum referatur, eſſe cognitionem ſui: ſi ad Mundum, ejus archetypum: ſi ad ſeipſam, Eſſentiam. Quo ſignificatum voluit, Ideam hanc eſſentiam eſſe, quam Deus per ſui cognitionem gignit, & per quam Deus fabricavit mundum. At dilucidius Plato ipſe in Epinomide: *Unaquæque ſtella peragit curſum ſuum ſecundum ordinem quem præſtituit* ὁ τῶν πάντων θειότατος λόγος *diviniſſimum Verbum.* In lib. de Republ. vocat λόγον ἔκγονον τοῦ ἀγαθοῦ *prolem ſeu Filium Boni, omni ex parte ſimillimum Bono, ceu virtus illa, cujus participatione videmus.* In Epiſtolâ ad Hermiam, Eraſtum, & Chriſtum eos obteſtatur Epiſtolam ipſam ſæpè, & ſaltem duo ſimul legant, *Invocantes,* ait, *Deum principem univerſorum, quæ ſunt aut erunt, & Dominum Principis, & cauſæ illius Patrem, de quo ſi rectè philoſophemur, tantum novimus, quantum beatiſſimis hominibus concedi poteſt.* Eſt ergò Dominus & cauſa omnium, & præterea Domini Pater unus. At in aliâ ad Dionyſium epiſto-

Period. II. V. T.

Quid Græcis de Trinitate conſiterit.

Period.II. V. T. epiſtolâ, qui de naturâ Dei Platonem percunctatus erat, tres etiam ſubſiſtentias videri poſſit memorare: *De naturâ*, inquit, *Primi ænigmaticè loquendum eſt, ut ſi forte terrâ marive periclitentur literæ, legantur quidem, ſed non intelligantur. Omnia ſunt circa Regem univerſi, & per eum, & propter eum omnia, & is omnium, quæ pulchra videntur, cauſa. Circa autem Secundum ſecunda ſunt, & circa Tertium tertia.* Sunt hæc ænigmatica, numeris Pythagoricis, quibus ternarius eſt perfectionis, involuta. Sed Platonici magno conſenſu de tribus ſubſiſtentiis ea interpretantur, quas *Bonum*, *Intellectum*, & *Animam mundi* vulgò nuncupant. Si quid hujus myſterii intellexit Plato, quem non ſine cauſâ divinum vocant, id ex libris Moſis & Prophetarum, ſive in Ægypto, ſive in Syriâ viſis lectiſque didicit; ſed non intellexit, nec eo rectè uſus eſt. Ariſtoteles autem hîc in diverſum abit à Platone, tum quia diſſentiendi ſtudio multa ejus immutavit; tum etiam, quia rebus naturalibus potius indagandis & explicandis, quam ſupernaturalibus intentus fuit. Hæc de Græcis hactenus. Succedunt *Romani*, qui Theologiam ſuam, ſive doctrinam de Deo rebuſque divinis à Græcis, ſaltem majorem partem derivarunt.

Romanorum Dii. Etſi enim Rex Aboriginum Faunus, Saturni filius, in Latio Deorum cultum conſtituit, & Æneas ſacra Phrygia in Italiam intulit; tamen Numa Pompilius, qui Juris apud Romanos divini conditor habetur, à Græcis plurima mutuatus eſt: ſicut & alii poſt ipſum Romani, Græcorum myſteriis imbuti: donec tandem, ſubactâ paulatim armis Græciâ, quaſi captivam Græcorum religionem in patriam ſuam tranſtulerunt. De Diis Romanorum ſcripſerunt Dionyſius Halicarnaſſeus, Livius, Plutarchus, Dio, inprimis tamen M. Terentius Varro, libris tribus de Diis Romanorum, quorum fragmenta retulit Auguſtinus in libros de Civitate Dei, & Cicero in libb. de Naturâ Deorum, & de Legibus, tum etiam A. Gellius, & Macrobius, ut reliquos taceam. Coluerunt autem, uti notum eſt ex hiſtoriis, Romani ingentem Deorum multitudinem, ſed diſpari honore, pro cujuſque dignitate, ex quâ etjam in certos ordines certaſque claſſes eos diſtribuerunt. Uſitatiſſima eſt diſtinctio Deorum in Majorum Gentium, qui præcipuas partes in rerum adminiſtratione obtinebant, & Gentium Minorum, qui partes inferiores ſortiebantur, eoque minoris meriti erant. Varro duos Deorum ordines facit, Certos & Incertos. Certos appellat, quibus Romani templa ac fana ſtruxerant, quoſque publici cultus honore dignabantur. Incertos autem, quorum certa ratio reddi non poterat. Cicero lib. 2. de legibus tres eorum ordines recenſet; Unum qui cœleſtes ſemper habiti ſint, ac κατ' ἐξοχὴν Majorum Gentium Dii vocantur; Alterum eorum, quos in cœlum merita vocarint; qui Semidei, ac

Dii

Digitized by Google

Dii indigetes dici ſolent; Tertium eorum, propter quos hominibus conceditur adſcenſus in cœlum. Hanc partitionem & nos ſequemur; ita tamen ut alios etiam Romanorũ Deos ad eam referamus. *Primi ordinis* erant Dii Conſentes, ſive pręcipui, quibus velut Conſiliariis Jupiter in maximis rebus agendis utebatur, & quorum imagines auratæ in foro ſtabant: mares ſex, & fœminæ totidem. Nomina Ennius hoc diſticho complexus eſt: Period. II. V. T. eorum diſtributio.

*Iuno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,*
*Mercurius, Iovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.*

His ſociati octo alii, qui cum Conſentibus Selecti appellabantur, vel propter majorem in mundo gubernationem, vel etiam ob ampliorem honorem. Sunt autem Viginti univerſè, Mares duodecim; Janus, Jupiter, Saturnus, Genius, Mercurius, Apollo, Mars, Vulcanus, Neptunus, Sol, Orcus, Liber pater. Fœminæ octo: Tellus, Ceres, Juno, Luna, Diana, Minerva, Venus, Veſta. De quibus ſigillatim nihil dicemus, ſi id ſolùm monuerimus, Janum primum fuiſſe Romanorum Deum, quod ipſe primus religionem docuiſſet in Italiâ, & in omnium Deorum ſacrificiis precationis principium à Iano duci ſoleret, Macrobius lib. 1. Saturnalium cap. 9. Arnobius lib. 3. contra Gentes: vel ut vult Feſtus Pompejus, quod fuerit omnium primus, cui primò ſupplicabant velut Parenti, & à quo rerum omnium factum initium oportebat. Præterea Iovis, non Iupiter aut Iova dixiſſe Antiquos in nominativo, Livius Decados 1. lib. 1. C. Iulius Hyginus cap. 31, 152, 179, 195. pro quo Iupiter dixerunt recentiores, quaſi Iuvans pater, ut Cicero, A. Gellius, Macrobius interpretantur. Non aliena eſt à vero eorum ſententia, qui Iovis nomen ab Hebræo Jehova derivatum arbitrantur. Denique Fortunam non eſſe quidem à veteribus inter Deos Selectos numeratam, non malè tamen eò referri, tum quia eam potentiſſimam cenſuerunt gentiles: tum etiam quia pluribus nominibus atque cultibus eam decorarunt. *Secundi ordinis* fuerunt, qui ob res præclarè geſtas ex hominibus aſſumebantur in Deos: unde & Semidei appellabantur. Indigetes vero dicti ſunt, vel quod nullius rei egerent, ſecundum Lucretium: vel quod in Diis agerent, qui ex hominibus ad divinitatem perveniſſent, juxta Gloſſarium vetus. Hujuſmodi cenſebantur Romanis: Hercules, Faunus, Carmenta, Euander, Caſtor & Pollux, Æſculapius, Acca Laurentia, quæ & Tarentia, & Quirinus. *Tertii ordinis* erant Virtutes, deorum dearumque nominibus inſignitæ: quæ pectoris veluti in Sacrario colebantur, per quas adſcenſus in cœlum datur. Tales fuere Mens, Virtus & Honos, Pietas, Fides, Spes, Pudicitia, Concordia, Pax, Quies, Salus, Felicitas, Libertas. Alii addunt Clementiam, Iuſtitiam, Fœcunditatem quoque, quibus templa



Digitized by Google

Period. II. V. T. ſtructa, & cultus peculiares habiti. Præter triplicem hunc ordinem Deorum erant Dii Minores complures, Semones, Dii ruſtici, Miſcellanei, & Peregrini: de quibus etiam paucis agendum. Semones dixerunt Deos, quos nec cœlo adſcribere ſuſtinebant, ob meriti paupertatem, ut Priapus, Vertumnus; nec terrenos cenſeri volebant, ob gratiæ venerationem. Lipſius lib. 2. antiquarum lectionum cap. 18. *Semines* dici ait, quaſi Semihemones, hoc eſt, ſemihomines; quia antiqui Hominem, heminem vocabant. Occupabantur potiſſimum circa vitam hominis regendam & defendendam. Et alii erant Dii Nativitatis & juventutis, alii Nuptiales ſive nuptiarum, alii adjutores operarum, alii defenſores in periculis, alii Senectæ, mortis, ac funeris curatores, ſuis ſinguli nominibus diſtincti. De his Auguſtinus lib. 6. de Civitate Dei cap. 9. ex Varrone, quem teſtatur enumeraſſe Deos ordine à conceptione hominis ad Næniam uſque, quæ in funeribus cantetur. Sed libri illi jam olim interciderunt. *Dii ruſtici* erant duodecim Dii rurales, qui ruſticorum duces agriculturam fœcundam ac fœlicem reddebant: quos idem Terentius Varro lib. de re ruſticâ celebrat. Sunt autem, Iupiter & Tellus, magni parentes dicti, quod fructus omnes agriculturæ cœlo & terrâ continentur: Sol & Luna, quorum in agriculturâ & ſatione tempora obſervari ſolent: Ceres item & Liber, quod horum, fructus maximi ad vitam uſus ſint: Sic Robigus ac Flora, quibus propitiis neque rubigo arbores aut ſegetes corrumpit, neque flos decidit, ſed omnia commode tempeſtiveque floreſcunt ac matureſcunt: Præterea Minerva & Venus, quarum uni procuratio oliveti, alteri hortorum commiſſa: poſtremò Lympha ac bonus Eventus, quoniam ſine aquâ omnis arida ac miſera eſt agricultura; ſine Succeſſu etiam bonoque eventu fruſtratio potius eſt quam agricultura. His tamen accedunt Pales, Terminus, Pan, Sylvanus, Priapus hortorum cuſtos, nec non obſcuriores alii. *Dii Miſcellanei* vocantur, qui non continentur ſub uno communi genere; ut Pavor & Pallor, Cloacina, Ajus Locutius, Rediculus, Tempeſtas, Febris, Fugia, Fornax, Cacia, Vicepota, & ſimiles. Ultimo loco ponuntur *Dii Peregrini*, qui à Gentibus peregrinis recepti in Urbem & culti fuerunt, ut Iſis, Oſiris, Serapis, & alii plures; quorum apud veteres Scriptores mentio exſtat. In tantam multitudinem numerus Deorum ſenſim excrevit apud Romanos: quam tamen ſapientiores, & ii quidem plurimi, ad Unitatem revocarunt, & Unum ſtatuerunt Deum, cui à diverſitate officiorum varia ac diverſa nomina indita fuerint. Macrobius quidem lib. 1. cap. 17. & ſeqq. & lib. 2. cap. 7. operoſè conatur omnes Deos alios ad Unum Apollinem ſive Solem referre. Et Plinius eos, qui pluralitatem Deorum induxerunt,

revocati ad Unum.

Digitized by Google

runt, ſallè ridet, lib. 1. cap. 1. Similia paſſim occurrunt apud Senecam & Ciceronem quoque; qui lib. 2. de naturâ Deorum ſic Deum deſcribit: *Deus ipſe, qui intelligitur à nobis, non poteſt alio modo intelligi, niſi mens ſoluta quadam & libera, ſegregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens & movens, ipſaque prædita motu ſempiterno.* Item: *Nihil eſt præſtantius Deo. Ab eo igitur neceſſe eſt mundum regi. Nulli igitur naturæ obediens eſt aut ſubjectus Deus: Omnem ergò regit ipſe naturam; &c.* Sacroſanctæ Trinitatis vix veſtigium aliquod reperitur, apud hujus ævi Scriptores Latinos. Ut ex ordine inſtitutæ narrationis rectâ tranſeamus ad *Periodum Tertiam*: cujus *duos priores articulos* ſub Captivitate Babylonicâ, & poſt eam ſub Prophetis poſterioribus, quia breviores ſunt, compendii causâ conjungemus. Igitur toto illo tempore quod annorum fuit 160 aut 170, eadem doctrina de Uno vero Deo, non ſine ſtupendis miraculis, partim in exilio ſervata, partim poſt illud in Eccleſiâ Judaicâ reſtituta fuit. Cujus rei fidem nobis faciunt, qui in populo Dei tum floruerunt, atque etiam ſcripſerunt Prophetæ & viri Prophetici, Ezechiel, Daniel, Haggæus, Zacharias, & Malachias, tum etiam Eſdras & Nehemias. Libri Eſtheræ mentio omittitur, quod nihil in eo ſcriptum de Deo, ac ne nomen quidem ipſius expreſſum legitur: idque non ſine certâ ratione, ut alibi diximus. Omnes iſti uno ore teſtantur, Verum Deum tantùm Unum eſſe eſſentiâ; non varium aut multiplicem; prout gentiles commenti ſunt, ac populus Dei aliquando ab iis perſuaſus credidit. Malach. 2. v. 10. Unum Patrem ac Deum Unicum expreſſè nominat. Nehemias cap. 9. v. 6. ei ſoli Deitatis elogium tribuit. Cæteri omnes nominibus ſingularibus eum paſſim nuncupant, ac ſingulariſſimæ naturæ ejus unitatem τῇ πολυθεΐᾳ Ethnicorum opponunt. Ezechiel cap. 8. verſ. 10. & cap. 14. verſ. 3. 11. & ſeqq. cap. 20. v. 7, 8. item v. 18, 19, 20. cap. 23. v. 14. cap. 30 v. 18. cap. 33. v. 25. Daniel cap. 3. v. 17, 18. cap. 5. v. 23. & cap. 11. v. 36. & ſeqq. Zacharias cap. 10. v. 2. & cap. 13. v. 2. Unum verò illum Deum iis inſigniunt atque ornant epithetis, quæ non niſi in verum Deum, cœli terræque Creatorem ac Dominum cadere queunt. Documenta è multis ſunt iſta. Dan. 2. v. 20. & ſeqq. *Benedictum ſit nomen Dei à ſeculo in ſeculum uſque; nam ſapientia & potentia ejus eſt. Ipſe mutat tempora & tempeſtates, transfert reges & conſtituit reges, dat ſapientiam ſapientibus, & ſcientiam ſcitis & intelligentibus: ipſe revelat profunda & abſcondita; novit quod in tenebris eſt, & lux cum ipſo habitat, &c.* Rurſum Cap. 9. v. 4. & ſeqq. *Iehova Dominus, Deus fortiſſimus, maximus, & ſummè reverendus, ſervans fœdus & benignitatem amantibus ipſum, & obſervantibus præcepta ipſius: penes ipſum eſt Iuſtitia; qui juſtus eſt in omnibus factis ſuis.* Zach. 8. v. 1. & ſeqq. *Iehova exer-*

Period. II. V.T.

Periodus V.T. tertia.

Artic. I. & II.

Inter Judæos viguit doctrina de Deo Uno.



Digitized by Google

Period. III. art. I. & II.

*exercituum, zelotypus, miſericors, Deus in veritate & juſtitiâ.* Cap. 12. v. 1. *Iehova qui extendit cælos, & fundat terram, & format ſpiritum hominis in eo.* Eſd. 1. v. 2. *Iehova Deus cæli.* Cap. 3. v. 11. *bonus, cujus benignitas in ſeculum durat.* Cap. 5. verſ. 8. *Deus magnus.* Cap. 7. v. 27. *Deus majorum noſtrorum &c.* Nehem. 4. v. 14. *Iehova Dominus maximus, & ſumme reverendus.* Cap. 9. v. 6, 7. & ſeqq. *qui eſt Iehova ſolus: qui fecit cælos, cælos cælorum, & omnem exercitum eorum, terram & quicquid eſt in eâ, maria & quicquid eſt in eis: & qui conſervat hæc omnia: cui etiam exercitus cælorum ſe incurvant. Iehova Deus, qui eligens Abrahamum eduxit eum Ure Chaldæorum.* v. 17, 31, 32. *Deus condonationum, ac gratioſus, miſericors, longanimis, & multus benignitate. Deus fortis, maximus, potentiſſimus, ſumme reverendus, juſtus in omnibus judiciis ſuis, &c.* Atque talem ſe Deus non modo verbo declaravit, ſed etiam operibus, beneficiis, & judiciis teſtatum reddidit, etiam inter ipſos Gentiles, ac horum profanos Reges Nebucadnezarem, Balthaſarem, Darium Medum, Cyrum, & Darium Nothum: quorum illuſtres confeſſiones de Uno vero Deo Iſraëlis non ſunt prætereundæ aut reticendæ. Confeſſio Nebucadnezaris etiam tertiùm repetita ita habet: Dan. 2. v. 47. *Ex veritate eſt, quod Deus veſter eſt Deus Deorum, & dominus regum, ac revelans arcana.* Et cap. 3. v. 28, 29. *Benedictus Deus Sadrach, Meſach, & Abednego, qui mittens Angelum ſuum eripuit ſervos ſuos, qui confiſi ſunt in ipſo, neque adorarunt ullum Deum præterquam Deum ſuum: neque enim eſt Deus alius, qui poſſit eripere.* Sic cap. 4. v. 34, 35. *Excelſo benedixi, & viventem in perpetuum laudavi, & glorificavi: quod dominatus ejus eſt dominatus æternus, & regnum ejus in omnes generationes: qui pro voluntate ſuâ facit in exercitu cæli, & habitatoribus terræ; neque eſt qui prohibeat manum ejûs, aut dicat ei, quid facis?* rurſus v. 37. *Extollo & glorifico Regem cæli, cujus omnia opera, opera veritatis, & cujus viæ ſunt viæ judicii, qui denique ambulantes in ſuperbiâ poteſt dejicere.* Balthaſaris minus quidem aperta confeſſio eſt, attamen approbat doctrinam & denunciationem Danielis ſubjicientis ei Unum Deum *Excelſum cæli, dominantem in regno hominum, in cujus manu eſt anima & gubernatio ipſius regis.* Dan. 5. v. 18, 21, 23. Darius verò Medus etiam publico edicto ſancivit Veri Dei agnitionem & venerationem, cap. 6. v. 27, 28. *quod ipſe ſit Deus vivens & ſtabilis in ſecula: regnum ejus incorruptum, & dominatus ejus ad finem uſque: qui liberat & eripit, facitque ſigna ac miracula in cælo & in terrâ.* Similia ferè ſunt, quæ de Uno vero Deo propoſuerunt & promulgarunt Reges Perſiæ, Cyrus Eſd. 1. v. 2, 3. & Darius Nothus cap. 6. v. 12. & ſeqq. Ut Unus verus Deus Gentilibus quoque Babyloniis, Medis, Perſis, jam tum innotuerit. Myſterium tamen Sacroſanctæ Trinitatis ſolis Iudæis utro-

Teſtimonia Gentilium in Scripturâ.

Trinitatis myſterium confirmatum.

Digitized by Google

utroque hoc Articulo patuit & renovatum eſt. Primus Ezechiel viſione propheticâ cap. 1. illud declaravit. Quâ inducit Jehovam Deum, tanquam autorem viſionis: is eſt Deus Pater, v. 13. Spiritum quoque agentem animalia ſive angelos in miniſteriali mundi gubernatione: qui Spiritus eſt ipſe Spiritus Sanctus, v. 12. & denique Filium hominis, hoc eſt, Chriſtum Jehovam, verum illum & Unicum Deum cum Patre & Spiritu Sancto, nec non judicem univerſorum v. 26, 27, 28. quæ explicatio confirmatur collatione Eſa. 6. v. 1. & ſeqq. cujus eadem ratio eſt. Cap. 34. v. 23, 24. & ſeqq. uſque ad finem, cap. 36. v. 25, 26, 27. cap. 37. v. 22. & ſeqq. cap. 39 v. 28, 29 promiſſiones Fœderis gratuiti ſic enarrantur, ſimul ut tres Perſonę Trinitatis expreſſè proponantur: Deus Pater, qui *Iehova*, *Dominus Iehova*, & *Deus ipſorum* appellatur: Deus Filius, qui dicitur *Paſtor*, *David*, *Princeps*, *Rex populi Dei*, divinis operibus ſpectatus: & Spiritus Sanctus, qui *Spiritus Iehovæ* vocatur, ſanctificans & renovans populum Dei ad veram ipſius obedientiam. Daniel propheta idem Myſterium tum viſione adumbravit, tum etiam oratione celebrâvit. Cap. 7. ſummam Dei majeſtatem repræſentans, diſtinctè proponit Antiquum dierum, ſive Deum Patrem v 9, 10. & Filium hominis, ſupremo in omnia dominio donatum, qui eſt Deus Filius v. 13, 14. Orationem verò ita dirigit ad Jehovam Deum, qui eſt Pater cap. 9. v. 4, 5. ut eum velit propitium eſſe Eccleſiæ captivæ, propter Dominum v. 17. id eſt, propter Deum Filium, quem Meſſiam ſive Chriſtum nuncupat. v 25, 26. & ἀποτελέσματα Mediatoria θεανδρικὰ vendicat. Neutrobi exſtat mentio expreſſa Spiritus Sancti, qui tamen implicitè ſubintelligitur, tanquam is, per quem beneficia Chriſti diſpenſantur & applicantur. Haggæus tamen, Zacharias, & Malachias Spiritus Sancti diſerte meminerunt. Siquidem Hagg. 2. v. 5. tres Perſonæ conjunguntur. Nam Iehova Pater loquens introducitur; is verò ceu teſtes appellat, tum Verbum ſive Filium Mediatorem, per quem Fœdus cum ipſis exeuntibus ex Ægypto icerit: tum Spiritum Sanctum, in ipſis verſantem atque agentem. Zacharias autem clarius evolvit & ediſſerit hoc myſterium. Cap. 3. v. 2. Iehovæ nomine diverſimodè repetito, Filium à Patre perſonaliter diſtinguit: eumque non modo Germen, v. 8. & cap 6. v. 12. ſed etiam Proximum ſeu ſocium ſuum ſibi æqualem cap. 13. v. 7. & Iehovam cap. 11. v. 13. nuncupat. Spiritum Sanctum quoque nominat, tanquam ejuſdem eſſentiæ hypoſtaſin, modo exiſtentiæ & operationis ab utroque diſtinctam cap. 4. v. 6. & cap. 7. v. 12. & cap. 12. v. 10. Nehemias cap. 9. v. 6. & ſeqq nomine Iehovæ Deum Patrem deſignat, qui adoptavit populum Iſraël, atque eduxit eum ex Ægypto: per columnam nubis & ignis indicat

Period. III. art. I. & II.

Period.III. art. I. & II. indicat præſentiam Angeli illius Dei, qui erat dux populi, & Filius Mediator ἄσαρκος, verſ.19. Spiritus autem v.20. & 30. eſt Spiritus Sanctus, loquens in Prophetis, & populo communicatus pro V.T. diſpenſatione. Alia teſtimonia ſciens volens prætereo, quæ minorem evidentiæ lucem habent.

Artic III. Doctrina de Uno vero Deo in Eccleſia integra fuit. *Tertio, eoque poſtremo Articulo* hujus Periodi Eccleſia Judaica etſi diſtinguebatur miniſterio extraordinario Prophetarum & virorum propheticorum, tamen in ſanâ doctrinâ de Uno vero Deo, ab ipſis traditâ ac eorum monumentis conſignata, perſeveravit. Certè quem ante Captivitatem prona ac præceps erat in falſos Deos & cultus eorum, tam poſt eam aliena ac averſa fuit, Uni ac ſoli Deo Iſraëlis innixa. Quod facto ipſo comprobavit, quando duriſſimis Seleucidarum temporibus extrema perpeti, quam in gentilium idololatriam conſentire maluit. Hæc etiam cauſa eſt, quod in libris Apocryphis, majorem partem ab exceſſu Prophetarum ſcriptis, tam crebræ idolorum inſectationes ac condemnationes reperiuntur. Baruch cap. 6. quæ & Epiſtola Jeremiæ inſcribitur. Additiones Danielis cap.4. & 5. Eccleſiaſtici 13,14,15. cap. & paſſim. Summam doctrinæ hujus temporis de Uno vero Deo paucis conſtringemus. Credidit igitur & docuit, Deum eſſe Unum eſſentiâ, & ita Unum, ut etiam ſit ſolus, nec præter ipſum eſſe poſſit alius, qui in naturæ ipſius communionem veniat. Cujus teſtimonia exſtant in omnibus libris Apocryphis penè innumera. Nobis pauciſſima indicaſſe ſufficiet. 4 Eſd.8.verſ.6,7. *O Domine, tu ſolus es Deus.* Sapient.12.v.12. *Non eſt Deus præter te, cui curæ ſunt omnia.* & v.27. *quum ſe iis puniri viderunt, quos ante putabant Deos, verum agnoverunt Deum, quem olim noviſſe negarunt.* Eccleſiaſtici 1.v.7,8. *Unus eſt ſapiens reverendus valde, inſidens throno ſuo Dominus.* Cap.24 v.27. *Dominus omnipotens Deus ſolus eſt, neque eſt amplius præter ipſum ſervator.* Cap. 36.v.5. *Agnoſcant te, prout etiam nos te agnovimus, non eſſe Deum præter te Domine.* Jam quid de Naturâ ſive Eſſentiâ Dei tenuerit, & tradiderit illa ipſa Eccleſia Judaica. Unius veri Dei deſcriptiones, quæ in Apocryphis occurrunt, docere nos poſſunt. Tob.3.v.2,14. *Juſtus es Domine, omniaque opera tua, & omnes viæ tuæ ſunt miſericordia & veritas: etiam judicio vero juſtoque judicas in ſeculum: Benedictum nomen gloriæ tuæ, ſanctum & pretioſum in ſecula.* Cap.13.v.2.ſeqq. *Benedictus Deus vivus in ſecula, & regnum ipſius: ipſe Dominus noſter eſt, & Deus ipſe Pater noſter in omnia ſecula, Dominus potentiſſimus, & rex ſeculorum.* Judith.9. v.15,16. *Deus hæreditatis Iſraëlitarum, Dominus cælorum & terræ, creator aquarum, rex omnium rerum creatarum tuarum.* Baruch.1.v.1,2,3. *Dominus omnipotens, Deus Iſraëlis, miſericors & miſerator, qui ſedet in ſeculum.*

4 Eſd.

Digitized by Google

Period. III.
artic. III.

4 Eſd. 7. v. 62. & ſeqq. *Dominus altiſſimus, miſericors, longanimis, munificus & planè miſericors, qui multiplicat miſericordias ſuas & condonat.* 3 Maccab. 2. v. 2. *Dominus Iehova rex cœlorum, & dominator omnis creaturæ inter ſanctos ſanctiſſimus, & monarcha omnipotens.* v. 10. & ſeqq. *fidelis & verax, rex ſanctus, inſpector omnium, & ſanctus ſupra omnia.* Cap. 6. v. 1, 2, 7. & ſeq. *Deus ſanctus, rex magnificus, altiſſimus, omnipotens oſor injuriæ, plurimum miſericors, Univerſitatis protector, æternus, glorioſus, potentiâ præditus, &c.* Sap. 7. v. 22, 23. *Eſt ſpiritus intelligens, ſanctus, ſimplex, multiplex, ſubtilis, mobilis, ſplendidus, impollutus, perſpicuus, perpeſſionis expers, amans boni, acutus, expeditus, beneficus, humanus, ſtabilis, certus, ſecurus, omnipotens omnia intuens, & permeans omnes ſpiritus intelligentes puros & ſummè ſubtiles, &c.* Cap. 9. v. 1, 2, 3. *Deus majorum, Dominus miſericordiæ, qui fecit omnia verbo ſuo, & ſapientiâ ſuâ conſtituit hominem, & adminiſtrat mundum ſanctitate & juſtitiâ, recto animo judicia exercet.* Cap. 15. v. 1. *Tu, ô Deus noſter, bonus es, & verax, longanimis & miſericordiâ adminiſtrans omnia.* Eccleſiaſtici 2. v. 13. *Pius & miſericors eſt Dominus, longanimis ac plurimus miſericordiâ, remittit peccata, & ſervat afflictionis tempore.* Cap. 15. v. 18, 19. *Multa eſt ſapientia Domini, & validus eſt potentia, & videns omnia: & oculi ejus intuentur eos, qui reverentur ipſum, & ipſe cognoſcit omne opus hominis.* Poſtremò Eccleſiam Judaicam non ignoraſſe in Unâ eſſentiâ divinâ tres numero Perſonas ſubſiſtere, non tantum ex libris Apocryphis, verum etiam ex fragmentis Rabbinorum, qui ante Chriſti incarnationem vixerunt, colligitur atque evincitur. Eſdras, Scriptor apocryphus, quocunque etiam tempore floruerit, ſic agnoſcit & prædicat Unum & ſolum Deum, ut in eo diſtinctè commemoret *Patrem* lib. 4. cap. 2. v. 5. *Filium Dei* v. 47. quem ipſe Pater, *Filium ſuum Ieſum Chriſtum*, diſertè nominat cap. 7. v. 28, 29. & Spiritum Sanctum, qui *Spiritus Dei omnipotentis* dicitur, cap. 16. v. 63. Similiter libri Sapientiæ non tantum magnificè deſcribit Spiritum S. cap. 1. v. 5, 6, 7. ſed etiam Perſonas Deitatis inter ſe componit & confert, ac Filii tanquam eſſentialis Sapientia à Patre, Spiritus Sancti verò ab utroque, Patre & Filio, originationem ediſſerit, cap. 7. v. 21. & ſeqq. Eodem ferè modo etiam Eccleſiaſticus ſive Syracides, hoc myſterium declarat, Cap. 51. v. 14. profitetur ſe adoraſſe Dominum, Patrem Domini ſui, hoc eſt, Deum Patrem Chriſti, Filii Dei: ut eſt Pſal. 110. v. 1. quem & Dominum Patrem nuncupat cap. 23. v. 14. Chriſtum verò Dominum, ac Dei filium, alibi vocat Dei Sapientiam cap. 24. v. 8, 10. imitatione Salomonis Prov. 8. v. 22. atque cum ipſo Spiritum prudentiæ conjungit, cap. 39. v. 8. Cum his concordant veterum quorundam Rabbinorum teſtimonia, qui ante Chriſtum natum ſcripſerunt. In

Agnita
etiam Perſonarum
Trinitas.

Zohar

Digitized by Google

Period. III. artic. III. Zohar, cujus ſumma eſt apud Iudæos autoritas, Rabbi Simeon filius Jochai, profert locum ex Rabbi Ibba in Deut. 6. v. 4. qui primum illud *Iehova* intelligit de Deo Patre, omnium principe: *Elohenu* interpretatur de Filio, omnium ſcientiarum fonte: & alterum *Iehova*, de Spiritu Sancto, ex ambobus procedente, qui quidem vocis menſura eſt. Idem R. Simeon τρισάγιον Eſa. 6. explicat de Patre, Filio, & Spiritu Sancto: quia Sanctus ſit Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus Sanctus; quæ & R. Ionathanis paraphraſtæ Chaldæi eſt expoſitio. In Pſalmo 50. ubi dicitur *El Elohim Iehova dibber* Deus Deorum Iehova locutus eſt, Scholiaſtes docet, eâ repetitione Prophetam tres *middoth* ſive proprietates innuere, per quas Deus creavit mundum; ut & R. Moſes Hadarſan ait, Deum Verbo ſuo, & R. Simeon, Spiritu oris ſui mundum creaſſe. Porrò tres illæ proprietates, quas Hebræi *Panim*, Græci πρόσωπα, Latini Perſonas dixerunt, diverſis apud antiquos illos deſignantur nominibus. Quidam *Principium*, *Sapientiam*, & *Amorem Dei* nuncupant. Alii & inter hos R. Azariel, *Spiritum*, *Verbum* & *Vocem* nominant: Nimirum quia Spiritus concipit Verbum interius, & ab utroque Vox procedit. Sic & R. Iſaac tres notat Numerationes ſupremas in Uno infinito, *Coronam*, *Sapientiam*, *Intellectum*. Denique etſi de nominibus variant, reipsâ tamen in trium hypoſtaſeôn confeſſione conſentiunt univerſi. Nec mirum, ſi obſcuriuſculè loquantur, cum pro conditione V.T. non niſi tenuiter & obſcurè totum myſterium cognoverint, per ipſum Meſſiam demum clariſſimè revelandum. Interim negari non poteſt, in hoc palmario fidei Iudaicæ articulo ſenſim

Sed non ſine errore aliquo. aliquid obrepſiſſe erroris. Eccleſiaſticus quidem magnificè effert Dei Sapientiam, attamen creatam fuiſſe ſtatuit, & in ordinem creaturarum eam aperte redigit, cap. 1. v. 4. 7, 13. & cap. 24. v. 8, 10. ſive depravato ſenſu loci Prov. 8. v. 22. ſive ex pravâ ejus verſione apud LXX. qui verbum *Kana* poſſedit, reddiderunt ἔκτισε *creavit* cum iota, non ἔκτησε *poſſedit* cum η. Saducæi verò etiam negarunt deitatem Spiritus Sancti, ut eſt Actor. 23 v. 8, 9. ubi πνεῦμα ſine articulo, notat Spiritum Sanctum, juxta ſtylum Scripturæ, Ioh. 3. v. 5. cap. 4. v. 24. Rom. 1. v. 4. cap. 8. v. 14. 1 Cor. 1 1. v. 4. & Theophylacti, nec non Epiphanii hæreſi 14. interpretationem. Quin & Deum ipſum corporeum finxerunt, ut vult Nicolaus, in 13 caput Actorum. Eſſentiæ autem corporeæ ſingularis non eſt, nec eſſe poteſt, niſi unica hypoſtaſis. Quumque continuis aliquot ſeculis deficeret in Synagogâ Iudaicâ lumen Propheticum, inde factum ut Myſterium Trinitatis Sacroſanctæ paulatim obſcuratum in oblivionem venerit: & caput illud de Unitate Eſſentiæ divinæ vulgo ſolum ſciretur & notum eſſet. Cætera de Samarita-

nis

Digitized by Google

nis, ſive Cuthæis, nec non de Gentilibus, quæ ad hunc Articulum referri poſſent, jam alibi dicta ſunt. Period. III. artic. III.

Progredimur itaque à V. T. ad Novum, quo doctrina de Deo, Eſſentiâ Uno, Trino autem Perſonis, non tantum noviſſimè repetita, & perfectiſſimè clariſſimeque revelata, ſed etiam per ipſum Filium Dei, in carne exhibitum, tanquam imaginem viſibilem inviſibilis Dei, nec non per viſibilem Spiritus Sancti inviſibilis effuſionem repræſentata, ipſiſque ſenſibus veluti ſubjecta fuit. *Prima Periodi N. T. Articulo primo* ordinis melioris causâ diſtinguemus Hiſtoriam Euangelicam ipſius Chriſti, & Apoſtolicam Diſcipulorum ipſius. In utraque obvia eſt varia, eaque illuſtriſſima dogmatis hujus patefactio & declaratio. Sed nos delectu quodam locorum ex ſingulis Euangeliſtis contenti erimus. Inde ex Actis & Epiſtolis Apoſtolicis excerpemus, quæ ad rem præſentem faciunt. *Matthæus* ex ſermonibus Chriſti pariter Unitatem Eſſentiæ divinæ, ac Perſonarum divinarum in eâ ſubſiſtentium Trinitatem demonſtrat. Illam aſſerit verbis Chriſti in conflictu cum Diabolo cap. 4. v. 10. ex Deut. 6. v. 13. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Rurſum in diſputatione cum Phariſæo cap. 19. v. 17. *Nullus eſt bonus, niſi Unus, nempe Deus.* Hanc verò in Baptiſmo Chriſti & noſtro evidentiſſimè proponit. Etenim cum Chriſtus baptizaretur, tres Perſonæ Unius Deitatis, non plures, non pauciores, diſtinctè ſe revelarunt, etiam ipſis ſenſibus ſpectatorum & auditorum, cap. 3. v. 16, 17. Pater voce cœlitus ſonante clamans, *Hic eſt Filius ille meus, dilectus ille, in quo acquieſco:* quæ vox etiam in transfiguratione ipſius repetita fuit, cap. 17. v. 5. Filius in aſſumtâ carne baptiſmum à Johanne ſuſcipiens, in Jordane, Patriſque elogio conſecratur Spiritus Sanctus ſpecie viſibili columbæ ſuper ipſo quieſcens, doniſque ſuis Chriſtum ſecundum humanitatem replens. In noſtro autem Baptiſmo ſinguli baptizandi tinguntur, in nomen Patris, Filii, & Spiritus Sancti, idque ex mandato Chriſti cap. 28. v. 19. tanquam unius illius Dei; cui ſoli hic honos convenit. *Marcus* etſi pleraque communia habet cum Matthæo, tamen cap. 12. paulo expreſſius loquitur ad hujus myſterii declarationem. De Eſſentiâ iſta proponit ex colloquio Chriſti & Scribæ, v. 29. *Primum omnium præceptorum eſt: Audi Iſraël, Dominus Deus noſter, Deus unus eſt:* & v. 32. *Unus eſt Deus, nec alius eſt Deus præter eum.* Tres verò in eâ Perſonas v. 36. oſtendit ex Pſal. 110. v. 1. *David dixit per Spiritum Sanctum: Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dexteram meam, &c.* ubi priore nomine Pater, poſteriore Filius ſignificatur, ex ipſiuſmet Chriſti applicatione. Jam *Lucas* in deſcriptione Hiſtoriæ Conceptionis Johannis & Chriſti, Perſonas divinas à ſe in-

Periodus N.T. prima. Artic. I. Doctrina de Deo Uno & Trino aſſerta ab Euangeliſtis. Matthæo. Marco. Lucâ.

Period. I. N.T. art. I. vicem diſtinguit; & tamen earum Trinitatem ad eſſentialem Unitatem revocat. Cap.1.v.15,16. recitat verba Angeli de conceptu Johannis, *fore ut impleatur Spiritu Sancto*, id eſt, donis à Spiritu Sancto effectis *inde ab utero: & convertat multos filiorum Iſraël ad Dominum Deum ipſorum*, hoc eſt, ad Chriſtum Filium Dei, unum cum Patre Deum: ſicut conſequentia, nec non oraculum propheticum Malach.4.v. ult. id evincunt. Sed clariora ſunt, quæ ſequuntur, de ipſius Chriſti conceptione v.31,32,33,35,37. ubi Altiſſimus ille, ſive Dominus Deus dans Chriſto ſedem Davidis Patris ipſius, eſt Deus Pater: Filius eſt Filius Dei altiſſimi, & ipſe æternus Deus: Spiritus Sanctus Virtus Altiſſimi, per ſe ſubſiſtens, & divinas operationes pro omnipotentiâ ſuâ exercens. Et tamen non eſt niſi Unus Deus, apud quem non eſt ullum verbum, quod fieri non poſſit. Poſtremò in Cantico Zachariæ eaſdem Perſonas velut exſerto digito demonſtrat. Etenim totius prophetæ ipſius autorem indicat Spiritum Sanctum v.67. Deinde Dominum ac Deum Iſraëlis, hoc eſt, Deum Patrem celebrat, ob miſſum ac donatum nobis filium ſuum, v.6 & ſeqq. Denique eundem Filium Dominum Altiſſimum nuncupat, tributo ei veræ divinitatis axiomate, verſ.76.& ſeqq. Sed reliquis Euangeliſtis in illuſtrando hoc

Johanne. Myſterio longè antecellit *Iohannes*: cujus ſicut præcipua eſt ὑπόθεσις demonſtratio æternæ Deitatis Chriſti, cap.20.v.31. ita ſimul Unitatem ſpiritualis eſſentiæ divinæ, nec non Trinitatem Perſonarum paſſim & omnibus ferè capitibus declarat & inculcat. Cap.1.v.1,2,3. τὸν λόγον æternum Dei Sermonem ita diſtinguit à Patre, apud quem reſidebat in principio, ut tamen eundem cum Patre Deum fuiſſe aſſerat. V.14,18. vocat eum *Unigenitum Dei Filium, qui eſt in ſinu Patris, plenum gratiæ & veritatis*. v.32,33. & ſeqq. *ſuper quem deſcendit & manſit Spiritus Sanctus*. Cap.3. in colloquio cum Nicodemo cauſas æternæ ſalutis noſtræ commemorat; v.5,6. Spiritum Sanctum nos regenerantem ad imaginem Dei: v.13,14,15. Filium Dei, qui idem Filius hominis, nos redimentem per mortem crucis; & v.16,17. Deum Patrem tradito pro nobis Filio Unigenito nos ſibi reconciliantem. Quæ Perſonæ eodem capite à Johanne Baptiſtâ celebrantur v.31,32. & ſeqq. ubi Patris, Filii, & Spiritus Sancti diſtincta mentio exſtat. Cap.4. docet Deum eſſe Spiritum v.24. hoc eſt, ſpirituali naturâ præditum; quæ communis eſt Patri v.23. Filio Mediatori v.22,25, 26. & Spiritui Sancto, qui dicitur aqua viva, ſaliens in vitam æternam. Cap.5. ex profeſſo demonſtratur & aſſeritur contra Judæorum criminationes veritas hujus Theſeos: Chriſtum eſſe Filium Dei, æqualem Patri, & unum cum ipſo Deum v.17. idque argumentis tum

arti-

Digitized by Google

artificialibus, ab æqualitate, imò identitate naturæ, operationum atque operum & cultus v. 18. & ſeqq. tum inartificialibus, videlicet teſtimoniis Patris, Johannis Baptiſtæ, & Scripturarum v. 31. & ſeqq. Cap. 6. in ſermone Chriſti ad Capernaitas de pane vitæ; Pater dicitur is eſſe, qui dat Panem illum cœleſtem verum v. 32. Filius ipſe Panis, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo. v. 33. ut qui vivit per Patrem viventem v. 57. Spiritus Sanctus vis illa vivifica Patris & Filii, fidem accendens in cordibus, per quam ſolam pane iſto veſcimur ad ſalutem v. 63, 64. Cap. 8. operosè oſtendit Servator, Deum eſſe Patrem ſuum, proprium ſcilicet ac naturalem, ac ſe eſſe proprium ac naturalem ejus Filium verſ. 18. & ſeqq. Cap. 10. v. 28. & ſeqq. probat ſe unum eſſe cum patre, non modo conſenſu voluntatis, ſed etiam unitate potentiæ ac eſſentiæ. Cap. 14. partim explicat σχέσιν ſive relationem, itemque eſſentialem unionem inter Patrem & Filium, v. 9. & ſeqq. partim divinarum Perſonarum Trinitatem promiſſione Spiritus Sancti ſtabilit, v. 16, 17. Cap. 15. v. 8. & ſeqq. itemque v. 26, 27. eadem fere iterantur ac inculcantur. Cap. 16. non modo duarum Perſonarum, Patris & Filii, diſtincta hypoſtaſis, ſed etiam Spiritus S. ab eodem proceſſio plenius ediſſeritur, v. 3. & ſeqq. item v. 13, 14, 15. Cap. 17. v. 3. Pater, & quem ipſe miſit Jeſus Chriſtus, dicuntur eſſe ille ſolus verus Deus; qui opponuntur omnibus falſis & fictitiis numinibus, quæ naturâ non ſunt Dii, Gal 4. v. 8. Filii verò Deitas toto capite ab æternâ ejus exiſtentiâ, potentiâ, & gloriâ, nec non unitate eſſentiali cum Patre diverſimodè illuſtratur. Cap. 20. Pater dicitur Deus & Pater Chriſti ac noſter v. 17. Filius non tantum Filius Dei v. 31. ſed etiam Dominus ac Deus appellatur v. 28. Spiritus Sanctus etiam ab origine ac operatione divinâ deſcribitur v. 22, 23. Ut Sacroſanctæ Trinitatis evidentiſſimum teſtimonium hîc proponatur. Jam ex Actis & Epiſtolis Apoſtolicis idem Myſterium demonſtrandum eſt. Et quia Apoſtolis non tantum cum Judæis, ſed etiam cum Gentilibus res fuit, qui veri Dei ignari, multos eoſque innumeros agnoſcebant & colebant Deos, diverſâ methodo in tradendâ hâc doctrinâ uſi ſunt. Etenim in concionibus ad Judæos Actor. 2, 3, 4, 7, 13. Hebr. 1. & alibi, Deum eſſe præſupponunt ex Scripturâ V. T. & patefactionibus divinis per Verbum & miracula: & hunc Deum eſſe Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti liquidò probant. Verum quando Gentilibus concionati ſunt, altius rem arceſſiverunt, ac totam de Deo doctrinam in plura capita diſtinxerunt. Principio docuerunt, Numina ac idola Gentilium non eſſe Deos, nec Deum verum eſſe varium aut multiplicem, ſed unicum duntaxat; eſſentiam nempe æternam, &

*Period. I. artic. I.*

*ab Apoſtolis, tradita*

*Unitas Eſſentiæ divinæ*

 omni-

Period. I. artic. I. omnipotentiam, cœli ac terræ conditricem ac moderatricem. Argumenta hujus doctrinæ varia adducunt, præcipuè tamen à creatione, ac gubernatione omnium rerum Actor. 14. v. 15. & ſeq. cap. 17. v. 29. & ſeq. Rom. 1. v. 20, 21. & ſeqq. nec non à rationibus communibus, ſingulis hominibus naturâ inſitis Rom. 2. v. 14, 15, 16. Huc pertinent teſtimonia manifeſtiſſime de Unitate Eſſentiæ divinæ. Rom. 3. v. 29, 30. *Deus Unus eſt Iudæorum & Gentium.* 1 Cor. 8. v. 4, 5. *Scimus idolum nihil eſſe in mundo, & nullum eſſe Deum alium niſi Unum. Nam etiamſi ſunt qui dicuntur Dii in cœlo & in terrâ (ſicut ſunt Dii multi, & Domini multi,) nobis tamen unus eſt Deus.* Epheſ. 4. v. 5, 6. *Unus Dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus & Pater omnium.* 1 Tim. 2. v. 5. *Unus eſt Deus, unus etiam Mediator Dei & hominum, Homo Ieſus Chriſtus.* Jacob. 2. v. 19. *Tu credis Deum unum eſſe, benè facis.* Cap. 4. v. 12, *Unus eſt Legiſlator, qui poteſt ſervare & perdere.*

deſcriptio à proprietatibus & operibus. Deinde qualis ſit Unus ille Deus, variis iiſque illuſtribus deſcriptionibus declararunt. Actor. 14. v. 15, 16, 17. *Annunciamus, ut à vanis iſtis rebus convertatis vos ad Deum illum vivum, qui fecit cœlum, terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt, quique præteritis ætatibus ſivit omnes gentes ſuis ipſarum viis ingredi: &c.* Cap. 17. v. 24. 25. & ſeqq. *Deus ille qui fecit mundum & omnia quæ in illis ſunt, cum ſit cœli & terræ Dominus &c.* v. 29. *Progenies Dei cum ſimus, non debemus exſtimare, auro, & argento &c. numen eſſe ſimile:* Rom. 1. v. 20. *Ipſius inviſibilia ex rebus creatis pervidentur, æterna videlicet ejus tum potentia, tum divinitas.* Cap. 11. v. 33. & ſeqq. *O profundas divitias tum ſapientiæ, tum cognitionis Dei! &c.* 2 Cor. 1. v. 3. 20. *Deus Pater miſerationum, & Deus omnis conſolationis; cujus omnes promiſſiones ſunt, Etiam & Amen.* 1 Tim. 1. v. 17. *Regi æterno, incorruptibili, inviſibili, ſoli ſapienti Deo honor ſit & gloria.* Cap. 6. v. 15, 16. *Quem,* ſcilicet Chriſtum, *præſtitutis temporibus ſuis oſtendat ille beatus & ſolus Princeps, Rex ille regum & Dominus dominorum, qui ſolus habet immortalitatem, lucem habitans inacceſſam, quem nemo vidit hominum, neque videre poteſt.* Jacob. 1. v. 17. *Omnis donatio bona eſt ſupernè à Patre luminum, apud quem non eſt transmutatio, aut converſionis obumbratio.* 1 Joh. 1. v. 5. *Deus lux eſt, neque tenebræ in eo ſunt ullæ.* v. 9. *eſt fidelis & juſtus, ut remittat peccata.* Apoc. 4. v. 8, 11. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus ille omnipotens, qui Erat, & Eſt, & Venturus eſt. Dignus eſt, qui accipit gloriam, & honorem & virtutem; quia tu condidiſti omnia, & per voluntatem tuam ſunt & creata ſunt.*

Trinitas Perſonarum. Poſtremò in una illa ſpirituali ac æternâ Eſſentiâ divinâ oſtenderunt eſſe tres Perſonas, verè à ſe invicem diſtinctas, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum: quæ ſunt Unus ille verus, ac æternus Deus. In quo quidem ſummus eſt conſenſus omnium Apoſtolorum. Actor. 2, v. 17. *Ultimis temporibus, dicit Deus; effundam ex Spiritu*

meo,

Digitized by Google

*meo*, &c. v. 33. *Dextrâ Dei ſurſum ſublatus Ieſus & promiſſum Spiritus Sancti adeptus à Patre, effudit hoc quod nunc cernitis & auditis.* Et ipſe Spiritus Sanctus ſtatim reipſâ probavit, ſe verum eſſe Deum; dum uno momento Apoſtolus omnium linguarum notitiam impreſſit. Cap. 3. v. 13. *Deus ille Abrahami, Iſaaci, & Iacobi, Deus Patrum noſtrorum, glorificavit Filium ſuum Ieſum, &c.* quem verſ. 15. *Principem vitæ*, & v. 22. *magnum illum Prophetam* nuncupat. Cap. 4. v. 24, 25, 26. *Domine, tu es Deus ille, qui feciſti cœlum ac terram, &c. Qui Spiritu Sancto per os Davidis pueri tui dixiſti, Quare fremuerunt gentes, &c. adverſus Dominum & Chriſtum ejus:* qui Pſal. 2. ut Deus introducitur. Cap. 5. verſ. 3, 4. de Spiritu Sancto ſeorſim. v. 31, 32. *Hunc Deus dexterâ ſuâ ſurſum ſublatum conſtituit principem ac ſervatorem, ut det reſipiſcentiam Iſraëli & remiſſionem peccatorum. Et nos ſumus ei teſtes horum quæ dicimus; atque etiam Spiritus ille Sanctus, quem dedit Deus, iis, qui dicto ſunt audientes ipſi.* Cap. 20. v. 28. *Attendite ad vos ipſos & totum gregem, in quo vos Spiritus ille Sanctus conſtituit Epiſcopos, ad paſcendam Eccleſiam Dei, quam ſuo illo proprio ſanguine acquiſivit.* Rom. 1. v. 2, 3, 4. ubi per Spiritum Sanctificationis nonnulli Spiritum Sanctum intelligunt. Cap. 8. verſ. 15, 16, 17. *accepiſtis Spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba, Pater. Et ipſe Spiritus teſtatur una cum Spiritu noſtro, nos eſſe filios Dei: quod ſi filii, etiam hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* & verſ. 31, 32. *Si Deus pro nobis, quis contra nos? is qui proprio Filio non pepercit, &c.* Sic 1 Cor. 12. v. 3. *Nullus per Spiritum Dei loquens, dicit Ieſum anathema; & nemo poteſt dicere Ieſum Dominum, niſi per Spiritum Sanctum.* v. 4, 5, 6. *Diſtinctiones donorum ſunt, ſed idem Spiritus, Et diſtinctiones miniſteriorum ſunt, ſed idem Dominus, Et diſtinctiones actionum ſunt, ſed idem eſt Deus, agens omnia in omnibus.* 2 Corinth. 13. v. 13. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio Spiritus Sancti ſit cum omnibus vobis.* Gal. 4. v. 4, 6. *Emiſit Deus Filium ſuum &c. Emiſit Deus Spiritum Filii ſui, &c.* Epheſ. 1. v. 3, 4. *Benedictus eſto Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c.* & verſ. 13, 14. *Obſignati eſtis Spiritu illo promiſſionis Sancto &c.* Phil. 2. v. 6. ſeqq. Pater & Filius introducuntur ut ὁμοούσιοι. Col. 1. verſ. 15, 16. & ſeqq. de utroque rurſum ſermo eſt. Tit. 3. v. 4, 5, 6. *Poſtquam benignitas & φιλανθρωπία apparuit Servatoris noſtri Dei, &c. ſervavit nos per lavacrum regenerationis renovationis Spiritus Sancti, quem effudit ſuper nos copioſè per Ieſum Chriſtum ſervatorem noſtrum.* Hebr. 1. v. 1, 2, 3. *Multis vicibus multiſque modis olim Deus*, nempe Pater, *loquutus in Prophetis, ultimis diebus hiſce loquutus eſt nobis in Filio, quem conſtituit hæredem omnium, per quem etiam mundum condidit, qui eſt effulgentia gloriæ, & character perſonæ illius, &c.* v. 9. *Unxit te, ô*

Period. I. artic. I.

 *Deus,*

Digitized by Google

Period. I. artic. I. *Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ, ultra conſortes tuos.* Ubi & Pater & Filius vocantur Deus, & Spiritus Sanctus deſignatur Oleo unctionis Joh. 3. v. 34. & 1 Joh. 2. v. 27. 1 Pet. 1. v. 2, 3. *Electis ex præcognitione Dei Patris, ad ſanctificationem Spiritus, per obedientiam & adſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti, &c. Benedictus eſto Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti.* 1 Joh. 2. v. 22, 23. de Patre & Filio, & v. 27 de Spiritu Sancto, qui eſt Unctio. Cap. 4. v. 13, 14. *Per hoc cognoſcimus nos in ipſo habitare, & ipſum in nobis, quod de Spiritu ſuo dedit nobis. Nos verò ſpectavimus & teſtamur, Patrem miſiſſe Filium, qui eſſet Servator mundi.* Cap. 5. v. 7. *Tres ſunt qui teſtantur in cœlo, Pater, Sermo, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt.* Et de Filio ſeorſim v. 20. *Hic eſt verus ille Deus & vita æterna.* Jud. v. 20, 21. *Vos autem dilecti, ſanctiſſima veſtra fidei ſuperſtruentes vos ipſos, per Spiritum Sanctum orantes, Vos ipſos in charitate Dei conſervate, exſpectantes miſericordiam Domini noſtri Ieſu Chriſti in vitam æternam.* Apocal. 1. v. 4, 5. & ſeqq. *Gratia vobis & pax à Qui eſt, & Qui erat, & Qui venturus eſt, & à ſeptem Spiritibus qui in conſpectu throni ejus ſunt, & à Ieſu Chriſto &c.* ubi per ſeptem Spiritus intelligitur unus ille Spiritus Sanctus effuſus per Chriſtum ad colligendum è toto mundo Eccleſiam cap. 5. verſ. 6. qui ſeptem, hoc eſt, multiplicibus & perfectiſſimis donis eſt efficax. Ex quibus teſtimoniis, aliiſque quæ præterimus innumeris, manifeſtiſſimum ac certiſſimum eſt, Doctrinam de Sacroſanctâ Trinitate, quam à Chriſto didicerant Apoſtoli, ipſorum miniſterio in omnibus Eccleſiis tam Judæorum, quam Gentium fideliter conſtanterque traditam, atque inſuper ſcriptis eorundem conſignatam eſſe. Ut Fides in Unum Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum ſit verè fides Apoſtolica, verè Catholica, per omnes Eccleſias recepta & approbata.

Hæretici quidam, vivis adhuc Apoſtolis contradixerunt.

Ab hâc fide maturè admodum, ſuperſtitibus adhuc ipſis Apoſtolis, ſuggeſtione Satanæ & impietate hæreticorum diſceſſum fuiſſe, ex ſcriptis eorum conſtat. Etenim Paulus Deitatem Filii ex profeſſo aſſerit & tuetur contra hæreticos, qui Angelos ſupra ipſum attollebant Hebr. 1. cap. Col. 1. v. 15, 16, 17. Johannes verò non tantum ſcripſit Euangelium contra hoſtes Trinitatis ac Deitatis Chriſti cap. 1. & paſſim, inprimis cap. 20. verſ. 31. ſed in Epiſtolis quoque apertè eos perſtringit, & acri cenſurâ notat 1 Epiſt. 2. v. 22, 23. *Quis eſt mendax, niſi qui negat Ieſum eſſe Chriſtum illum? hic eſt Antichriſtus, qui negat Patrem & Filium. Quiſquis negat Filium, nec Patrem habet; qui agnoſcit Filium, etiam Patrem habet.* 2 Epiſt. v. 9, 10. *Quiſquis tranſgreditur, nec permanet in doctrinâ Chriſti, Deum non habet; qui manet in doctrina Chriſti, hic & Patrem & Filium habet. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, ne recipite eum domum, neque Ave ei dicite.* At quinam iſti fuerint, qui ἀνωνύμως deſignantur,



Digitized by Google

gnantur, ex hiſtoriâ Eccleſiaſticâ illius temporis eſt cognoſcendum. Docet illa horum omnium principem ac patrem fuiſſe *Simonem Magum*, primum illum inter Chriſtianos hæreticum Actor. 8. qui ut in ipſo exordio exorientis Euangelii omnes partes religionis Chriſtianæ corrumpere conatus eſt, ita præ cæteris doctrinam de Deo portentoſis commentis depravavit. Irenæus lib. 1. cap. 20. & 30. Euſebius lib. 2. Hiſtoriæ Eccleſiaſt. cap. 12. Epiphanius hæreſi 1. Auguſtinus de hæreſibus cap. 1. & lib. 2. contra adverſarios legis & Prophetarum cap. 12. Dogmata ejus erant: Se eſſe Unum illum ac verum Deum, qui Patriarchis & V. T. fuiſſet ignotus. Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum diverſa tantum eſſe ejuſdem Perſonæ nomina, pro diverſâ operatione, non diverſas hypoſtaſes: ſeque unum & eundem eſſe, inter Samaritanos Patrem, inter Judæos Filium, inter Gentes Spiritum Sanctum. Quanquam parum ſibi conſtans, & ſcortum ſuum, quod Irenæus Helenam, Euſebius autem Selenam nuncupat, jactitavit ipſiſſimum eſſe Spiritum Sanctum. Quum autem paſſim, & maximè Romæ, præſtigiis magicis faſcinaſſet vulgus, adeo ut in Campo Martio ſtatua ei collocaretur cum hâc inſcriptione: *Simoni Sancto Deo*: & in artis ſuæ experimentum etiam per aërem volare conaretur, ſubitò delapſus fracto crure miſerrimè periit, vulgi fabula factus: ut præter Juſtinum Martyrem Tertullianus teſtatur in Apologiâ cap. 18. & Arnobius contra Gentes lib. 2. itemque Epiphanius hæreſi 1. Atque huc, ſi Baronio credimus, ſpectat Suetonius in Nerone, cap. 12. cum ita ſcribit: *Icarus primo ſtatim conatu juxta Neronis cubiculum decidit, ipſumque cruore reſperſit*. Ab hoc Simone proſati ſunt cæteri hæretici: *Menander* qui Deitatis gloriam à Simone Magiſtro in ſe derivavit, ac non niſi in ſuum nomen adminiſtrari baptiſmum voluit: Epiphanius hæreſi 2. & Auguſtinus de hæreſ. cap. 2. *Saturninus* item, qui alium Judæorum Deum, alium Chriſti Patrem ac Chriſtianorum Deum eſſe docuit; Trinitatem autem Perſonarum divinarum negavit: & utroque famoſiores Cerinthus & Ebion. *Cerinthus*, gente Judæus & circumciſus, ſummum Deum Unum perſonâ ſtatuit: Chriſtum Deum aut Filium Dei eſſe inficiatus eſt: quin & Angelis minorem fecit, quos tanquam naturæ opifices prædicabat: interim cæteris hominibus profectu virtutis, non naturâ, ſuperiorem eſſe fatebatur. Eadem *Ebionis* Samaritani, qui tamen pro Judæo ſe geſſit, fuit hæreſis: Epiphanius hæreſi 8. & 10. Auguſtinus ibidem eodem numero. Contra utrumque Johannes Euangeliſta ſcripſit Euangelium. Et memorabile eſt, quod ex narratione Polycarpi referunt Irenæus lib. 3. cap. 3. & Euſebius lib. 4. Hiſtor. Eccleſ. cap. 14. Nimirum, quod Epheſi in bal-

Period. I. artic. I. autore Simone Mago.

Succeſſerunt Menander.

Saturninus.

Cerinthus.

Ebion.

neum

Period. I. artic. I. neum lavandi cauſâ ingreſſurus Johannes, poſtquam illic eſſe Cerinthum audivit, abiit locum exſecratus; adjecitque vereri ſe, ne balneum ipſum concideret, in quo tantus hoſtis veritatis laviſſet. Egreſſo Johanne, domus ſtatim collapſa, Cerinthum & turbam univerſam oppreſſit. Reliqua quæ huc adferri poſſent, rejicio in *Articulum Secundum*; quo etſi Fides & Confeſſio Eccleſiæ primitivæ ætatem Apoſtolorum ſecutæ, vel ex ſolo Symbolo Apoſtolico demonſtrari poteſt, quod diſerte credere docet in Unum Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum; tamen quia Neo-Samoſateniani inſigni impudentiâ negant, doctrinam de Sacroſancta Trinitate à Patribus, qui ante Concilium Nicenum vixerunt, traditam fuiſſe, utpote quæ Concilii iſtius novitium ſit commentum: omninò Patrum de hoc myſterio conſenſus, ac univerſè orthodoxa de Deo Uno Eſſentia & Trino perſonis ſententia ex ſcriptis eorum colligenda ac proponenda eſt. Sequemur autem ordinem ſeriemque temporis, quo ſinguli floruerunt in Eccleſiâ & ſcripſerunt.

Artic. II. Doctrinam de Deo Uno ac Trino tradiderunt

Ignatius. Ignatius Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus, diſcipulus verò Johannis & martyr Chriſti, in Epiſtolâ ad Philippenſes ita loquitur: *Unus eſt Deus & Pater, non duo, neque tres. Unus eſt neque alius præter ipſum, ſolus & verus. Dominus enim inquit, Deus tuus, Deus unus eſt. Eſt & unus Filius, Verbum Deus, Unus autem & Paracletus: Unus enim inquit & Spiritus. Ideo & Dominus præcepit, ut baptizarent in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti, non in unum trinominem, neque in tres incarnatos, ſed in tres ejuſdem honoris.* In epiſtolâ ad Philadelphenſes: *Si quis dicat Unum eſſe Deum, & confiteatur Ieſum Chriſtum, ſed eundem nudum eſſe hominem putet, non autem Deum unigenitum, Sapientiam & Verbum Dei; hujuſmodi ſerpens eſt, fraudem & errorem prædicans.* Rurſum in Epiſtolâ ad Antiochenos. *Abjicite omnem Gentilem & Iudaicum errorem, ut nec multitudinem introducatis Deorum, nec prætextu unius Dei negetis Chriſtum.* item: *Omnis qui annunciat Unum & ſolum Deum, ut tollat Chriſti divinitatem, is eſt diabolus & hoſtis omnis juſtitiæ.*

Polycarpus. Polycarpus Epiſcopus Smyrnenſis, & ipſe auditor Iohannis, exemplo ipſius ſolitus eſt aures obſtruere, ſi quando impias hæreticorum voces audiret, loca etiam vitare quaſi polluta, in quibus illæ dictæ fuerant: teſte Irenæo. Hujus confeſſio expreſſa eſt apud Euſebium lib. 4. Hiſtor. Eccleſ. cap. 15. ultimâ precatione quam inter ipſas martyrii flammas recitavit: *Deus Pater dilecti Filii tui Ieſu Chriſti, per quem cognitionem tui accepimus, conditor univerſæ creaturæ, te invoco, te confiteor, Verum eſſe Deum, te glorifico per Ieſum Chriſtum dilectum filium tuum, Pontificem æternum; per quem tibi cum eo, in Spiritu Sancto gloria & nunc, & in futura ſecula, Amen.*

Juſtinus Martyr. Iuſtinus, Philoſophus & Martyr, apologiâ ſecundâ, quæ eſt ad Antoninum Imperato-

peratorem, ita fidei ſuæ rationem ediſſerit: *Profitemur nos talium, qui habentur, Deorum expertes eſſe & alienos à Diis: ſed non à veriſſimo illo Deo, Patre juſtitiæ & caſtitatis, & virtutum aliarum. Verum hunc ipſum, & Filium, qui ab eo venit, & Spiritum Propheticum colimus & adoramus, cum ratione & veritate venerantes.* Et in Expoſitione Fidei: *Unus ergò revera eſt univerſitatis hujus Deus, qui in Patre, Filio, & Spiritu Sancto cognoſcitur. Cum namque ex ſubſtantiâ ſuâ Pater Filium progenuerit, atque ex eâdem Spiritum produxerit, jure optimo, quæ unam eandemque participant Eſſentiam, unâ eâdemque dignatur divinitate:* & poſt: *Unum nos convenit profiteri Deum, cujus eſt in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto notio: quâ quidem Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, unius Divinitatis exſiſtentias agnoſcentes: quâ verò Deus, exſiſtentiarum ſecundum naturam & eſſentiam, communionem intelligentiâ complectentes. Unitas namque in Trinitate intelligitur, & Trinitas in Unitate agnoſcitur.* Athenagoras Philoſophus Chriſtianus ad Antoninum Imperatorem; *Quis non miretur, nos qui Deum Patrem prædicamus, & Deum Filium, & Spiritum Sanctum, ita ut & Unionis eorum vim, & ordinis diſtinctionem exponamus, impios, & ſine Deo homines vocari.* item: *Illum duntaxat ducem ſequimur, quem utpote Deum cum Verbo ſuo cognoſcere optamus; ut quænam Filii ad Patrem ſit unio, intelligamus, quid Pater cum Filio communicet: quid ſit Spiritus: quæ unitas trium; quæ diſcretio Unitorum, Spiritus ſcilicet, Filii, & Patris.* Irenæus, diſcipulus Polycarpi, & Epiſcopus Lugdunenſis lib. 1. cap. 2. *Eccleſia ab Apoſtolis & eorum diſcipulis accepit fidem, quæ eſt in Unum Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cælum & terram, & maria, & quæ in eis ſunt. Et in Unum Ieſum Chriſtum, Filium Dei, incarnatum pro ſalute noſtrâ: & in Spiritum Sanctum, qui prædicavit per Prophetas.* lib. 3. cap. 6. *Neque igitur Dominus, neque Spiritus Sanctus, neque Apoſtoli eum, qui non eſſet Deus, definitivè & abſolutè Deum nominaſſent aliquando, niſi eſſet verus Deus; neque Dominum appellaſſent aliquem ex perſonâ ſuâ niſi qui dominatur omnibus, Deum Patrem & Filium ejus.* item: *Verè igitur cum Pater ſit Dominus, & Filius verè ſit Dominus, meritò Spiritus Sanctus Domini appellatione eos ſignavit.* Lib. 4. cap. 66. & 75. *Ex Scripturis ſemper eundem ſcimus Deum, ſemper idem Verbum Dei cognoſcimus, etiamſi nunc nobis manifeſtatum eſt; ſemper eundem Spiritum Dei cognoſcimus, etiamſi noviſſimis temporibus novè effuſus eſt in nos: conſtituiturque homo ad imaginem infecti Dei, Patre quidem benè ſentiente, Filio verò miniſtrante, Spiritu autem nutriente & augente.* Clemens Alexandrinus, diſcipulus Pantæni, & Eccleſiæ iſtius Preſbyter, lib. 3. Pædagogi ſub finem: *Laudemus Unum Patrem & Filium, unà cum Spiritu Sancto, qui unus eſt omnia, in quo omnia, & per quem omnia; qui eſt undequaque bonus, undequaque pulcher, undequaque ſapiens, undequaque juſtus:*

Period. I. artic. II.

Athenagoras.

Irenæus.

Clemens Alexandrinus.



Digitized by Google

Period. I. artic. II. ſtus: cui gloria nunc & in ſecula. Paſſim quoque in ſcriptis ſuis celebrat unam gloriam & majeſtatem trium Perſonarum, Patris, Filii, & Spiritus Sancti.

Tertullianus. Tertullianus, natione Afer, Romanæ Eccleſiæ preſbyter, lib. adverſus Praxeam: *Regula veritatis exigit, ut primò omnium credamus in Deum Patrem. Eadem docet, nos credere poſt Patrem etiam in Filium Dei, Chriſtum Ieſum, Dominum Deum noſtrum, ſed Dei Filium, hujus Dei, qui & unus & ſolus eſt, conditor rerum omnium. Eadem fidei autoritas poſt hæc docet nos credere in Spiritum Sanctum.* Item: *Oeconomia Sacramentum Unitatem in Trinitatem diſponit, tres dirigens, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Tres autem non ſtatu, ſed gradu: nec ſubſtantiâ, ſed formâ; nec poteſtate, ſed ſpecie. Unius autem ſubſtantiæ, & unius ſtatus, & unius poteſtatis: quia unus Deus, ex quo & gradus iſti, & forma, & ſpecies, in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti.* Hoc loco Oeconomiam vocat Tertullianus, rationem Deitatis in ſe, & inter perſonas ejus: gradum verò dicit ordinem Perſonarum, formam Perſonalitatem, ſpeciem individuum ſeu Perſonam.

Origenes. Origenes Adamantius, Catechiſta & Preſbyter Alexandrinus, lib. 7. in epiſt. ad Romanos, exponens cap. 9. *Miror,* inquit, *quomodo quidam legentes, quod Apoſtolus dicit; Unus Deus Pater, ex quo omnia; & unus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia; negent Filium Dei Deum debere profiteri, ne duos Deos dicere videantur. Et quid de hoc loco Apoſtoli facient, in quo apertè Chriſtus ſuper omnia Deus eſſe perſcribitur? Sed quid non advertunt, qui hæc ita ſentiunt; quod ſicut Dominum Ieſum Chriſtum non ita Unum eſſe Dominum dixit, ut ex hoc Deus Pater non eſſe Dominus dicatur: ita etiam Deum Patrem non ita Unum eſſe Deum dixit, ut Dei Filius non credatur Deus. Unus autem uterque eſt Deus.* Iterum aliquanto poſt: *Qui autem eſt ſuper omnes, ſuper ſe neminem habet: non enim poſt Patrem Filius, ſed de Patre.* Tandem verò Origenes ſubjicit. *Manifeſtò oſtenditur natura Trinitatis, & ſubſtantia una, quæ eſt ſuper omnia.*

Gregorius Thaumaturgus. Gregorius Thaumaturgus, Neocæſarienſis Epiſcopus, in Confeſſione fidei, quæ exſtat apud Euſebium lib. 7. cap. 26. & apud Gregorium Nyſſenum in oratione de hoc Gregorio: *Unus,* inquit, *Deus, Pater Verbi viventis, Sapientiæ ſubſiſtentis, & imaginis ſuæ, perfectus perfecti genitor, Pater Filii Unigeniti. Unus Dominus, ſolus ex ſolo, imago Patris, Verbum efficax, Filius verus veri Patris, & inviſibilis ex inviſibili, ſempiternus ex ſempiterno, immortalis ex immortali. Unus Spiritus Sanctus, ex Deo ſubſtantiam habens, qui per Filium apparuit ſanctificans, & per quem Deus ſuper omnia & in omnibus agnoſcitur.* item: *Trinitas perfecta majeſtate, æternitate, & regno minimè dividitur.*

Dionyſius Alexandrinus. Dionyſius Alexandrinus, citante Athanaſio tomo I. epiſtolâ de ſententiâ Dionyſii contra Arrianos: *Patrem cum dico, etiam ſine mentione Filii,*

*Filium,*

Digitized by Google

***Filium*, *ſub Patris vocabulo indicatum volui. Contra ſi in mentione Filii Patrem omiſiſſem, tamen ille ſub nomine Filii intelligi debuit. Spiritus Sancti mentionem feci, ſed ita ut pariter adjungerem, undenam ille & per quem venerit. Sed iſti ignorant Patrem à Filio alienari non poſſe, & ſub Patris vocabulo primarium conjunctionis autorem contineri, & Filium à Patre quaſi domicilio diſgregatum non eſſe; eò quod Patris vocabulum hanc communionem indicet; & in Patris Filiique manibus eſſe Spiritum Sanctum, ſed ita ut neque à mittente, neque à ferente ſegregetur.* Idem paulò poſt addit: *Hoc ſcilicet pacto Unitatem, quæ indiviſibilis, in Trinitatem dilatamus; & Trinitatem, quæ deminui non poteſt, in Unitatem conſummamus.* Cyprianus Epiſcopus Carthaginenſis, tractatu de vanitate idolorum: *Unus omnium Dominus eſt Deus. Neque enim ſublimitas illa poteſt habere conſortem, cum ſola omnem teneat poteſtatem. Hic univerſa, quæcunque ſunt, Verbo jubet, ratione diſpenſat, virtute conſummat. Hic videri non poteſt, viſu clarior eſt; nec comprehendi, tactu purior eſt; nec æſtimari, ſenſu major eſt.* Et de Trinitate ad Jubajanum lib. 3. epiſt. 9. *Chriſtus inſtituens Baptiſmum, inſinuat Trinitatem; cujus Sacramento gentes baptizarentur.* Rurſum: *Non ignoramus Unum Deum eſſe, & Unum Chriſtum eſſe Dominum, quem confeſſi ſumus; & Unum Spiritum Sanctum.* item: *de Patre, Filio, & Spiritu Sancto ſcriptum eſt, Et tres unum ſunt.* Lactantius Firmianus lib. 4. divinarum Inſtitutionum cap. 29. *Deum Patrem & Filium non diverſum dicimus, neque utrumque ſecernimus; quia nec Pater ſine Filio poteſt, nec Filius à Patre ſecerni: ſiquidem nec Pater ſine Filio nuncupari, nec Filius poteſt ſine Patre generari. Cum igitur & Pater Filium faciat, & Filius Patrem: una utrique mens, unus Spiritus, una ſubſtantia eſt: Sed ille quaſi exuberans fons eſt, hic tanquam defluens ex eo rivus; ille tanquam Sol, hic quaſi radius à Sole porrectus, &c.* Ex quibus omnibus luce meridianâ clarius eſt ab exceſſu Apoſtolorum ad Conſtantinum Magnum & Concilium uſque Nicenum, hoc eſt, toto ſecundo Articulo, Doctores Orthodoxos in Eccleſiâ non aliud genus doctrinæ de Deo tradidiſſe, quam quod ipſi Apoſtoli voce pariter ac ſcripto propoſuerunt. Sed *Hæretici* hujus temporis longè audacius ac inſolentius inſurrexerunt contra hunc conſenſum, & tam Unitatem Eſſentiæ divinæ, quam Trinitatem Perſonarum furioſe oppugnarunt. Non producam univerſos; ſunt enim propè innumerabiles, ſed qui Principes fuerint, ac majorem duxerint familiam, recenſebo. Primi ſunt *Gnoſtici*, ex Saturnianis, Baſilidianis, & Carpocratianis conflati, quorum repudiatis nominibus ab excellentiâ cognitionis novum ſibi nomen arrogarunt. Hi ſtatuerunt Unum quendam ingenitum Patrem, & virtutem ſummam, à quâ angeli, archangeli, virtutes & poteſtates ſint productæ, ceu Dii ſecundarii, Patre illo multò inferiores: à

Period. I. Eccleſiaſtic. II.

Cyprianus.

Lactantius.

Hæretici doctrinam de Deo Uno oppugnarunt,

Gnoſtici.

Periód. I. artic. II.

quibus Mundus hic conditus fuerit. Baſilidiani Deum illum Abraxas barbaro vocabulo nominarunt: propterea quod id vocabulum Græcis ſcriptum literis 365 denotaret, quot ipſi cœlos creatos fuiſſe contendebant. Sunt deinde *Valentiniani*, à Valentino Ægyptio, Philoſopho Pythagorico & Platonico, denominati ac propagati. Is longam contexuit fabulam, de triginta Æonum, tanquam Deorum, generatione. Finxit enim duo rerum principia, βύθον καὶ σιγὴν, *Profundum & Silentium*; quam primam συζυγίαν αἰώνων appellavit: ac Profundum quidem dixit eſſe Patrem, & Silentium matrem. Ex eorum conjugio prodiiſſe docuit Νοῦν καὶ Ἀλήθειαν *Intellectum & Veritatem*, ſecundam videlicet αἰώνων συζυγίαν, & hanc in honorem Patris protuliſſe octo Æonas. De Intellectu autem & Veritate proceſſiſſe Λόγον καὶ ζωὴν *Verbum & Vitam*, tertiam συζυγίαν, & ab hâc prolatos eſſe Æonas decem. De Verbo & Vitâ proceſſiſſe *Hominem & Eccleſiam*, quartam συζυγίαν, & hanc protuliſſe Æonas duodecim: Ex quibus tandem in unum collectis, Æones triginta exſurgant. Quæ nugæ ex Heſiodi Theogoniâ potius, quam ex Scripturis divinis in Theologiam traductæ ſunt. Poſt Valentinianos *Cerdoniani* ac *Marcionitæ*, Cerdonis præceptoris ac Marcionis diſcipuli impietatem ſecuti, duos Deos, ceu duo principia conſtituerunt: Unum Superiorem, Deum, bonum, clementem & miſericordem, Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti: alterum Inferiorem, rigidum & ſævum, mala omnia ſeverè vindicantem. Et Hunc quidem Judæis jampridem notum fuiſſe aſſeverabant: Illum alterum verò ante promulgationem Euangelii planè fuiſſe ignotum contendebant. Ex his poſtea, autore Manete Perſa, nati ſunt *Manichæi*; qui duo rerum omnium principia inter ſe contraria, coæterna tamen commenti ſunt, iiſque rerum contrariarum effectiones attribuerunt: bono Principio, quod Deum & Lucem nominabant, bonarum: malo autem, cui Materiæ nomen indebant & Tenebrarum, rerum malarum. Alii hæretici Trinitatem perſonarum, ac Chriſti Deitatem apertè negarunt. *Noëtiani*, ac *Sabelliani* docuerunt, Unam tantum eſſe in Deitate perſonam; ac Trinitatem nominibus, non ὑποστάσει diſtingui. Itaque Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum unius ejuſdemque perſonæ eſſe nomina: quæ ſit viſibilis & inviſibilis, mortalis & immortalis, patibilis & impatibilis. In cœlo Deum Patrem appellari, in terris Filium, in viribus creaturarum Spiritum. *Samoſateniani*, Paulum Samoſatenum Epiſcopum Antiochenum ſecuti, contenderunt Chriſtum merum eſſe hominem, non perſonam Deitatis: Deum autem eſſentiâ ac perſonâ unum: λόγον non eſſe diſtinctum à Patre hypoſtaſi, ſed ita dici decretum Patris de mundo creando, & Chriſto homine peculiaribus donis inſtruendo

Valentiniani.

Cerdoniani & Marcionitæ.

Trinitatem autem negarunt Noëtiani & Sabelliani.

Samoſateniani.

ad

ad exſequendum munus, cui deſtinatus erat: Chriſtum appellari Deum propter παράςασιν ſive aſſiſtentiam, & Deum in Chriſto non aliter habitaſſe quam in aliis prophetis, nempe citra communionem ejuſdem eſſentiæ. Ipſe Paulus diu partim texit, partim involvit ſuum errorem; deinde ab Epiſcopis vicinis monitus, ſententiæ mutationem promiſit; tandem in Synodo Antiochenâ, à Malchione preſbytero convictus, damnatus fuit. Cum verò Epiſcopatu cedere recuſaret, Imperator Aurelianus, licet Ethnicus, ab Eccleſiâ interpellatus, ipſum ejecit. Hæc verò omnia, quæ de hujus articuli hæreſibus dicta ſunt, prolixè deſcribuntur à Juſtino Martyre, Clemente Alexandrino, Tertulliano, Euſebio, Epiphanio, Auguſtino, Theodoreto, aliiſque ſcriptoribus diverſorum temporum, qui conſulendi ſunt. Poſt Hæreticos de Iudæis quoque & Gentilibus dicendum eſt hoc ſecundo articulo. *Iudæi* inde ab ætate Apoſtolorum & deinceps trifariam diſtingui poſſunt: ut ex Actis Apoſtolicis obſervavit Petrus Galatinus lib. 1. de arcanis Catholicæ veritatis cap. 4. Quidam enim ad fidem Chriſti converſi, & Chriſtiani facti ſunt, quod oracula Prophetica in Chriſto impleta eſſe agnoſcerent. Actor. 6. v. 1, 7. & deinceps. Ex quorum ordine celebres ſunt, Gamaliel iſte ſenex, cujus gnomæ maximæ ſunt apud Talmudiſtas autoritatis: Rabbi item Haccanas Nehumiæ filius, qui cum dicta factaque Chriſti retuliſſet, ſubjicit: *Ego Haccanas ſum unus ex illis, qui credunt in eum, & ablui me aquis ſanctis, in ejuſque viis rectis incedo.* Hi, præter Unitatem Eſſentiæ, Trinitatem Perſonarum divinarum, ac communem Chriſtianorum confeſſionem defenderunt, & jure merito *Iudæi Chriſtiani* dicuntur. Alii cum Euangelio Chriſti Legem Moſis, & cum fide opera copularunt, Actor. 15. cap. & ad Galatas totâ epiſtolâ. Meſſiam tamen, à Prophetis promiſſum, Jeſum eſſe crediderunt. Ex his orti ſunt Cerinthiani & Ebionitæ, qui ut Deitatem Chriſti, ſic Trinitatem perſonarum divinarum negarunt. Atque iſti ſunt *Iudæi Hæretici*. Rurſum alii ſunt, iique plurimi, & poſt gentis Iudaicæ juſtam abdicationem prope univerſi, qui Chriſtum nec Meſſiam, nec Deum aut Dei Filium eſſe agnoverunt; nec Trinitatem Perſonarum in unâ eademque eſſentiâ admiſerunt; quin potius blaſphemè oppugnarunt: idque potiſſimùm argumento ab unitate eſſentiæ divinæ: ratiocinantes, quia unus ſit Deus, ac præter ipſum nec ſit, nec poſſit eſſe alius tribus diſtinctis perſonis non ſubſiſtere. Hi ſunt *Iudæi Infideles*, qui ubique contradixerunt doctrinæ Apoſtolorum, directè quoad Chriſtum Meſſiam, obliquè quoad Trinitatem. Quæ controverſia mota primum ipſi Chriſto Iohan. 5, 8, 10. capp. inde Apoſtolis, 1 Iohan. 2. v. 22, 23. 2 Iohan. v. 9, 10. ex profeſſo poſtea tractata eſt, aſſerentibus

Period. I. artic. II.

Judæi triplices.

Chriſtiani.

Hæretici.

Infideles.



Digitized by Google

Period. I. artic. II.

Iudæis: Chriſtianos tres Deos colere, ac pluralitatem Deorum, toties damnatam in Scripturis invehere. Sed depravarunt orthodoxam Chriſtianorum doctrinam, eamque blaſphemarunt. Refelli autem poſſunt non tantum ex Scripturis Vet. T. quæ Canonicæ ipſis, & hanc fidem magno conſenſu docent, ſed etiam ex ſcriptis Talmudicis, in quæ congeſta ſunt veterum Rabbinorum de Trinitate teſtimonia: quæ inveniuntur apud Galatinum lib. 2. cap. 1. & ſeqq.

Gentiles πολυθείαν ad unum Deum revocarunt.

*Gentiles* Philoſophi ac Sacerdotes uti oppugnarunt fidem ac religionem Chriſtianam de Deo triuno, ita dogmata ſua ac commenta de Deo contra Chriſtianos magnâ contentione defenderunt. Cum enim objiceretur ipſis infinita multitudo Deorum, multiplex confuſio, dubius ortus, fabuloſa, fœda, atque ſcelerata acta; prout apud hujus ætatis Scriptores Eccleſiaſticos Juſtinum Martyrem, Clementem Alexandrinum, Origenem, Tertullianum, Arnobium, Lactantium, alioſque videre eſt: ipſi ut amolirentur hoc probrum, oſtenderunt ſe Unum ac ſummum Deum conditorem univerſi ac moderatorem agnoſcere, venerari & colere. Hoc paſſim inculcat Plutarchus libellis de Iſide & Oſiride, de defectu oraculorum, de tranquillitate animi, de quæſtionibus Platonicis, & alibi; Deum *omnium Patrem & opificem* nuncupans, *qui mundum condiderit, tanquam hoſpitium hominibus & Diis commune, qui ſolus ſit adorandus.* Proclus verò in Theologiâ Platonicâ *Regem omnium, Deum unicum* vocat, *qui & ſeparatus ſit ab omnibus, & omnia nihilominus ex ſe producat: qui etiam eam Deorum ſubſtantiam crearit, cui aliqua boni ſpecies ineſſe videtur.* Quin in libro de animâ viam docet, quâ à multis multitudinibus ad ſuperſtantialem Unitatem pervenitur; quam vocat *naturam ſubſiſtentem in æternitate, Vivam & vivificantem vitam, & omnis boni fontem.* Simplicius in Epictetum Arriani eodem modo loquitur: *Omne pulchrum à primâ & divinâ pulchritudine, omne verum à divinâ veritate, omnia principia ab uno principio: quod eſt Deus univerſorum cauſa prima, Deus Deorum, & bonitas bonitatum.* Plotinus, quem Apollo vivum in Sapientum, defunctum in Deorum numerum retulit, totus ferè in eo eſt, ut divinam Dei unitatem explicet & inculcet. Quæ etiam Porphyrii, diſcipuli Plotini, ſententia eſt, atque doctrina. Ut alios innumeros taceam, qui Unitatem Eſſentiæ divinæ pariter agnoverunt & venerati ſunt. Quod autem nihilominus multitudinem penè infinitorum Deorum ac Dearum docuerunt, ac cum vulgo hominum coluerunt, hæc cauſa eſt, quod cum obſervarent Unius Dei eſſentiam, utpote immenſam, nec ullis limitibus circumſcriptam, virtutem ejus ubique præſentem, &

πολυθείας retentæ cauſæ.

innumerabilem beneficiorum divinorum varietatem non poſſe uno contuitu ſimul comprehendi, doctrinam de Uno Deo captui hominum & vul-

& vulgi attemperandam judicarunt. Primò igitur Deum ſecundum diverſas virtutes, & operationes, quaſi per partes colendum eſſe exiſtimarunt, & earum ſingulis Deorum nomina attribuerunt. Quare eam partem ſinguli coluerunt tanquam Deum, cujus ſe ope indigere & conſervari ſenſerunt, & tamen omnibus Unicam illam Eſſentiam æternam, omnis boni fontem, ſignificari dixerunt. Attici dediti ſtudiis doctrinæ & ſapientiæ, Palladem coluerunt, hoc eſt, mentem divinam, fontem omnis ſapientiæ & artium bonarum. Romani gerentes bella coluerunt Martem, Deum, in cujus manu poſita eſt victoria in bellis. Siculi habentes agros uberrimos, felicem proventum frugum à Cerere & Proſerpinâ, id eſt, ab illâ æternâ & beneficâ mente ſe petere jactitarunt. Thebani vinearum ubertatem expetentes, Bacchum celebrarunt. Sic virtutes ſingulæ Deorum nominibus indigitatæ, ecu perfectiſſimi Numinis dona & munera. Hic unus fons eſt monſtroſæ multitudinis Deorum, & cultuum idololatricorum. Alter eſt, quod rebus in naturâ præcipuis, & maximas generi humano utilitates afferentibus, Deorum nomina attribuerunt. Sol Apollinis & Phœbi nomine ſignificatus: Luna dicta eſt Diana: Æther ſeu Cœlum Jovis nomen accepit: Aër cognatus ætherex & cœleſti naturæ, ceu Jovis ſoror & conjux, appellatus eſt Juno: Mare Neptunus: Ignis Veſta: Terra fons omnium divitiarum Plutus, & mater frugum Ceres: Tempus omnia conſumens, Saturnus. Et ſic quæcunque propemodum generi humano commodum inſigne afferunt creaturæ, in partem Deitatis vocatæ fuerunt. Tertius eſt, quod Angelos & Homines, tanquam ad Imaginem Dei conditos, & inſtrumenta inſigniora providentiæ divinæ, in divorum numerum retulerunt. Angelos bonos Deos dixerunt, malos Dæmonas, utroſque inviſibiles Dei miniſtros: de quibus multa Platonici, & inprimis Plotinus. Homines autem non vivi, ſed mortui, eodem divinitatis honore affecti: & quidem partim Reges & Principes, de ſuis ſubditis ac reliquo genere humano bene meriti; partim alii viri, eximiâ doctrinâ, virtute, & fortitudine bellicâ ſpectati; ſicut Cicero inquit: *Augendæ virtutis gratiâ, virorum præſtantium memoriam, honore Deorum immortalium eſſe conſecratam.* Ita Saturnus, Jupiter, Hercules, Liber, Æſculapius, Caſtor & Pollux, Apollo, Mercurius, homines fuerunt: Quorum memoriam ut amici, & liberi, ac poſteri grati conſervarent, ſimulachra eorum finxerunt, & defunctos certis ritibus quotannis ut Deos coluerunt. Quin & creſcente ſuperſtitione non modo ipſos ut opitulatores, ſed etiam ſtatuas eorum venerati ſunt. Hi ſunt tres fontes πολυθεΐας & ſuperſtitionis Gentilis: primus Ethicus, Dei proprietates & virtutes ſpectans; alter Phyſicus, Period. I. artic. II.

res

Digitized by Google

Period. I. Artic. II. res naturales; & tertius Hiſtoricus, res ab hominibus geſtas complectens, & ſub involucris fabularum proponens. Quos omnes licet ad Unum deducerent Deum, & totam illam multitudinem reſolverent in Unum Deum, cœli terræque conditorem ac moderatorem, tamen Unitatem veri Dei diſtraxerunt, & creaturas in locum Dei Creatoris ſubvexerunt, iiſdemque nomen ac venerationem veri Dei tribuerunt. Atque hoc eſt quod de ipſis pronunciat Apoſtolus Rom. 1. v. 22. & ſeqq. De hâc Theologiâ Gentilium conſulantur Auguſtinus, in libris de Civitate Dei, Eugubinus libro de perenni Philoſophiâ, Natalis Comes lib. 8. Mythologiæ in præfatione, & lib. 10. Trinitatis veſtigia quædam, ſed obſcura & involuta reliqua fuerunt ex Philoſophiâ Pythagoricâ & Platonicâ, etiam hâc ætate. Nonnulli quidem, ſecuti Numenium Pythagoræum, tres Deos nominant, ſed id Plotinus de tribus hypoſtaſibus interpretatur, Ennead. lib. 1. & 3. *Sunt*, inquit, *tres primariæ hypoſtaſes, Unus ſeu Bonum, Mens ſive Intellectus, & Anima mundi. Nec de his, niſi implorato Dei auxilio, & ſedatâ mente loquendum.* Intellectum λόγον vocat, *quem gignat Deus exuberantiâ ſuipſius: quo fit, ut Intellectus genitus à gignente multum in ſe retineat, & habeat ad illum eam ſimilitudinem, quam lux ad Solem. Animam* autem *mundi* vocat *imaginem Intellectus, quæ omnibus viventibus vitam inſpiravit; quæ Solem, ſtellas, ac cœlum regit, &c.* Porphyrius lib. 4 de vitâ Plotini: *Plato*, inquit, *docet, à Bono, hoc eſt, à primâ hypoſtaſi, modo hominibus plane incognito, Mentem ſeu Intellectum gigni, eumque ſecundum ſeipſum totum ſubſiſtere.* Et alibi: *Eſſentia Dei ad tres uſque hypoſtaſes porrigitur. Eſt enim Deus ſupremus, qui proprie bonus; poſt eum Secundus, qui opifex univerſi, & Tertius Anima Mundi.* Quibus verbis tres quidem Deos ſtatuit, tamen, cum alibi unam eandemque eſſentiam agnoſcat, diverſitatem in ordine & functionibus ſolùm conſtituere videtur. Sed non perſequemur ea fuſius; cum conſtet eſſe tantum tenues umbras ex obſcurata luce naturæ, & traditionibus depravatis Sacerdotum ac Philoſophorum: myſterium autem ipſum Sacroſanctæ Trinitatis, ut proprium eſt Chriſtianorum κειμήλιον, ſic ex divinis tantùm literis cognoſci & explicari poſſe. Quod tamen ſuccedente *Tertio Articulo* mirificè illuſtratum, & longè lateque propagatum eſt. Cauſa duplex notari poteſt ex hujus temporis hiſtoria. Una, quod cum pax redderetur Eccleſiæ à ſæviſſimis perſecutionibus, idque imperio & beneficio Conſtantini Magni; ſancti Martyres, Confeſſores & Doctores Eccleſiæ, uti ad alia capita doctrinæ religionis, ſic ad palmarium illud de Deo TriUno declarandum & confirmandum curas ſuas atque operam contulerunt, præſertim cum recens eſſet memoria controverſiæ Samoſatenianæ. Altera, quod

Trinitatis veſtigia apud Gentiles.

Artic. III. Doctrina de Deo Triuno confirmata occaſione tum pacis,

quod paulo poſt certamen longè gravius & funeſtius ab Arrio motum fuit; quod ut totam Eccleſiam implicavit, ita paſſim Doctores Orthodoxos excitavit, ut pro aſſerendâ veritate ſe magno zelo ipſi opponerent. Et quia hiſtoria eſt memorabilis, digna cognitione poſteritatis, ſeriem ejus ex Euſebio, Socrate, & Actis Synodi Nicenæ Gelaſii ordine, nec tamen nimis prolixè, referemus. *Arius* Afer ſeu Lybs, patre natus Ammonio, vixit anno à nato Chriſto 300. de quo narrant Scriptores illius ævi, ingenio fuiſſe verſuto, naturâ ſimulatrice, mimum ſanctimoniæ, in vitâ oſtentatorem, affabilem, comem, in diſputando arrogantem, ſua pertinaciter defendentem, & nova frequenter proferentem, oratione tumidum. His moribus multorum gratiam ſibi conciliavit Alexandriæ. Ubi Meletii initio errorem ſecutus, à Petro Epiſcopo Eccleſiæ reconciliatus, & in Diaconorum primùm, mox etiam Presbyterorum ordinem cooptatus fuit. Sed cum Petro per martyrium ſublato Achillas ſucceſſiſſet, & huic paucis poſt annis Alexander, Ario Epiſcopatum ambienti prælatus: hic indigniſſimè ferens repulſam, initio clam, mox palam prava quædam de Filio Dei dogmata ſpargere cœpit. Propoſuerat Alexander quæſtionem ex dicto Salomonis Prov. 8. v. 22. eamque ſic explicavit, ut doctrinam de Unitate Eſſentiæ & Trinitate Perſonarum divinarum ſublimius tractaret, quam ut intelligeretur. Hanc nactus oportunitatem Arius, de errore Sabellii, unam Deitatis perſonam aſſerentis, Alexandrum incuſat. Ipſe in diſtinctione Perſonarum Filium Dei contendit eſſe κτίσμα καὶ ποίημα, quod certi temporis habeat initium, & ſit organon creationis rerum propter nos conditum: non ejuſdem cum Patre eſſentiæ, neque ab æterno genitum: ſed ἐκ μὴ ὄντων, quod quodam tempore non exſtiterit. Et ut aſſenſores ſibi pararet, ædes circumiens Alexandriæ paſſim ſollicitavit familiares & notos, ex civibus, atque etiam ex Diaconis multos ſibi adjunxit: quin etiam hypocryſi & comitate decepit ſeptingentas virgines ſacras, quæ relictis ſuis Doctoribus & curiis hunc ſectabantur. Foris verò exterorum conventibus, ubi licuit, ſeſe ingeſſit: ignotos ſententias rogavit, ſimplices fictis querelis occupavit, ambitioſos judices inter ſe & Epiſcopum appellavit; ſingulorum ſe moribus aſtutè accommodavit. Alexander, placido vir ingenio, conatus eſt piis admonitionibus Arium flectere, & in viam revocare. Ita verò ferociorem reddidit hominem arrogantem, qui jam univerſam Ægyptum, Lybiam, & Thebaidem, quarum Eccleſiarum caput erat Alexandria, novâ de Eſſentiâ Filii Dei quæſtione turbaverat. Ideo Alexander coëgit Synodum centum propè Epiſcoporum, ac Arium pertinaciter defendentem ſuas blaſphemias à Presbyterio removit, & Eccleſiâ ejecit,

Period. 5. artic III. tum controverſiæ Arianæ.

Arii hæreſis.

Period. I. artic. III.

cit. Sed non ita exſtinctum fuit incendium. Diſceſſerunt enim ſtatim ab Eccleſiâ Alexandrinâ ſeptingentæ illæ Virgines, cum magnâ populi multitudine, ſeptem Presbyteris, & duodecim Diaconis. Arius verò non tantum in Ægypto, in quâ animum ipſi addebant ambitioſi Epiſcopi, diſputationum & argutiarum amadres, ſed in Palæſtinâ & Aſiâ, partim literis ſupplicibus, partim nunciis aſtutis complures Epiſcopos in caſtra ſua pertrahebat. Horum princeps erat Euſebius Nicomedienſis, condiſcipulus quondam Arii eodem in loco apud Lucianum Presbyterum & martyrem. Qui cum gratia valeret apud Imperatorem Conſtantinum, Nicomediæ frequenter verſantem, ubi paulò ante Diocletianus regiam collocarat; Arium, cui favebat & ſuffragabatur, adverſus Alexandrum defendit, partes judicis ſibi arrogat, & reſtitui Arium ſuæ Eccleſiæ flagitat. Hanc curioſitatem & ambitionem cum ſcripto publico notaſſet Alexander, irritatus hâc quaſi contumeliâ Euſebius, quibus poteſt artibus Arii ſtudia juvat. Sed & Meletiani ſe adjungunt Ario; qui cum Meletio autore contendebant, lapſos in perſecutione, etiamſi pœnitentiam agerent, non tamen in Eccleſia recipiendos eſſe. Imperator Conſtantinus conſternatus diſſidiorum atrocitate & pertinaciâ, Eccleſiæ ſuccurrendum ratus, Alexandriam ablegavit Oſium, clariſſimum eâ ætate martyrem, Cordubæ Hiſpaniarum Epiſcopum; qui controverſiam componeret, additâ epiſtolâ graviſſimâ, de non movendis diſputationibus non neceſſariis. Sed malum eò jam uſque invaluerat, ut ſic componi non poſſet. Quare Imperator Concilium univerſale indicit Niceæ, urbe Bithyniæ, A.C. 325. & Imperii ſui 16. atque eò ex univerſo orbe Chriſtiano convocat CCCXVIII. Epiſcopos: quorum treceenti Orthodoxi erant, ſeptendecim Ariani, & decimus octavus ipſe Arius: qui adfuit, & cauſam ſuam tum per ſe, tum per Philoſophos egit. Confeſſio Arii exſtat apud Athanaſium in diſputatione contra ipſum: *Credo*, inquit Arius, *in Unum Deum æternum, & Filium ejus quem ante ſecula creavit, ut Deus: Filiumque ſibi fecit, & quæcunque habet Filius, ea cum non haberet recepiſſe à Deo, atque ideò illum Patri non æqualem eſſe, neque ejuſdem dignitatis, ſed ut creaturam relinqui, & deficere à gloriâ Dei: eundemque minorem eſſe quantum ad potentiam Dei: Credoque in Spiritum Sanctum à Filio genitum.* Sed hæc mirificis dolis & technis palliabat. Cum enim initio docuiſſet Arius, Chriſtum non eſſe Deum, ſed creaturam: ab Orthodoxis autem convinceretur ex Scripturâ ut affirmare cogeretur, Chriſtum eſſe Deum: conceſſit hoc, ſed non alia ratione, quam ſancti Angeli & pii, Dii & filii Dei in Scripturâ nominantur. Deinde ulterius conceſſit eſſe Verum Deum de vero Deo; ſed occultavit virus, eſſe verum Deum factum à vero Deo:

Concilium Nicenum eum damnat.

quo-

Digitized by Google

quoniam omne factum Dei ſit verum. Hoc autem etiam dolo comperto, confeſſus eſt rurſus Chriſtum fuiſſe ante creationem omnium rerum: ſed non, ut Orthodoxi, coæternum æterno Patri, verum conditum ante omnes alias creaturas, & ante ſecula, & non tamen fuiſſe, priuſquam gigneretur. Cum rurſum oſtenderent Orthodoxi, per Filium Dei omnia eſſe condita, imò ajebat ſic, ut primo & ante omnia fuerit ipſe creatus, & deinde reliqua omnia per ipſum condita. Iterum cum dicerent, Filium Dei genitum eſſe non factum, conceſſit idem Arius, genitum intelligens eo modo quo omnes credentes ex Deo nati, & Filii Dei appellantur: non factum verò inter creaturas alias, factum tamen ante eas. Poſtremò cum Orthodoxi affirmarent, Chriſtum eſſe ὁμοούσιον, συναΐδιον, καὶ ὁμότιμον τῷ Πατρί: neque ἀΐδιον, neque συναΐδιον dicere voluit Filium Dei, multo minus autem ὁμοούσιον. Hæc de Filio. De Spiritu Sancto autem nihilo rectius ſentiebat; quem per ſummam blaſphemiam non verebatur appellare Creaturam Creaturæ: ab hanc ob cauſam δοξολογίαν uſitatam Eccleſiæ, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*; ſic pervertebat, *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto*. Eadem reliquorum ſociorum ejus ſententia fuit: ac diu multumque de eâ inter partes diſceptatum. Conduxerat Arius errorum ſuorum patronos, diſertos quoſdam Philoſophos; quorum unus victus vi veritatis, & quidem à ſimplice quodam viro, ſummam fidei ei proponente, ad Orthodoxos tranſiit: alius, Phœdon nomine, pertinacius obluctatus eſt. Diſputatione finitâ, omnium conſenſu ὁμουσία Patris & Filii & Spiritus Sancti aſſerta ac prædicata, ſeptendecim duntaxat Epiſcopis Arianis cum Ario contradicentibus, & blaſphema dogmata tuentibus. Eapropter ab universâ Synodo excommunicati ſunt. Tum Symbolum Nicenum conditum, & anathemate ſancitum: de quo alibi. Plerique ſocii Arii, reſipiſcentes ab errore reconciliati ſunt Eccleſiæ, & ſedibus ſuis reſtituti. Arius cum quinque aliis in exilium ejectus ab Imperatore, qui etiam mandavit, ut libri Arii & Arianorum (quos Porphyrianos ab impio Porphyrio deinceps nominari voluit,) igni traderentur. Sed & iſti, præter ſolum Arium, ſimulatâ pœnitentiâ, cum fidei ſuæ libellum Epiſcopis exhibuiſſent, Eccleſias ſuas receperunt. Ita Euſebius Nicomediam reverſus fuit: qui paulò poſt novarum turbarum autor exſtitit. Præterquam enim quod novas de voce ὁμουσίᾳ diſputationes movit contra Euſtathium Antiochenum; negavit inſuper ſe poſſe aſſentiri anathematiſmis, ſeu errorum Arii condemnationibus, quod aliam eſſe Arii ſententiam ex ſermonibus ipſius & epiſtolis cognoviſſet. Superſtes erat Conſtantino Magno ſoror Conſtantia, conjux Licinii, Presbyteri cujuſdam Ariani fraude

Period. I. artic. III.

Hæreſis reſtituta.



Digitized by Google

Period. I. artic. III. ſeducta: quæ moriens innocentiam Arii, nec non egregiam Presbyteri ſui pietatem ipſi commendavit. Mox & ipſe familiaritatem adeptus Imperatoris, petiit Arii innocentis rationem haberi, qui etiam Symbolo Niceno aſſentiatur, exulet autem calumniis adverſariorum oppreſſus. Sic deceptus Imperator, Arii pollicetur reſtitutionem, ſi fidem Nicenam amplectatur. Adeſt ſine morâ literis & vehiculis Imperatoris revocatus Arius: offert confeſſionem ita ſcriptam, ut ne ullam quidem mentionem faceret eorum, quorum causâ damnatus erat: Verba verò ex Sacris literis contexta, in utramque partem detorqueri cum poſſent, à credulo Imperatore non niſi in optimam partem accipiuntur: præſertim cum deliberato perjurio Arius rem confirmaret. Ex eo Conſtantinus ſtudere Ario ejuſque rebus haud obſcurè cœpit. Ariani audaciores facti, primo Athanaſium Synodo Cæſareenſi & Tyriâ calumniis Meletianorum è medio tollere tentant. Mox conventu Hieroſolymitano Arium hæreſi abſolvunt, & in communionem Eccleſiæ recipiunt: quod & Alexandriæ fieri mandant. Etſi verò aberat Athanaſius, Treviros in exilium deportatus, populus tamen Arium præſentem admittere renuebat. Inde igitur, fretus autoritate Euſebii Nicomedienſis, proficiſcitur Conſtantinopolim, ac illius Eccleſiæ communionem petit: imperat quoque Conſtantinus. Alexander Epiſcopus Orthodoxus obnititur; & humanâ ope deploratâ, jejuniis & precibus ad divinam confugit, in templo totâ nocte orans Deum, ut Eccleſiæ periclitanti ſuccurreret, Arium coërceret, vel ſaltem ſe prius è vitâ vocaret. Nec irritæ fuerunt preces. Nam Arius poſtridie, cum ab aulâ Imperatoris, magnâ ſtipante Euſebianorum catervâ, ad Eccleſiam contenderet, ſubitis alvi doloribus correptus, & in foro Conſtantini locum ſeceſſus quærens, viſcera ſimul cum excrementis effudit, A. C. 336. & poſt Synodum Nicenam undecimo. Non tamen ſic cum autore ſuo oppreſſa eſt hæreſis Ariana: cujus virulenta ſemina paulo poſt in lucem reducta, & latiſſimè ſparſa ſunt. Nam anno ſequente, mortuo Conſtantino, cum Filii ejus in Imperio ſucceſſiſſent, Conſtantinus Junior, cum fratre Conſtante, fidem Nicenam confirmavit, quin & Athanaſium ab exilio Alexandriam revocavit. Conſtantius verò, labe Arianâ infectus, cum mortuo Conſtantinopoli Alexandro, Arii antagoniſta, ſtudiis Orthodoxorum ſucceſſiſſet Paulus, ipſe obſecutus Arianis Nicomediâ evocat Euſebium, ſuperiorum incendiorum autorem, eumque Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ præfecit. Quâ re audentior factus Euſebius, cum plus jam gratiâ apud Imperatorem valeret, totum ſeſe ad labefactandum ὁμοούσιον, & Nicenum Concilium infirmandum convertit. Itaque Antiochiæ, ſpecie de-

dicandi

Digitized by Google

dicandi templi contractâ Synodo, Athanaſium abſentem in exilium denuò expellit, quod injuſſu Epiſcoporum ad ſuam Eccleſiam ſeſe recepiſſet. Tum etiam novas Confeſſionum formas (non quidem damnato, ſed arte neglecto Symbolo Niceno) conſcribit: quarum ſumma erat: *Confitendum eſſe unum Filium Dei unigenitum, qui fuit ante omnia ſecula, & unà cum Patre exſtitit qui illum genuerat.* Has Eccleſiis per aſſeclas ſuos obtruſit, & veteratoriâ fraude paulatim Arianas blaſphemias ſparſit & confirmavit. Noluit tamen Arium doctrinæ ſuæ agnoſcere magiſtrum, ſed ſententiæ ejus judicem ſe atque diſceptatorem profeſſus eſt: uſurpans ambitioſam hanc vocem: *Epiſcopos Presbyteri autoritatem ſequi haudquaquam poſſe.* Athanaſius exul Romam profugit ad Julium Epiſcopum, ibique ad tempus latuit. Alii Orthodoxi ſedibus ſuis pulſi à Conſtantio, in varia diſperſi ſunt. Non multo poſt circa A.C 347. rogatu Conſtantis & permiſſu Conſtantii, in Daciâ Mœſiæ actum eſt Concilium Sardicenſe, præſide Oſio Cordubenſi Epiſcopo, in quo repetita & confirmata ſunt decreta Nicena, Athanaſius & alii Epiſcopi extorres reſtituti, Ariani autem condemnati ſunt: & præter ipſos etiam *Photinus*, Sirmienſis Epiſcopus, qui interpolatâ hæreſi Samoſatenianâ contendebat; Filium nullo modo ante ſecula genitum fuiſſe, ſed ex Mariâ primum initium habuiſſe. Ariani, qui frequentes aderant, ad eludendum Synodi judicium, poſtulabant, ut Athanaſius Alexandrinus, & Paulus Conſtantinopolitanus, tanquam rei, Synodo excluderentur. Cum autem repulſam tuliſſent, juſtam ſeceſſionis datam ſibi cauſam dictitantes, Philippopolin Thraciæ abierunt, ibique Conſtantii auſpicio AntiSynodum celebrarunt, decreta ſua, Sardicenſibus contraria, vulgarunt ementito illorum nomine, multoſque vi adhibitâ, à Synodo Sardicenſi averterunt. Mortuo verò Conſtante Imperatore, cum totum jam Imperium ad unum Conſtantium devolutum eſſet, ipſum nimis facilem & credulum naturâ adulationibus, arctius ſibi devinxerunt, effeceruntque ut componendis religionis diſſidiis Synodus Sirmii indiceretur. Hîc reſciſſa ſunt decreta Sardicenſis Concilii, inprimis quod abſolviſſet Athanaſium; effectumque ut qui damnationi Athanaſii ſubſcribere renuerent, in exilium pellerentur. Ariani autem conciliandis aut mitigandis controverſiis tres fidei formulas protulerunt, in quibus miſſâ ὁμουσίῳ & ſubſtantiæ mentione, τὸ ὅμοιον amphibolon ſubſtituerunt, Filium Patri ſimilem dictitantes cum diſſimilitudinem aſſerere nondum auderent. Perſuaſerunt quoque Conſtantio levi hâc unius vocis mutatione Orientis & Occidentis Eccleſias nullo negotio conciliari poſſe. Sed ambiguæ flexibiles & fucoſæ ſententiæ in majora certamina exierunt.

Period. I. artic. III.

iterum condemnata in Concilio Sardicenſi, una cum Photino.

reſtaurata Conciliis Sirmienſi,



Digitized by Google

Period. I. artic. III. & Mediolanenſi.

Quod igitur ne ſic quidem convenire poſſet, Conſtantius rogatu Arianorum Concilium Orientalibus & Occidentalibus Epiſcopis Mediolani indixit A.C. 355. Hic Urſatius & Valens, tanquam Prothei & Vertumni, qui paulo ante Arianiſmum oblatis pœnitentiæ libellis deplorarant, denuò ad Arianos, multitudine & gratia Imperatoris ſuperiores, redierunt. Imperator, qui ipſe aderat, mandavit ut univerſi damnationi Athanaſii ſubſcriberent, & cum Arianis communionem inirent. Quod cum facere ſe per conſcientiam poſſe negarent, non pauci, iique præſtantiſſimi Eccleſiæ Doctores in exilium pulſi, ſimulque à diſputationibus & certaminibus ſubmoti ſunt. Interim Ariani Synodum Nicenam unius literæ adjectione corruperant, pro ὁμοούσιον ponentes ὁμοιούσιον, hoc eſt, quod Filius non eſſet unius cum Patre eſſentiæ, ſed ſimilis eſſentiæ. Et quanquam verè ſimilitudinem non concedebant, tamen præſtare putabant eam concedere, ut tollerent Unitatem: Deinde audaciâ provecti ἀνομοιούσιον aſſeruerunt, diſſimilitudinem ſubſtantiæ Patris & Filii ſtatuentes. Sozomenus lib. 3. addit: Conſtantium ab Arianis deceptum, cum dicerent: idem eſſe ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον; ſed illud dici de corporibus, hoc de rebus corpore vacantibus. Hâc fraude inventâ Ariani totum pene orbem Chriſtianum depravarunt. Contentiones tamen adeò imminutæ non ſunt, ut etiam augeſcerent indies. Nec enim ſolum Ariani ab Orthodoxis, (quos tum Catholicos appellabant,) diſſidebant, quod Orthodoxi Unitatem, Ariani ſimilitudinem prædicarent: ſed etiam ipſi Ariani à ſe invicem diſcrepabant, quod alii ſimilitudinem, alii diſſimilitudinem affirmarent. Quæ res cum anxium animi teneret Imperatorem, geminũ ſimul Concilium indixit, unum Ariminum Occidentalibus, alterum Seleuciam Orientalibus.

itemque Ariminenſi.

Arimini convenerunt quadringenti, & in his trecenti & viginti Catholici, octoginta Ariani; quorum princeps Valens, juſſu Imperatoris Conſtantii, propoſuit Fidei formulam verbis generalibus & ambiguis ex Scripturâ conceptam; quâ pro ὁμουσίῳ τὸ ὁμοιούσιον aſſerebatur. Sed rejecta fuit à Catholicis, quod fidem ὁμουσίας tolleret: tum etiam Valens dogma Arii damnare recuſaret, etſi ſe Arianum non eſſe disertè teſtaretur. Miſſi utrinque ad Imperatorem Conſtantinopolim deni legati: qui Catholicos accedentes audire noluit, quod formulam fidei à ſe confirmatam Sirmii, ſuoque nomine propoſitam repudiaſſent. Poſt ſeverè mandavit, ut communionem cum Arianis inirent: inſuperque tradidit ipſis formulam fidei, in quâ remoto ſubſtantiæ vocabulo, quod eſſet ambiguum, rebus corporeis & incorporeis commune, nec à priſcis Scriptoribus ante Concilium Nicenum uſurpatum, dicebatur Filius Patri rebus in omnibus ſimilis eſſe ſecundum



Digitized by Google

dum Scripturas. Quomodo nec ejuſdem ſubſtantiæ cum Patre ferebatur, nec eidem æqualis, quia ſimilitudo ad qualitatem refertur, æqualitas autem ad ſubſtantiam. Paruerunt in utroque legati Catholici, accipientes in communionem Arianos, & formulæ ſubſcribentes. Sed poſtquam ad ſuos redierunt Ariminum, non ſolum improbata à Patribus quæ egerant, verum etiam negata eis communio, nequicquam cauſantibus, vim ſibi ab Imperatore factam. Enimverò ubi compertum habuerunt Tauro præfecto imperatum eſſe, additâ pollicitatione Conſulatus, ne collectos in unum Epiſcopos ante dimitteret, quam conſcriptæ fidei omnes ſubſcripſiſſent, & ſi qui pertinacius obſiſterent, dummodo quindenis plures non eſſent, in exſilium pelleret: perterriti omnes, fractique plurimorum animi, tam tædio diuturnioris à domo abſentiæ, quam Præfecti minis, ut ex trecentis & decem nonniſi viginti in vetere propoſito perſeverarent, communionem ſubſignationemque pariter recuſantes. Cum his tamen levius negotium erat, inprimis cum artes & ſtratagemata politica adhiberentur. Nam Taurus, qui minis non conceſſerant, precibus expugnare adortus eſt, ac lachrymans obſecravit, uti mitiora inirent conſilia, nec concordiam Eccleſiæ pauci impedirent, neque majora ſibi crearent incommoda, qui jam ſeptem menſes Arimino clauſi, hyeme inopiaque confecti, ſine ſpe reverſionis ſederent. Acceſſerunt fraudes Valentis & Urſatii, qui partim mentiebantur, Orientales Epiſcopos Seleuciæ coactos, formulæ conceptæ acquieviſſe, quorum exemplo Occidentales premerentur: partim poteſtatem faciebant, dummodo eadem reciperetur, addendi aliquam declarationem, conſenſum ſuum hîc viciſſim polliciti. Hæc poſtrema profeſſio flexit tandem Fœgadium & Servationem, principes conſtantium hactenus Catholicorum, quò tandem ex hâc controverſiâ exirent: paſſique ſunt Nicenæ fidei ſubſtitui eam, quæ Imperatori placuerat: hâc tamen adjectâ declaratione, *Filium Genitum eſſe, non creatum*; quâ & conſcientiæ ſuæ & veritati ſatis cautum exiſtimarunt, ceu contrariâ ſententiæ Arii dictitantis, Chriſtum creaturam eſſe. Ubi verò Valens audivit additamentum iſtud, arte veteratoriâ, quaſi ſuppleturus quod brevius obſcuriuſque dictum eſſet, appoſuit, *non creatum ſicut alias creaturas*. Hoc Orthodoxi, non animadverſo dolo, ſic acceperunt, Filium Dei non eſſe creatum, ut aliæ creaturæ ſunt creatæ, atque hoc ipſum ſubſcriptione ſuâ probarunt: Aſt Ariani Filium Dei in creaturarum ordinem ita redactum voluerunt, prærogativâ ſolùm creationis gaudentem. Hac ratione Concilium, Catholicis partim terrore ac minis præfecti, partim fraude impoſtorum victis, fœdo exitu conſummatum eſt. Eodem tempore

Digitized by Google

Period. I. artic. III. & Seleucienſi.

pore altera quoque Synodus celebrata Seleuciæ, oppido Iſauriæ. Convenerunt iſtic magno numero Epiſcopi Orientales: & cum illis Hilarius Pictavienſis in Galliis Epiſcopus, qui tunc in Phrygiâ exulabat, non ſine Dei nutu evocatus. Hic utilem omnino operam Eccleſiæ navavit gemino modo; ſemel dum erudiit Patres de fide Occidentalium, quos Ariani Sabellium ſequi criminabantur; iterum dum pro fide Nicenâ ſtrenuè pugnavit: quamobrem etiam in communionem atque etiam in conſeſſum ab illis receptus fuit. Cæterum hîc Orthodoxi (quemadmodum initio Arimini factum,) veritatem, prout in Niceno concilio concepta eſt, acriter conſtanterque tuiti ſunt Ariani autem, inter ſe diſcordes triplici factione diſtrahebantur. Alii enim optabant formulam ab Euſebio Antiochiæ quondam ſcriptam; alii Symbolum Nicenum, mutato tantum ὁμουσίῳ in ὁμοιούσιον, probabant; alii denique fidem Nicenam prorſus abolitam volebant. Horum princeps fuit Acacius, qui Leonam ſatellitem aulæ ſibi addictum habuit, qui quod in hujus gratiam nihil efficere poſſet, Synodum dilabi paſſus eſt. Legati tamen à Concilio Conſtantinopolim miſſi, ut de omnibus ad Imperatorem referrent. Iſtuc quoque convolarunt Acaciani, & favore aulæ ſubnixi unà cum Arianis Arimino reverſis id effecerunt, ut quam hi Catholicis Occidentalibus perſuaſerant fidei formulam, eadem Orientalibus imperaretur. Ita legati Seleucienſes ad ſubſcriptionem ab Imperatore adacti: in abnuentes autem fame, carcere, exauctoratione, exſilio animadverſum. Solus Hilarius, qui legatos Seleuciâ ſecutus erat, obſtitit, ſubſcriptionemque detrectavit: quocirca in Gallias redire juſſus eſt, ne Orientem turbaret. Sic ceſſere omnes tempeſtati, & quod ait Hieronymus contra Luciferianos, *ingemuit totus orbis, & ſe Arianum eſſe miratus eſt.* Ariani enim triumphato quodammodo Oriente & Occidente impoſturam ſuam aperte profeſſi, deque eâ gloriati ſunt; Orthodoxi verò errorem ſuum agnoverunt, & ſerò nimis deplorarunt. Acciderunt iſta circa A. C. 360. nec multo poſt Conſtantius Imperator è vitâ diſceſſit. De quo aliquid memorandum refert Gregorius Nazianzenus in laudem Athanaſii, ipſum morti proximum, inter alia quæ pœnitenda feciſſe fatebatur, hoc tertium dixiſſe, quod novis fidei dogmatibus ſtuduiſſet. Hæc initia fuerunt Hæreſeos Arianæ, quæ ſub Conſtantino Magno inchoata, ſub Filiis ipſius, Conſtantio maximè, continuata, non tantum Orientem latiſſimè pervagata eſt, ſed totum etiam Occidentem graviſſimè concuſſit, excitatis ſæviſſimis perſecutionibus; quibus Orthodoxos longe tetrius duriuſque perſecuti ſunt Ariani, quam ulli unquam Pagani fecerunt: quemadmodum Socrates

crates

Digitized by Google

crates lib. 5. cap. 13. Theodoretus lib. 2. cap. 8. & Sozomenus lib. 6. cap. 37. teſtantur. Vicit tamen Orthodoxa veritas, ac Fides Trinitatis ſolidiſſimè aſſerta, ac firmiſſimè in Eccleſiâ ſtabilita fuit doctrinâ ac zelo cum aliorum, tum inprimis Athanaſii, Hilarii, Baſilii, Gregorii Nazianzeni & Nyſſeni, & aliorum, qui eo tempore floruerunt, & contra Arianos ſcripſerunt. Exſtat etiam Symbolum Athanaſii de Sacroſanctâ Trinitate, & trium Perſonarum ὁμουσίᾳ perſpicuè conſcriptum: quod tota Eccleſia magnâ cum veneratione amplexa eſt & profitetur. Cæterum quæ Arius & Ariani diſputarant contra Deitatem Spiritus Sancti, velut παρέργως, ea latius deinde & ex profeſſo exſecutus eſt *Macedonius*, Epiſcopus Conſtantinopolitanus; circa A. C. 380. imperante Theodoſio Magno, & paulo ante. Etſi enim de ὁμουσίᾳ Filii cum Patre idem doceret quod Ariani; tamen potiſſimum negavit Deitatem Spiritus Sancti; unde πνευματομάχου nomen invenit. Aſſerebat enim Spiritum Sanctum nihil eſſe, niſi vim à Deo conditam, quæ eſſentiæ ſuæ diviſione ſingulis inſit rebus creatis: adeo ut ſingulæ creaturæ eſſentiæ Spiritus Sancti partem in ſe contineant. Eo autem maxime nitebatur, quod Synodus Nicena de Spiritus Sancti ὁμουσίᾳ cum æterno Patre nihil definiviſſet. Sed rectè reſponſum eſt, id ipſum multo antè in Synodo Alexandrinâ clariſſimè fuiſſe conſtitutum: neque de eo præcipuam fuiſſe Arii controverſiam. Tum etiam Fides Sacræ Trinitatis edicto trium Auguſtorum Gratiani, Valentiniani, & Theodoſii ſtabilita & promulgata A. C. 380. Exſtat initio Codicis titulo I. de Summâ Trinitate & fide Catholicâ. Res magnâ contentione acta fuit à Macedonio ejuſque aſſeclis, & tantâ acerbitate ut paſſim perſequerentur Orthodoxos, nec à ſeditionibus eam ob cauſam ſibi temperarent. Quare Imperator Theodoſius A. C. 381. ſecundam Synodum Oecumenicam convocavit Conſtantinopolim, quæ inde Conſtantinopolitana appellata eſt, Patrum CCCLXXXI. inter quos Gregorii duo, Nazianzenus & Nyſſenus, Cyrillus item Hieroſolymitanus, & Amphilochius Iconienſis primas tenuerunt. In hâc Synodo decreta Nicena confirmata ſunt, & ad ſymbolum Nicenum, poſt illa verba, *Et in Spiritum Sanctum*, hæc quoque fuerunt adjecta, *Dominum vivificantem qui ex Patre & Filio procedit. & cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas.* Eadem Conſtantinopolitanæ fidei Confeſſio ſequente ſtatim anno repetita fuit ab Epiſcopis, qui Conſtantinopolin rurſum convenerant, Epiſtolâ ad Occidentales miſſâ, quâ trium Perſonarum ὁμουσίαν & æqualitatem apertiſſime confitentur & adſtruunt. Præter Macedonianos alii quoque hæretici impegerunt

Period. I. artic. III. Defenſa Orthodoxa fides Trinitatis.

Macedonii hæreſis, negantis deitatem Spiritus S.

Conſtantinopolitanâ Synodo damnati,

S. Trinitatem oppugnarunt etiam

Period. I. artic. III. Donatiſtæ, — in fidem Trinitatis. *Donatiſtæ* fatebantur quidem Filium ejuſdem cum Patre æterno ſubſtantiæ eſſe; minorem tamen Patre Filium, & Filio Spiritum Sanctum eſſe contendebant, ad abolendam Perſonarum divinarum æqualitatem. Priſcillianiſtæ. *Priſcillianiſtæ* cum Manichæis duos ſtatuebant Deos: Unum Bonum, alterum Malignum; & huic, non autem illi, mundi creationem acceptam ferebant. Tum cum Sabellianis Perſonas Trinitatis, quem ipſi Bonum Deum faciebant, confundere ſolebant: eundem eſſe Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum contendentes: qui pro diviſis officiis & operibus diverſa etiam ſortiatur nomina: Anthropomorphitæ: *Anthropomorphitæ* autem, qui & *Anthropiani* appellati ſunt, ſtatuerunt Deum eſſe corporeum, & humanam corporis formam habere. Cui dogmati defendendo prætexebant, tum Scripturæ phraſes, quibus Deo brachia, pedes, aures, oculi, & cætera hujuſmodi membra, noſtris ſimilia; ſermo item, auditus, inceſſus, & alia id generis tribuuntur: tum quod homines ad Dei imaginem conditi eſſe in ipſa Scripturâ dicuntur. Sed rectè reſponſum eſt ab Orthodoxis Patribus, phraſes iſtas Scripturæ non propriè, ſed impropriè per metonymiam metaphoricam accipiendas eſſe, quæ ἀνθρωποπάθεια peculiariter appellatur; cum alias Deus Spiritus, hoc eſt, ſpiritualis eſſentia apertiſſimè nominetur Joh. 4. v. 24. Quod autem imaginem Dei attinet, Eph. 4. verſ. 22. ſeqq. ſatis oſtenditur eam non in figurâ aut lineamentis corporis, ſed in verâ juſtitiâ & ſanctitate quærendam eſſe. Etſi autem his aliiſque erroribus magno zelo obviaretur & contradiceretur ab Orthodoxis Doctoribus, nunquam tamen ita ſopiri potuerunt, quin ſemper ſupereſſent reliquiæ veterum hæreſeôn & hæreticorum: quæ graviſſimam Periodus N. T. ſecunda. Artic. I. In Occidente orthodoxia. tandem rerum inclinationem & converſionem in Eccleſiâ ineunte *Secundâ Periodo Novi Teſtamenti*, & quidem mox *Primo* ejus *Articulo* attulerunt. Et in Occidente quidem ſarta tecta manſit doctrina Sacroſanctæ Trinitatis: quod deſtructo per Italiam Gothorum regno ſub Juſtiniano Imperatore, reliquiæ etiam Arianorum abolerentur: & ſedes Romana, cujus præcipua erat autoritas, à labe Arianâ immunis eſſet. At in Oriente, maximè naſcente & efflorèſcente Mahometiſmo, ut alia dogmata Religionis, ſic illud inprimis quod eſt de Sacroſanctâ Trinitate non dico obſcuratum aut depravatum, ſed plane abjectum In Oriente Mahometiſmus, oppreſſumque fuit. De quo ut plenius conſtet, paucis referam ſummam doctrinæ Mahometis de Deo, ex ipſo Alcorano fideliter expreſſam. Sunt duo ejus ſumma capita. Primum de Eſſentiâ divina: quam Quid ſtatuat de Eſſentia Dei. Unam eſſe & unicam, non variam & multiplicem magnificè prædicat, & ſingulis fere capitibus inculcat. Quin etiam à proprietatibus ſuis, operibus, & cultu eam deſcribit: quod ſit æterna azoara 2. omnipotens.

tens az. 4. omnipræſens az. 68. omniſcia & καρδιογνώστης az. 67. bona, miſericors & gratioſa az. 50. juſta, quæ remuneretur beneficia, puniat maleficia & peccata az. 2, 3, 4, 5, 6. creatrix & conſervatrix rerum omnium az. 11. & 42. Vindex viduarum ac orphanorum az. 8. eoque ſumma fide, pietate, ac veneratione colenda az. 11, 12. Quæ deſcriptio Eſſentiæ, etſi ſpecioſa appareat, & multis commoda videatur; tamen revera vitioſa eſt, ac triplici defectu laborat, prout ab ipſo Mahomete explicatur. I. negat Eſſentiam Dei ſimpliciſſimam eſſe: & cum Anthropomorphitis ei non tantum corpus quoddam, ſed etiam animam affingit; ut ſit velut compoſita ex corpore & animâ. Et propter hanc compoſitionem anthropomorphiticam paſſim de Deo loquitur numero plurali, az. 27. & pluribus quam centum locis. II. nec juſtitiam, neque miſericordiam Dei rectè intelligit aut declarat: ut de aliis proprietatibus non dicam; cum utrumque extra Chriſtum & ἱλασμὸν ipſius pro peccatis contempletur & exhibeat. III. utut qualis ſit Deus quomodocunque declaret; tamen cum quis ſit ille Deus, prorſus ignoret, pro Deo vagum quoddam & indefinitum Numen, & tantum non cerebri ſui commentum colendum proponit. Neque enim tenet ac credit de Deo, quod ipſe Deus verbo V. & N. T. nobis revelavit: Nimirum, quod verus ac æternus Deus ſubſiſtat in tribus Perſonis, quæ ſunt & dicuntur Pater, Filius & Spiritus Sanctus: abſque quibus nulla eſt agnitio veri Dei Joh. 17. v. 3. 1 Joh. 2. v. 22, 23. Atque hoc eſt alterum caput doctrinæ, in quo Alcoranus exitialiter impingit. Paſſim calumniatur Chriſtianos, quod tres Deos faciant, in tres Deos credant, az. 11, 12. & alibi. Atqui unum tantum Deum agnoſcimus, credimus, confitemur: Sed in uno illo Deo tres diſtinguimus perſonas, ſalvâ eſſentiæ unitate: idque non vanâ ingenii ſpeculatione, aut ratiocinatione, ſed certâ ac indubitatâ ipſius Dei patefactione in V. & N T. ut alibi oſtendimus. Nec poteſt teſtimonia divina, quæ adferimus, ipſe Mahomet negare aut repudiare, cum agnoſcat, Scripta Moſis, Prophetarum, Euangeliſtarum, atque etiam Apoſtolorum, ſaltem quorundam: uti Loco antecedente dictum eſt. Alcoranus unum Deum ut eſſentiâ, ſic perſonâ, docet & aſſerit, cum Sabellianis, Samoſatenianis, Photinianis, atque etiam Arianis: negat Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum eſſe unum Deum, coëſſentialem, coæqualem. Nam craſſo & carnali conceptu conſiderat Perſonas divinas, non aliter quam creatas & finitas, verbi gratiâ, angelicas & humanas; quæ à ſe invicem non modo diſtinguuntur, ſed etiam ſeparantur, diſcedunt, & ſic tres Eſſentias faciunt. Exemplo ſint tres Angeli, qui apparuerunt Abrahamo Gen. 18. tres item viri, qui in fornacem

Period. II. artic. I.

de Perſonis divinis.



Digitized by Google

Period. II. Artic. I. nacem ignis conjecti ſunt à Nebucadnezare Dan. 3. Hoc eſt πρῶτον ψεῦδος erroris ipſius. Sed de ſingulis Perſonis ſigillatim Alcoranum Mahometis audiamus. Videri poſſet ſaltem de primâ Perſonâ, quàm

de Patre. Patrem dicimus cum Scripturâ, rectè ſentire. Quia paſſim celebrat æternum illum ac omnipotentem Deum, qui cœlum, terram, Angelos & homines ex nihilo condiderit. Sed & hìc planè aberrat. Neque enim Deum agnoſcit aut admittit, qui habeat Filium; quod quinquagies & ſæpius ingeminat toto libro, inprimis az. 11. & 12. Rationem triplicem ſparſim reddit hujus ſuæ opinionis. Una eſt, quod Deus careat uxore, eoque nec gignat ſive generet Filium. Planè ac ſi carnalis & Phyſica eſſet generatio Filii, ac ſeminali modo perficeretur: quod brutum ac belluinum eſt, à ſpirituali & ſimplici Dei naturâ alieniſſimum. Altera eſt, quod Deus Filii non indigeat; cum ſibi ipſi ſufficiat, ſe ſolo contentus ſit, tanquam Dominus cœli & terræ, az. 20. Quaſi verò doceatur gignere Filium conſilio, non naturâ: idque indigentiæ cauſâ, non autem propter perfectiſſimæ eſſentiæ ſuæ naturalem communicationem. Tertia eſt, quod ſi Pater Filium haberet, facile alter ab altero diſſentire ac diffidere ſententiis poſſet, eoque turbari & diſtrahi concors mundi gubernatio, az. 29. Ita judicat ac loquitur, quia diverſitatem eſſentiarum ac voluntatum comminiſcitur; nec alium admittit conſenſum, quam contingentem & mutabilem; prout in

de Filio. humanis res habet. Jam quod Filium attinet, fatetur Chriſtum quidem eſſe Filium Virginis Mariæ, hominem ſanctum & excellentiſſimum Prophetam: at ſimul Filium Dei, & Deum eſſe cum Patre, ei coæternum, coëſſentialem, & coæqualem cultu & honore, id plurimis locis inficiatur. Azoarâ 12. *mendaces* pronunciat, *quotquot Filium Mariæ pro Deo habent.* Et az. 29. *Quiſquis aſſerit Deo eſſe Filium, blaſphemiam locutus eſt, quam cœlum, terra, montes horreant, & abominentur, tanquam probroſiſſimam Deo.* Alia ſimilia paſſim promit. Conquirit verò etiam colores quoſdam impii dogmatis ex N.T. az. 12, 13. & alibi. I. quod Chriſtus Patrem ſe majorem profitetur, coram ipſo ſeſe humiliat, nec pro æquali gerit. II. quod diſcipulos petentes aliquid à ſe ad Patrem ſuum remittit: quod non faceret, ſi aut Deus, aut divinâ potentiâ præditus eſſet. III. quod ſtatu abjecto & humili in terris verſatus eſt, & ſic longè vilior fuit & contemtior, quam qui in Filium Dei adſciſceretur. Certe az. 49. ita loquitur: *Si viſum fuiſſet Deo aſſumere Filium, utique aſſumturus fuiſſet optimum ac præſtantiſſimum eorum, quos unquam creaverat.* Ideo paſſim ſeverè interdicit, ne quis credat in ipſum, ut Deum, aut ipſum adoret. Quæ omnia ſummam ipſius Mahometis, & eorum, quorum ipſe operâ uſus fuit imperitiam & impie-



Digitized by Google

tatem arguunt. Confundunt enim non tantum Naturas in Chriſto, ſed etiam ſtatum Perſonæ ipſius cum ipſâ Deitate: quæ evidentiſſimè diſtinguuntur Phil. 2. verſ. 5, 6. & ſeqq. Tum etiam filiationem non generatione ſive communicatione eſſentiæ, ſed merâ adoptione definiunt: quæ quidem pro perſonæ adoptatæ dignitate atque merito fiat. De Spiritu Sancto, tertiâ Perſonâ Deitatis, minus evidens eſt & perſpicua Alcorani ſententia. Non negat quidem Spiritum Sanctum eſſe, aut eſſe Deum: quomodo de Chriſto loquitur: quin potius concedit, Deum habere Spiritum, qui Dei Spiritus teſtimonium perhibuerit Chriſto, eidemque auxilio fuerit, az. 2. Interim ex doctrinâ & phraſeologia ipſius, haud difficile eſt colligere, quod Spiritus Sanctus ipſi non ſit tertia perſona Trinitatis, nec eſſentiæ divinæ particeps. Nam az. 11. inquit; *Non dicetis tres eſſe Deos, cum Deus tantum unus ſit.* Sed Chriſtiani non confitentur tres Deos, ſed tres perſonas in uno Deo. Ergo haſce perſonas ſub trium Deorum nomine rejicit, atque ita ipſum quoque Spiritum Sanctum. Præterea obtentu unitatis Dei eſſentialis, Filium excludit à Deitate. Ergo non minus Spiritum Sanctum: cum trinitas magis etiam repugnet unitati, quam dualitas. Inſuper ad retinendum conſenſum in divinis, docet opus eſſe unitate. Quare tam Spiritum Sanctum, quam Filium negat Alcoranus. Azoarâ 11. confundit & in unum conflat Perſonam Filii & Spiritus Sancti. Siquidem Jeſum ait eſſe Spiritum Dei. Non magis igitur Deus eſt, quam ipſe Chriſtus. Neque tamen æquè Perſona, ut Chriſtus; qui per ſe ſubſiſtit, ut homo, ſecundum Alcoranum; Spiritus verò Sanctus non item. Erit igitur Spiritus Sanctus Mahometanis divina quædam vis, Chriſto communicata ad muneris prophetici exſecutionem: prout alii quoque hæretici de Spiritu Sancto ſenſerunt & docuerunt. Reliqua dicentur Loco XII. de Perſonâ Chriſti. Hæ tantæ blaſphemiæ Mahometis per totum Orientem diſſeminatæ ſunt, & Fides Orthodoxa de Trinitate arctata in Eccleſiis Græcis: ita tamen ut ſingulis ſeculis inventi ſint, qui eam aſſeruerint, Patres Synodi VI. VII. VIII. Damaſcenus, Photius, Theophylactus, & alii. Sed inter ipſas Eccleſias Catholicas, Græcas & Latinas, nata eſt controverſia de Proceſſione Spiritus Sancti. Cujus originem etſi nonnulli ad Theodoretum, & articulum tertium Primæ periodi referunt, tamen huc pertinet, & ab Adone Viennenſi in Chronico ponitur ad annum Chriſti 767. quo celebratum fuit Concilium Gentiliaci in Galliâ, diſputatumque coram Pipino Rege, patre Caroli Magni, de Trinitate & de Imaginibus: cujus diſputationis etiam Regino, Sigebertus, & Abbas Urſpergenſis meminerunt. Fuit autem Controverſia illa de proceſſione Spiritus

Period. II. artic. I.

De Spiritu S.

Græcæ Eccleſiæ Trinitatem crediderunt.

Controverſia de Sp. S. proceſſione.



Digitized by Google

Period. II. artic. I. Græcorum ſententia. Sancti; nec enim inter ipſos unquam fuit alia. Græci contenderunt, Spiritum Sanctum procedere à ſolo Patre, etiamſi unius ſit Eſſentiæ non minus cum Filio quam cum Patre. I. quia id diſertè teſtetur Scriptura Joh. 15. v. 26. II. quia Synodo Oecumenicâ II. Conſtantinopolitanâ, in Symbolo poſitum ſit contra Macedonium, Spiritum Sanctum à Patre procedere. Et conqueruntur de Latinis, quod ſine conſenſu Græcorum Symbolo addiderint particulam, *Filioque*: ut Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedere dicatur; quæ eſt fides Latinorum. & Latinorum. Fuit tamen abſque contentione majore & acerbitate initio res agitata. Attingit eam Theophylactus Commentario in cap. 3. Johannis; & nominatim arguit Latinos, quod crederent Spiritum Sanctum à Filio procedere. Exarſit verò demum ſub finem hujus Articuli, circa A. C. 1054. imperante Conſtantino X. qui dicebatur Monomachus. Tum enim Michaël Patriarcha Conſtantinopolitanus Latinos excommunicavit, quod contra decretum Concilii Epheſini ad Symbolum aliquid addidiſſent. Simul etiam templa Latinorum, quæ erant in ditione Græcorum claudi juſſit. Denique ipſe Imperator præmium conſtituit iis qui de hâc controverſiâ contra Latinos aliquid ſciberent. A quo inſtituto Leo IX Papa, datis ad Imperatorem & Patriarcham literis eos dehortatus eſt. Anſelmus verò illo ipſo tempore edito libro de proceſſione Spiritus Sancti, reſpondit Græcis, & fidem Romanam defendit. Quomodo autem & quâ occaſione particulam illam *Filioque* Latini addiderint, non ſatis liquet ex hiſtoriâ. Probabilis eſt eorum ſententia, factum demum poſt A. C. 600. idque propter diſſenſiones aliquas exortas in Galliâ & in Hiſpaniâ. Concilio quidem Toletano VIII. quod celebratum eſt A. C. 653. recitatur Symbolum Conſtantinopolitanum cum hâc additione. Ante id tempus cum tali additione non invenitur. Sunt etiam qui putant, additionem illam receptam eſſe in Hiſpaniâ & Galliâ, antequam Romæ à Papâ reciperetur: quod non negamus. Exſtat Collatio quædam habita inter Leonem III. Pontificem & legatos Caroli Magni: in quâ Legati illi referunt, in Galliis cantari Symbolum cum particulâ, *Filioque*; & petunt, ut ipſe id approbet, & Romæ quoque fieri jubeat. Cujus occaſionem memorat Ado ad A. C. 809. quod tum celebratum fuerit Concilium Aquiſgrani, de proceſſione Spiritus Sancti, & inde Legatio ad Leonem III. deſtinata fuerit. Ut primum in Hiſpania videatur uſurpata, inde traducta in Galliam, ad extremum autem Romæ quoque & paſſim recepta. Hæc de hiſtoriâ: nam ipſa controverſia alibi fuit diſcuſſa. Aliam controverſiam moverunt Felix Orgeſitanus ſive Urgelitanus, & Elipandus Epiſcopus Toletanus, circa A. C. 780. de Filio Dei Jeſu

Chriſto.

Digitized by Google

Chriſto. Contenderunt enim Chriſtum eſſe Filium Dei adoptivum, ex gratia aſſumtum. Hæreſis ipſorum *Feliciana* dicta fuit, ſed quæ non perennavit, cum autoribus ſuis exſtincta. Nam coacto Francofurti ad Mœnum Concilio ſub Carolo Magno Rege Francorum, damnati ſunt, tanquam Neſtorianiſmum reducentes: ſicut ſunt qui duas in Chriſto hypoſtaſes ſtatuiſſe affirmant. Videatur Adrianus I. Papa, in Epiſtolâ ad Epiſcopos Galliciæ: Ado item Viennenſis in Chronico, Thomas denique tertia parte quæſt. 23. artic. 4. Plura non occurrunt hoc articulo. Sequente etiam, qui eſt *Secundus ſecundæ Periodi* pauciſſima acciderunt huc facientia. In Oriente propagatus eſt Mahometiſmus, & in Europam per Saracenos & Turcas illatus. Continuata etiam Controverſia de Proceſſione Spiritus Sancti cum Latinis: cujus conciliatio tentata Eugenio IV. Pontifice, Concilio Ferrarienſi & Florentino, ſed fruſtra. Denique emerſit Conſtantinopoli nova hæreſis, Bogomiles dicta Saracenis, quaſi dicas *gens miſericordiam inclamans*, autore Baſilio quodam, circa A. C. 1090. imperante in Oriente Alexio Comneno, in Occidente Henrico IV. Dogmata fuerunt: Deum eſſe corporeum, humanâ forma præditum: non eſſe tres Perſonas Deitatis, ſed unicam duntaxat: Mundum à Dæmonibus conditum eſſe: qui etiam habitarent in templo Sophiæ, & in aliis Eccleſiis. Baſilius publicè in theatro fuit exuſtus, & ſectatores ejus diſſipati. Non multo poſt in Occidente, & quidem in Galliâ ſucceſſerunt Petrus Abailardus & Arnoldus de Brixiá, ſub Conrado III Imperatore A. C. 1143. Qui compoſitionem in Deo, & gradus inæquales in divinis Perſonis ſtatuerunt. Contra hos ſcripſit epiſtolam Anſelmus Cantuarienſis, & Bernardus librum ad Innocentium Papam. Sed tandem reſipuiſſe ab errore, & ſanctè obiiſſe teſtis eſt Petrus Cluniacenſis lib. 5. Epiſt. 3. & 20. Scholaſtici Theologi etſi fidem Trinitatis retinent, & tuentur: tamen novis iiſque portentoſis terminis ac phraſibus eam obſcurant: variis curioſis & ſpinoſis quæſtionibus myſterium involvunt, nec tam ex revelatione divinâ in Scriptura, quam ex Patribus & Philoſophiâ illud ediſſerunt & demonſtrant.

Period. II. artic. I. Feliciana hæreſis. — Artic. II. In Oriente Mahometiſmus. — Lis de Proceſſione Sp. S. — Hæreſis Bogomiles. — In Occidente. Hæreſis Abailardi. — Scholaſticorum corruptela.

Reliquus eſt *Tertius Articulus*, quo veteres Samoſateni, Arii, & aliorum damnatæ hæreſes revocatæ ab inferis, & in Eccleſiæ proſcenium reductæ fuerunt. Reſtauratores præcipuè celebrantur Michael Servetus, Valentinus Gentilis, & Lælius Socinus, cum Fauſto nepote. Etſi enim Paſtores Tranſylvani Orthodoxi & ex iis Bellarminus præfatione in Controverſiam Generalem de Chriſto, originem mali ad Eraſmum referunt; propterea quod ille in Annotationibus ſuis in N. T. atque etiam in ſcriptis aliis, multa de Trinitate & Chriſti deitate loca eleva-

Artic. III. Antitrinitarii.

Period. II. artic. III. elevavit, & in ſenſum Arrianum detorſit: tamen cum ipſe fidem Trinitatis, conſentientem Confeſſioni Eccleſiæ Orthodoxæ conſtanter retinuerit, & profeſſus ſit, nolimus eum tanti criminis odio gravare. Quare ad alios autores omnino pertinet. Eorum primus eſt *Michaël Servetus*, ex Arragonibus Hiſpanus, qui in Scholis Judæorum & Mahometanorum, quæ ſunt in Barbariâ, inſtitutus, ab iis hauſit ſuum venenum. Quod ab anno trigeſimo ſuperioris ſeculi voce & ſcriptis paſſim diſſeminavit, jactitans ſe ſummum orbis terrarum Prophetam. Edidit ſcriptum contra divinam Chriſti naturam: tum etiam libros VII. de Erroribus Trinitatis, & alia præterea: quibus doctrinam orthodoxam oppugnabat. Summa capita hæreſeos ipſius ſunt. I. Nullam eſſe in Deo perſonarum diſtinctionem, ſed unam tantum eſſe Perſonam Trinitatis, quæ alio atque alio modo ſeſe generi humano repræſentet. Cujuſmodi ſunt tres, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, lib. 5. de Trinitate, & in reſponſione ad articulum 1. Quæ eſt hæreſis Noëti & Sabellii; tum etiam Samoſateni & Photini; ut alibi diximus. II. Chriſtum ante nativitatem ex Virgine nihil fuiſſe, niſi in mente Dei per ideam, & decretum de exhibitione ipſius, definito tempore futuræ, lib. 3. de Trinitate. Quod olim ſenſerunt & docuerunt Ebion, Cerinthus, Samoſatenus & Photinus. III. Chriſtum Deum & Filium Dei appellari, non propter generationem ex Patre, ſed partim propter ſanctam conceptionem in utero Virginis ex Spiritu Sancto, partim propter unctionem gratiæ, & Spiritus Sancti inhabitationem: ibidem. Quæ olim Samoſateni, atque etiam Neſtorii hæreſis fuit. Alter eſt *Valentinus Gentilis* Italus, Conſentiæ in Campaniâ natus: qui lectis Serveti libris, cum multa ejus improbaret, in contrarium delapſus errorem, Unitatem Eſſentiæ divinæ laceravit, ac pro Uno tres Deos commentus eſt. Scripſit & ipſe contra Orthodoxam doctrinam protheſes, antidota, & alia. Summa blaſphemiæ ipſius hæc eſt. I. Veram eſſe in Deo non modo perſonarum, ſed etiam naturarum Trinitatem: ſic ut tres ſint divini & ſempiterni ſpiritus, eſſentiali numero differentes: protheſi 20. & 23. Quæ olim Tritheitarum fuit hæreſis. Sed cum animadvertit Gentilis hoc dogma non poſſe ex divinis literis ullâ ratione defendi; in quibus paſſim urgetur & inculpatur Unitas eſſentiæ divinæ, paulatim opinionem ſuam ad Arianiſmum flectere cœpit. Ideò II. aſſeruit, has tres Perſonas non eſſe æquales, ſed Patrem longè eſſe eminentiorem cæteris. Hunc enim obtinere ipſiſſimam eſſentiam naturam divinitatis: & prædicari etiam in Scripturâ ſolum illum ſummum atque Altiſſimum Deum: Filium verò & Spiritum Sanctum non eſſe eſſentiam divinam, ſed prolem quandam ejus:

Michaël Servetus.

Valentinus Gentilis.

Digitized by Google

ejus: Patrem eſſentiatorem, Filium & Spiritum Sanctum eſſentiatos, eoque longè inferiores; protheſi 8, 10, 22, 24, 38. & 40. & in antidot. lib. orat. 3. Quæ Arii hæreſis fuit, inprimis quod ad Filium. III. docuit, Filium Dei non eſſe ex nihilo, neque in tempore demum genitum, ſed ab æterno, & ex Patris ſubſtantiâ: protheſi 11. & 21. In quo deflexit ab Ario, qui negavit Filium eſſe ab æterno ad Semi Arianos, ſive poſteriores Arianos, qui Filium æternum eſſe conceſſerunt: teſte Auguſtino lib. 6. de trinitate, cap. 1. juxta decretum Concilii Ariminenſis. Ut igitur Servetus Samoſateniſmum, ſic Arianiſmum Gentilis interpolavit. Uterque etiam aſſenſores & ſectatores nactus eſt: qui cum alibi, tum in Poloniâ inter ſe colliſi ſunt. Servetiani fuêre Georgius Blandrata, Paulus Alciatus, Lælius Socinus, Franciſcus Davidis, & alii. Valentiniani memorantur Matthæus Gribaldus, Franciſcus Liſmanninus. Petrus Statorius, & aſſeclæ ipſorum. Cæterum *Lælius Socinus* Samoſateniſmum commendavit peculiari libro, & juxta ſententiam Samoſateni explicationem planè hæreticam in cap. 1. Johannis. Ex quo partes illæ ita firmatæ ſunt in Poloniâ & Tranſylvaniâ, ut imminutis paulatim Arianis ſolæ tandem obtinuerint. Inprimis poſtquam nepos ipſius ex fratre, *Fauſtus Socinus*, partium Samoſatenianarum dux & ſignifer factus fuit. Quanquam & ipſi rurſum opinionibus ſciſſi à ſe invicem & diviſi fuerunt: & quidem circa Invocationem Jeſu Chriſti. Nam Franciſcus Davidis & diſcipuli ejus docuerunt, Jeſum Chriſtum non eſſe invocandum, ſed ſolum Patrem: qui ſolus ſit verus Deus, ſolus etiam Eccleſiæ ſuæ nunc curam gerat. Socinus autem, qui theſes Franciſci confutavit, contendit: Chriſtum in precibus invocari poſſe, nimirum propter officium divinum: ſed tamen addit, majoris eſſe perfectionis ad Deum Patrem rectâ accedere. Ut autem Socinus totum corpus doctrinæ Samoſatenianæ retexit, & commodiore formâ atque ordine digeſſit; ita caput illud de Deo perſpicuè hunc in modum expoſuit. I. Deum ut Eſſentia, ſic Perſonâ tantum eſſe Unum: videlicet Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti. II. Filium Dei non eſſe naturâ Deum: dici tamen Deum propter divinam poteſtatem, quam ab uno illo Deo accepit: Filium quoque Dei appellari propter conceptionem ex Spiritu Sancto, reſurrectionem ex mortuis, & aliis de cauſis. III. Spiritum Sanctum nec Deum eſſe: ſicut nuſpiam in Scripturâ expreſſè vocetur Deus: nec etiam perſonam ſive rem per ſe ſubſiſtentem: ſed eſſe virtutem quandam Dei, Euangelium Jeſu Chriſti, & donum gratiæ ipſius, quod non omnibus, ſed certis hominibus obtingit. Has blaſphemias longè lateque propagarunt, non modo ſcriptis ſophiſticis, ſed etiam per emiſſarios ad id ablegatos.

Period. II. artic. III.

Lælius Socinus.

Fauſtus Socinus.



Digitized by Google

Period. III artic. III.

tos. Anno 1598. in Belgium venerunt Chriſtophorus Oſtorodius, & Andreas Vaydovivius, qui virus ſuum, ante tamen non incognitum, diſſeminarunt, & diſcipulos ſectæ ſuæ fecerunt.

Novatores.

Et *Novatores* in Belgio bonâ ſui parte ex hâc ſcholâ prodiiſſe non eſt dubium: etſi alii tectius, alii apertius agant. Primi ordinis ſunt ipſe Arminius, Utenbogardus, Grevinchovius, &c. Secundi Vorſtius, Venator, Slatius, Geiſterani fratres, & Epiſcopius quoque. De quibus cum alibi dictum ſit, nihil

Orthodoxi qui Antitrinitarios oppugnarunt.

hîc præter rem repetemus. Scripſerunt contra primos Neo-Samoſatenianos & Arianos Philippus Melanchthon, Calvinus, Beza, Bullingerus, Simlerus, Aretius, Hyperius, Wigandus, Alexander Aleſius, Staniſlaus Starnitius, Petrus Melius. Contra recentiores Franciſcus Junius, Pareus, Jacobus ad Portum, Sibrandus, Pelargus, Tarnovius, Franzius, Meiſnerus, alii. A Samoſatenianis, ſive Socinianis, prout

Anabaptiſtæ nonnulli.

vulgò appellatur, progredimur ad *Anabaptiſtas*: è quorum ordine multi prodierant ſuperiore ſeculo, tam in Germaniâ, quam in Belgio, qui horrendas blaſphemias de Deo ſparſerunt, non valde diſſimiles iis, quas antiqui hæretici impuro ore eructarunt. Ex quibus hodieque ſu-

David Georgii.

perſunt *Davidiani*, à *Davide Georgio* Delfenſi Batavo ſic dicti. Is docuit, verum Deum Unum eſſe; Trinitatem verò perſonarum à Deo aliud nihil eſſe, quam tres excellentiſſimas perſonas humanas, quæ tanquam mediatores miſſæ ſunt à Deo ad genus humanum: nempe Moſen, Chriſtum Jeſum, & Chriſtum Davidis, qui etiam major ſit utroque, & per Jeſum adumbratus, ſicut Jeſus per Moſen. Sed non referemus hujus & aliorum portentoſa dogmata. De Anabaptiſtis autem communiter dicemus. Conſtitui poſſunt duo eorum genera, pro va-

Orthodoxis conſentientes,

rietate opinionum, quibus diviſi ſunt à ſe invicem. Primi, qui Mennonem Simonis, & Theodorum Philippi ſequuntur, nobiſcum credunt & fatentur: Unam tantum eſſe Eſſentiam divinam, & in eâ ſubſiſtere tres Perſonas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, coëſſentiales & coæquales: licet de Deo Filio in aliis hæreant, in aliis impingant. Alteri illi, in quibus celebres ſunt Jacobus Outerman & Cor-

Heterodoxi.

nelius Cuiperus, de Unitate Eſſentiæ & Trinitate Perſonarum varios errores habent & tuentur: Præcipuos ordine proponemus ex ſcriptis ipſorum. I. de Deo, non facile uſurpandos eſſe terminos Eſſentiæ, Trinitatis, perſonæ, ὑποςάσεως ſive ſubſiſtentiæ: nec phraſin quoque in unâ Eſſentiâ divinâ eſſe tres perſonas, à ſe invicem verè diſtinctas: cum & Perſonarum Scriptura non meminerit, & in Concilio demum Niceno ſub Sylveſtro Papâ, annis amplius 300 poſt Chriſtum natum hæc doctrina inventa ſit: quod utrumque ſupra eſt confutatum. III. Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, non eſſe ejuſdem eſſentiæ, ſive ſib

ὁμου-

Digitized by Google

ὁμουσίως: ſed aliam eſſe eſſentiam Patris, aliam Filii, aliam Spiritus Sancti. III. Tres illos unum eſſe dicique, voluntate, conſenſu, amore & operibus: quæ major ſit ſuaviorque unitas. IV. Deum non eſſe ubique ſecundum eſſentiam, ſed tantum in cœlo: virtute autem & operatione eſſe ubique: & nominatim Filium Dei nec immutabilem eſſe, nec immortalem. V. Filium ex ſemine Patris genitum tempore poſteriorem eſſe Patre; eoque principium habere: tum etiam Deitatem ipſius in carnem eſſe mutatam, atque ita paſſam & mortuam; ut alibi dicetur. VI. an Spiritui Sancto conveniant omnes proprietates divinæ: item num & quid differat tum à Patre & Filio, tum etiam à donis, profiteri & declarare renuunt: ut etiam hic meritò ſe ſuſpectos faciant. Quanquam conſtat doctrinam ipſorum magis magiſque inclinare ad Socinianiſmum: ut cum iis tandem in unam ſocietatem coalituri videantur. In Belgio quidem jam plures ſunt cœtus Anabaptiſtarum Socinianorum: quibus alii paulatim accedent. Hæc de Anabaptiſtis quoque. De *Pontificiis* & *Lutheranis* nihil addam, qui de hoc capite doctrinæ rectè ſentiunt, & cum Orthodoxis conſentiunt: licet in locorum quorundam expoſitionibus, nec non in formulis quibuſdam loquendi diſſentiant. Quod ipſi contra omnem candorem & charitatem rapiunt in calumniam, quaſi Orthodoxi aut conſpirent cum Samoſatenianis, aut ſaltem ipſorum blaſphemiis viam muniant. Sed abundè nos purgant Confeſſiones & Catechiſmi Eccleſiarum noſtrarum, tum etiam ſcripta publica & privata, quæ blaſphemiis illis ſunt oppoſita. Et ſi volupe eſſet par pari referre, non deeſſet, quod hîc in utriſque deſideraremus. Superioribus annis innotuerunt cum alii impoſtores, tum duo inprimis fanatici famoſi, *Valentinus VVeigelius* & *Iacobus Behmius*, Germani: qui varios de Deo errores ſcriptis vernaculis & phraſibus novis ac monſtroſis, in hâc Eccleſiarum Germanicarum diſſipatione, prodiderunt & ſparſerunt. De quibus nihil attinet nunc dicere.

Period. III. artic. III.

Pontificii & Lutherani hic rectè ſentiunt.

Weigelius.

Period. I.
V.T. art. I.

# LOCUS QUARTUS

De

# DECRETIS DEI

in genere,

*DEQUE*

# PRÆDESTINATIONE

Divinâ in ſpecie.

DEUM non eſſe ut hominem, ſive hominibus ſimilem, qui pro re natâ capiunt conſilia, ea variè interpolant & mutant: ſed ab æterno apud ſe conſtituiſſe omnia, quæ fiunt in tempore, & ita præſcire uti fiunt; immutabili nempe decreto, & infallibili præſcientia, Scriptura Sacra per omnes Eccleſiæ periodos & articulos conſtanter teſtatur. Et licet clariora ſint documenta Novi Teſtamenti, quam Veteris: evidentiora item quæ à Moſe & Prophetis, quam quæ ante eorum ætatem tradita ſunt: propterea quod curricula Patriarcharum & Eccleſiæ Patriarchalis paucis conſtringuntur; tamen ne illis quidem deſunt teſtimonia & argumenta, quibus demonſtretur, æterno ac immutabili conſilio Dei omnia præfinita, inprimis autem homines alios ad ſalutem, alios ad exitium prædeſtinatos fuiſſe.

Periodus V.T. prima. Artic. I. Decretum Dei ex operibus concluditur.

*Prima Periodi Veteris Teſtamenti Articulo primo* ita deſcribitur Creatio, Conſervatio, Gubernatio rerum omnium, potiſſimum autem propagatio Generis Humani per annos 1656. ad diluvium uſque, ut omnia illa ad Dei conſilium & propoſitum referantur, ex quo omnia agere dicitur Eph. 1. v. 11. Neque enim aut ſponte nata ſunt, aut caſu emerſerunt, aut ab aliis producta fuerunt; ſed conditor, architectus, & moderator univerſorum eſt Unus ac ſolus Deus: qui in principio, ante omnia opera ſua, ab æterno exſtitit in ſeipſo; & ut æternus, ſapien-

Digitized by Google

ſapientiſſimus, abſolutæ poteſtatis Dominus, ac immutabilis eſt; ita Period. I.
ab æterno pro ſapientiâ ſuâ ac poteſtate, liberrimum ac immutabile V.T.art.I.
de omnibus univerſe rebus, quæ ſunt vel fiunt, decretum apud ſe condidit. Quod quidem rationibus certiſſimis ex naturâ Dei & Scripturâ deductis alibi evicimus. Quin etiam Gen. 1, 2. & ſeqq. capp. haud obſcurè docetur. Si enim Deus jam erat in principio Creationis, exiſtens, operans, & actuoſus in ſeipſo: quomodo non cogitaſſet, ſtatuiſſet de rebus extra ſe paulò poſt futuris? Si ſingula diſpeſcuit, diſpoſuit, ordinavit accuratiſſimè, tum etiam approbavit pleniſſimè, qui præſcius eorum haud fuiſſet? Si hominem imagine ſuâ exornatum inſtruxit providentiâ & curâ etiam futurorum, quo pacto hæc derogentur abſolutiſſimæ naturæ ipſius? Si inſtitutione Conjugii, ordinatione alimenti & veſtitus, inventione artium & aliorum vitæ ſubſidiorum, Generi humano in omnes mundi ætates, uſq; ad ejus finem mox ab initio conſuluit; quomodo jam tum, adeoque ab æterno, non omnia apud ſe præſtituiſſet & præfiniviſſet? Sed probationem luce clariorem nobis ſuppeditat hiſtoria Diluvii. Prædicitur 120 annis ante, quam immittatur. Nec exacti ii fuerunt, quin aquæ obrutis terris delerent genus hominum & animantium. Niſi immutabili conſilio ita ſtatuiſſet Deus, nec prædici certò potuiſſet, nec invariabili lege eveniſſet. Cæterum evidentiora etiam æternæ Prædeſtinationis divinæ circa Hominum ſalutem vel damnationem veſtigia deprehendere licet. Quum enim totum genus humanum in Adamo conditum eſſet ad imaginem Dei, ut ejus recto uſu conſequeretur Vitam æternam, Deus permiſſo lapſu non unius Evæ, ſed utriuſque, tum ipſius, tum mariti Adami ſic ordinavit, ut alii eligerentur & erigerentur ex lapſu illo, ac ſervarentur per Semen Mulieris, contriturum caput Serpentis: alii in lapſu illo relinquerentur, & propter peccatum æternum perirent. Præterea per vocationem ſeparavit Filios Dei à Filiis hominum: & illos collegit in unum cœtum Eccleſiæ, cui præfuerunt ordine Patriarchæ, & tradiderunt veram doctrinam de agnitione & cultu Dei: licet pro conditione hujus vitæ, in eum irrepſerint etiam hypocritæ, abutentes titulo Filiorum Dei. Denique etiam ſervant reliquias illius Eccleſiæ, non modo ſalute temporali in ipſo diluvio, quod octo animabus contigit 1 Petr. 3. v. 20. ſed etiam æternâ, ſecundum gratiam electionis; quod electorum proprium merito cenſetur. Etſi autem hæc doctrina toto hoc articulo divinitus revelata & tradita fuit, tamen paulatim obſcurata eſt ac depravata, partim quidem inter Filios hominum apoſtatas, qui omnia temerè & caſu fortuito, abſque definito Dei conſilio, fieri crediderunt & docuerunt; partim verò

*& ex diluvio.* (margin, beside "Sed probationem luce clariorem")

*Prædeſtinatio oſtenditur.* (margin, beside "Cæterum evidentiora")

*Corruptelæ doctrinæ.* (margin, beside "Etſi autem hæc doctrina")

Period. I. V.T. art. I. etiam in Filiis Dei; ubi cum conjugiis etiam religio confundi ac commiſceri cœpit. Neque enim elevaſſent, aut inſuper habuiſſent comminationes diluvii, niſi perſuaſi fuiſſent, Deum non curare mortalia, nec eo certo ejus conſilio regi. Qui fuit illius temporis Epicureiſmus & extrema impietas, non jam ferentis amplius ullas Spiritus Sancti redargutiones. Quod & Servator noſter indicat Luc. 17. v. 26, 27. & Petrus teſtatur 2 Epiſt. 3. v. 20.

Artic. II. *Articulo Secundo* pauciora quidem annotata exſtant, habet tamen etiam hic idonea doctrinæ hujus teſtimonia.

Decreti Dei Sicut enim definito Dei conſilio contigit vaſtatio & everſio generis humani per diluvium; ita eodem conſilio ejus reſtauratio, propagatio, diſperſio in totum orbem terrarum diviſis linguis, conſervatio à novo diluvio in perpetuum, conſtitutio imperiorum in genere humano, aliaque facta ſunt.

& Prædeſtinationis documenta. Sed majus momentum habet, quod rurſum ſegregatio hominum, ſalutis cauſa, inſtituta fuit. Quippe Noachus ob impietatem Chamum & Canaanem Eccleſiæ communione excluſit. Japhetus quoque paulatim cum poſteris ab eâ receſſit, ſuo tempore revocandus. Solus Semus ſanctum ſemen ſecundum gratiam electionis propagavit. Gen. 9. & 11. capp.

Artic. III. Decretum probant Prædictiones. At *Tertio Articulo* illuſtriora ſunt omnia & pluribus documentis comprobata. Huc pertinent variæ revelationes & prædictiones earum rerum quæ futuræ erant. Abrahamo prænunciatur ſors & conditio poſterorum in Cananæâ & Ægypto, per annos 400. Gen. 15. v. 13. & ſeqq. eidemque, ſicut & Agaræ matri, fortuna Iſmaëlis cap. 16. v. 10. & ſeqq. cap. 17. v. 20. Iſaac Spiritu divino promit oracula de utriuſque Filii dignitate & poſteritate, cap. 27. v. 29, 41. quorum alter etiam in fortuitis Dei providentiam celebrat v. 22. Jacob viſione eruditur de ſucceſſu & eventu itineris ac peregrinationis in annos viginti, cap. 28. v. 12. & ſeqq. de profectione item in Ægyptum cap. 46. v. 2. atque quid duobus nepotibus ſuis cap. 48. nec non duodecim filiis eventurum eſſet prædicit, cap. 49. Denique Joſeph per ſomnia cognoſcit & enunciat futura ſibi & aliis capp. 37, 40, 41. Quorum omnium infallibilis certitudo ab immutabili Dei decreto dependet.

Prædeſtinationis argumenta. Porrò Prædeſtinatio divina multo etiam apertius hîc ſe aperit. Cujus argumenta ſunt Vocatio Abrahami ex Ure Chaldæorum, & pactio fœderis gratuiti ſive promiſſionis cum ipſo & ſemine ipſius, non quidem carnali, ſed ſpirituali Gen. 12, 15, 17. Utroque enim modo Deus teſtatam fecit æternam electionem ad vitam, tum ipſius, tum etiam ſpiritualis ſeminis, orti ex ipſo per regenerationem Spiritus. Ideò vocavit eum ex Ure Chaldæorum & reliqua familia paternâ, cap. 11. vel 12. ideo ſeparatum eſſe voluit à Lotho & domo ipſius cap. 13. non aliâ etiam de cauſâ ſecrevit Iſaacum

Digitized by Google

Period. I. artic. III.

cum ab Iſmaële & Keturæ filiis cap.17,21,25. & Patriarchas horumq; liberos ac poſteros à Cananæis & Ægyptiis cap.34. & 47. Quod myſterium cortice hiſtoriæ tectum Gen.25.v.23. evolvit & perſpicuè declarat Apoſtolus Rom.9.v.6. & ſeqq. & cap.11.v.1,2,16,18. Hæc doctrina de Decretis Dei variè repetitur, & diligenter inculcatur in libro Jobi; cujus hiſtoria omnino ad hunc articulum pertinet. Cap.28. v.23. & ſeqq. celebrat occultam ſapientiam conſiliorum, & gubernationis divinæ, quæ nulli ſit perveſtigabilis. Cap.7.v.1. & cap.14. v.6. docet cuique mortalium certum vitæ terminum fixum eſſe. Cap. 23. v.14. aſſerit decreta Dei eſſe immutabilia; quæ non revocet aut retractet. Paſſim verò infinitam Dei ſapientiam, abſolutam in omnes poteſtatem ac liberrimum beneplacitum prædicat, quæ in gubernatione generis humani maximè eluceant.

Ex libro Jobi Decreta docentur.

Periodus V.T. ſecunda. Artic. I. Doctrina vera t radi-ti.

*Secunda Periodus* inſtructa eſt clariſſimis teſtimoniis, quorum præcipua ordine commemorabimus. Ad *Primum articulum* pertinent, quæ exſtant in quatuor poſtremis libris Moſis. Exod.9. v.16. *Propterea feci ut reſtares, ut oſtendam in te virtutem meam: & ut enarretur nomen meum in universâ terrâ.* Apoſtolus Rom. 9. verſ. 17. reddit ἐξήγειρά σε *exitavi te:* ubi Pharaonem proponit tanquam exemplum reprobationis divinæ. Sive autem referatur ad creationem Pharaonis, ſive ad conſervationem ejus in mediis plagis, firmum eſt argumentum à mediis ad finem ante præ ſtitutum. Exod.19.v.5,6. *Eritis mihi peculium præ omnibus aliis populis, nam mea eſt tota terra.* ut potuerim jure meo alium quemvis populum eligere. Hæc eſt electio populi Iſraëlitici: cujus cauſam alibi graphicè nobis depingit Deut.7. v.6,7,8. *Te elegit Iehova Deus tuus, ut ſis ei populus peculiaris præ omnibus populis, qui ſunt ſub univerſo cælo. Non eò quod plures eſſetis omnibus reliquis populis amore propendit Iehova in vos, & elegit vos, vos enim eratis pauciſſimi omnium populorum. Sed eò quod diligit Iehova vos.* Et propoſitum Dei gratuitum electionis illius cauſam. Iterum cap.8. v.17,18. & cap.9. v.4,5,6. non ſufficit Moſi quod dixerat, non propter meritum ipſorum adeptos eſſe hæreditatem terræ Canaan, ſed propter pravitatem & pervicaciam etiam eâ indignos fuiſſe declarat. Sic ergo antiquiſſimum dogma Prædeſtinationis in Iſraëlitici populi exordiis proponitur, quod deinceps ſubinde in omnibus pene libris ſacris iteratur. Nec refert, quod Moſes hîc agit de Electione temporali Iſraëlitarum, ut eſſent populus Dei, & de beneficiis temporalibus Electionem illam conſecutis: ut erant liberatio ex Ægypto, introductio in terram Canaan, &c. I. enim temporalis illa electio etiam includebat æternam, non quidem quoad totum corpus populi, ſed quoad aliquos in illo corpore. Nam in cœtu voca-

cato-

Digitized by Google

Period. II. artic. I. catorum ſemper ſunt aliqui Electi, donandi vitâ æternâ. Et ſpeciatim de illo populo id teſtatur Apoſtolus Rom. 11. cap. II. à liberatione ex Ægypto, & introductione in terram Canaan valet conſequentia tanquam à typis ad rem ſignificatam: etiam redemtionem à peccato & vitam æternam Deum gratis atque ex merâ delectione dare, quibus ab æterno eam voluit ac deſtinavit. III. militat hîc generalis ratio. Si externa iſta nullis Iſraëlitarum meritis, ſed à ſolo miſerentis Dei propoſito pendebant: multo magis ab eodem pendere electionem ad regni cœleſtis hæreditatem. Sed audiamus etiam reliqua Exodi loca. Cap.32.v.32. *Si non ita eſt*, ſcilicet ut condones, *dele me nunc de libro, quem ſcripſiſti.* & v.33. *Eum, qui peccaverit mihi, delerem de libro*; ſcilicet, ſi quem deleturus eſſem. Liber ille eſt Liber vitæ, ut dicitur Phil. 4. v. 3. propterea quod ſcripti in eo, qui ordinati ad vitam æternam Actor. 13. v. 48. Tria ergò docet, I. Eſſe librum Deo, in quo ſcripſit, quos ſervare decrevit. II. Numerum eorum certum definitumque eſſe. III. Eſſe etiam immutabilem; quia neminem delet Deus ex libro illo: utut illud Electi mereantur. Exod.33.verſ.19. *Gratioſus ero, cui fuero gratioſus: & miſerebor, cujus miſertus fuero.* Quibus verbis reſpondet ad verba Moſis v. 16. ubi gratiam Dei confirmari petiverat, non ſolum erga ſe, ſed etiam totum populum. Significat ergo Dei miſericordiam eſſe planè gratuitam, eamque liberrimo Dei decreto diſpenſari, non omnibus & ſingulis, ſed iis tantùm, quibus viſum eam gratificari. Quæ eſt ipſiſſima Prædeſtinatio, quoad aliorum Electionem, aliorum item Reprobationem ſive præteritionem. Num. 23.v.23. teſtatur Bileam, Deo veracitatis teſtimonium perhibens, voluntatem Dei, omniaque ejus oracula certa eſſe ac ineffabilia: quorum multa complenda in populo recenſet toto cap.24. Erat igitur de his certum ac immutabile Dei decretum: quod etiam ad alias rerum futurarum prædictiones eſt referendum: Deut. 17,18,33. capp. Sed nobile inprimis eſt dictum Deut. 29. v.29. *Quæ occulta ſunt, penes Iehovam Deum noſtrum ſunt: at quæ revelata, nobis & filiis noſtris uſque in ſeculum, ut faciamus omnia verba hujus Legis.* Summa eſt: Deum voluntatis ſuæ rationem ſic inſtituiſſe, ut partem ſibi, prout infinitus eſt, abſtruſam conſervet, partemque cum hominibus, ac præſertim cum Eccleſiâ ſuâ communicet. Illam non eſſe ſcrutandam nobis; ut quæ in Deo lateat tantiſper, donec eventu ipſo innoteſcat: hanc verò ſedulo & cognoſcendam & faciendam eſſe. At voluntas Dei abſtruſa, occulta, inſcrutabilis, eſt conſilium ipſius ſive decretum de rebus futuris, nec non de occultâ gubernatione rerum humanarum. Jud.14. v.1. de Simſone, *Pater & mater ejus ignorabant à Iehova id eſſe*: id eſt,

Deum

Digitized by Google

Deum ſic decreviſſe & velle in ultionem Philiſtæorum : quod ex eventu patebat. 1 Sam.2. v.25. *Non auſcultarunt voci Patris ſui*, ſcilicet filii Eli, *quia volebat Iehova morte afficere eos* : hoc eſt, ſic decreverat, eoque non largiebatur eis gratiam reſipiſcentiæ. *Secundi Articuli* dicta ſunt : 1 Sam.15.v.29. *Æternitas Iſraëlis non committet mendacium, &c.* quo immutabilitas voluntatis ac decreti divini ſignificatur. 2 Sam.7. v.12,13. & ſeqq. narratur decretum Dei de ſucceſſione in regno typico Davidis, ejuſque converſione in regnum ſpirituale Chriſti Jeſu. Pſal.2. v.7,8,9. *Decretum enarraturus ſum, &c.* ubi aperit, quid de Perſonâ & officio Meſſiæ apud ſe ſtatuerit ab æterno : quod aliis Pſalmis propheticis de Chriſto pluribus explicatur, videlicet 16,22,40,69, 110,118. Pſal.4.v.3,5. docet divinitus decretum ſibi regnum, eoque fruſtra fore omnes hoſtium ac æmulorum machinationes. Pſal.22. v.30,31. *Comedentes incurvabunt ſeſe omnes pingues terræ, &c. horum ſemen colet eum, accenſebitur Domino in quâque ætate.* Ergò electio decreta erat ex omni hominum ordine ; & vocationem Electorum ad finem uſque ſeculi durare neceſſe eſt. Pſal.33.v.10,11. quod eſt de immutabilitate omnium decretorum divinorum. Pſal. 87. v. 6. Electorum certus numerus eſt, iſque ſoli Deo notus ; ut qui eos numeravit ac conſcripſit in libro vitæ. Pſal.102. v.13,25,26. notatur immutabilitas voluntatis ac decreti divini. Pſal.115.v.3. *Deus noſter in cœlis eſt, quicquid voluit, fecit* : hoc eſt, quicquid apud ſe præfinivit ab æterno. Prov.16.v.4. *Omnia fecit Deus propter ſeipſum : etiamque impium ad diem mali.* Proinde etiam ad gloriam ſuam omnia prædeſtinavit ab æterno. Cap.19. v.21. *Multæ cogitationes inſunt animo cujuſque, ſed conſilium Iehovæ ipſum ſtabit.* Eccleſ.6.v.10. *Quicquid eſt aliquis, jam vocatum eſt nomen ejus, &c.* id eſt, cujuſcumque ſit aliquis conditionis, id contingit ei ex decreto Dei : quod immutabile, ut fruſtra de eo mutando laboret. Ad *Tertium Articulum* referenda ſunt hæc & ſimilia : 1 Reg. 12.v.24. *A me facta eſt res iſta* : meo decreto, voluntate, occultâ gubernatione. 1 Reg.22.v.19. & ſeqq. *Vide Iehovam inſidentem ſolio ſuo, &c.* ubi decretum ſimul & judicium Dei deſcribitur. 2 Chron.25. v.16. *Agnoſco Dominum juſſe conſilium de perdendo te.* Eſa.4.v.2. *Quicunque fuerit ſcriptus ad vitam in Ieruſalem*; id eſt, in Eccleſiâ. Certus igitur numerus eſt prædeſtinatorum ad vitam. Cap.6. v.9,10,11. prædicitur excæcatio & induratio Judæorum incredulorum, ex decreto ejus pendens. Cap.8. v. 10. *Inite conſilium, & irritum fiet; &c. nam Immanuelis exiſtet verbum.* & v.18. *Ecce ego & pueri quos dedit mihi Dominus* : nempe certo ſervandi propoſito. Cap.14. v.27. *Iehova exercituum inivit conſilium, & quis irritum faciat? & manum ejus extentam ec-*

Period. II. artic. I.

Artic. II. pariter.

Artic III. ſimiliter.



Digitized by Google

Period. II. artic. III.

*quis avertat?* notatur immutabilitas decretorum divinorum. Cap. 42. v. 1, 2. *En ſervum meum, electum meum, &c.* Chriſtus igitur ipſe electus ab æterno, clariſſimum eſt exemplar electionis: utpote qui caput omnium electorum. Cap. 46. v. 10. *Conſilium meum ſtabit & omnem delectationem meam facturus ſum:* quod de omni Dei decreto diſerte affirmatur. Cap. 53. v. 10. *delectatio Iehovæ per eum proſperabitur,* hoc eſt, res illa quâ delectatur, & quam per ipſum effectum dare decrevit. Jerem. 4. v. 28, 30. *Cogitavi, nec pœnitet me, nec avertam me ab eo:* Ideo vana pronunciantur omnia conſilia & inſtituta humana. Cap. 6. v. 30. *Argentum reprobum vocantur illi: quia reprobat Iehova illos:* quod argumentum reprobationis ab æterno factæ. Cap. 10 v. 16. *Formator omnium,* ſcilicet populorum ac hominum, *eſt,* nempe Jehova. *Iſraël autem eſt virga hæreditatis ejus,* hoc eſt, Eccleſiam peculiariter ſibi elegit ad vitam æternam. Cap. 30. v. 7, 8. *Eheu, quia magnus eſt dies hic, &c.* nimirum, quia Deus ſingulis eventis ſuum tempus decrevit. Hoſ. 13. v. 14 *E poteſtate ſepulchri redimam eos, &c. pœnitentia abſcondita erit ab oculis meis:* ut quæ abſolutè à Deo præfinita, eoque ſimpliciter irrevocabilia erant. Ita habuit doctrina Eccleſiæ Iſraëliticæ ante Captivitatem Babylonicam periodo ſecundâ. In quâ tamen non defuerunt impii ac profani deriſores, qui negarunt decreta Dei, & ex iis gubernationem ipſius. De quibus Pſal. 14. & 53. inprimis Eſa 5. v 19. & alibi. Extra Eccleſiam verò in Gentibus, deſtitutis luce Verbi & nova revelatione, paulatim obſcurata & exſtincta fuit hæc doctrina. Etſi enim pleræque, communi quâdam conſenſione, tenerent hoc principium: eſſe Providentiam non minus, quam Deum; tamen cum obſervarent in rebus humanis alia præter & contra conſilia inſtitutaque humana neceſſitate quâdam fieri, ut impedire nullo modo poſſent; alia autem temerè & ita contingere, ut nulli certa eorum poſſet dari ratio, in duos veluti contrarios ſcopulos impegerunt, ſtatuentes τὴν μοῖραν καὶ τύχην, Fatum & Fortunam. Fatum dixerunt immutabilem rerum neceſſitatem, ex earum inter ſe connexione dependentem, cui non modo homines, ſed ipſum quoque Deum ſubjecerunt. Teſtis hâc ætate vel unus Homerus, lib. 6. Iliados, & 3. Odyſſeæ; qui exempli loco adducit ipſum Jovem, non volentem bello Trojano ſervare filium chariſſimum Sarpedona, quod fatis urgeretur: lib. 16. Iliad. tum etiam Neptunum, qui reditum Ulyſſis in Ithacum, cui ob caſum filii Cyclopis infeſtus erat, impedire nequivit, quod fatis propitiis uteretur: lib. 5. Odyſſ. Fortuna Homeri inventum eſt, cui caſus fortuitos, & quorum cauſa latebat, tranſcripſit. Sed cum modica eſſet ejus potentia, Jovi ſubdita, ſequentes Poëtæ ſummam rei ei detulerunt, ampli-

Gentiles ſtatuerunt omnia fieri Fato, & Fortunâ.

amplificata in immenſum ejus potentia. Ut alibi pluribus dicetur.

Periodus V.T. tertia.

Nunc ad *Periodum Tertiam* Veteris Eccleſiæ progrediuntur. *Articulum primum* implent nobis duo Prophetæ, Ezechiel & Daniel. In quibus cum tot tantæq; rerum futurarum prædictiones, tot earundem typicæ præfigurationes occurrant; certè ſententia eorum de Dei conſiliis atque decretis dubia eſſe nequit. Paucula tamen ex utroque delibabimus. Ezechiel cap. 1. & 10. viſione animalium & rotarum inter ſe complicatarum docet, utut variæ inſtabileſque ſint res humanæ toto mundo & per quatuor ejus plagas: tamen eas à Deo certo conſilio & deſtinatâ providentiâ regi. Cap. 9. ſignatione & ſeparatione quorundam ex pereuntibus, æternæ electionis, quæ eſt in Chriſto, myſterium nobis adumbrat. Sicut cap. 16. idem proponit in gratuitâ populi electione, ſub typo puellæ. Daniel autem paſſim toto libro decreta Dei de rebus futuris ſubjicit & inculcat. Cap. 2. v. 28, 29. arcana, hominibus imperſcrutabilia, de decretis divinis circa regna ordine ſibi ſucceſſura exponit. v. 37. & ſeqq. Cap. 4. v. 17. memorat decretum Vigilum, id eſt, Angelorum tanquam miniſtrorum Dei, per *ἀνθρωποπάθειαν*, (ut 1 Reg. 22. cap.) quod deinde v. 24. ſoli Deo adſcribit: & cauſam ejus in liberrimâ Dei voluntate atque poteſtate ſubjicit v. 34, 35. Cap. 8. v. 14. definit tempus vaſtationis ſanctuarii, ex decreto: v. 19. autem ait, finem ejus conſtituto tempore futurum. Cap. 9. v. 24. ſeptimanæ, & v. 27. vaſtatio deciſæ, hoc eſt, divinitus decretæ, determinatæ dicuntur. Cap. 10. v. 21. quæ vaticinatur Propheta, teſtatur exarata eſſe in libro, eoque verace: ſignificans infallibili decreto ſic ſtatuta eſſe. Cap. 11. v. 35. tempus præfinitum ait conſtitutum eſſe. v. 36. effectum iri, quod deciſum erat. v. 40. tempore præfinito conflictum facturum. Cap. 12. v. 2. pollicetur ereptum iri populum, quicunque libro inſcriptus fuerit, hoc eſt, decreto Dei ad hanc ereptionem prædeſtinatus.

Artic. I. Doctrinæ veræ continuatio apud Prophetas.

*Articulo Secundo* idem omninò tradiderunt Prophetæ Haggæus, Zacharias, & Malachias, illius temporis Doctores atque Scriptores Hagg. 2. v. 23. *Ponam te ut annulum ſignatorium, quia te elegi, dictum Iehovæ exercituum:* ſive literaliter de Zorobabele, tanquam magiſtratu; ſive myſticè de Chriſto accipiatur, cauſam hujus amoris atque curæ in gratuitâ Dei electione proponit. Zach. 1 v. 17. cap. 2. v. 16. dicitur Deus adhuc, & rurſum eligere Hieroſolymam: quod reſtitutione populi & politiæ teſtaretur firmam ac immutabilem eſſe electionem ipſius. Cap. 6. v. 1. montes chalybei deſignant immutabilia Dei decreta; quorum exſecutores angeli. Cap. 10. v. 6. ad miſericordiam Dei tanquam ſummam cauſam omnia refert. Malach. 1. v. 2, 3. ex effectis temporariis oſtendit electionem

Artic. II. ſimiliter.



Digitized by Google

Period. III. artic. I.

æternam Jacobi, reprobationem item æternam Eſavi: & utramque immutabilem ſtatuit, quia nullo conſilio conatuve reſtitui Eſau potuerit, v. 4. Cap. 3. v. 6. autem immutabilitatem decreti ac voluntatis ſuæ erga Judam, ex immutabili naturâ ſuâ deducit. Non perſequemur cætera, quæ huc referri poſſent; quod de doctrina ex his liquido conſtet. Porro in utrumque, maximè tamen in Secundum Articulum, incidit ætas Philoſophorum, qui in Aſiâ, Græciâ, Italiâ dogma de Providentiâ in Scholis ſuis tradiderunt.

Philoſophi de Providentiâ ejuſque decreto diviſi.

Etſi enim ne tum quidem defuerunt Poëtæ, qui dogmata veterum interpolarent ac illuſtrarent: Phocilides, Epicharmus, Pindarus, Sophocles, Euripides, Ariſtophanes; tamen cum fabularum involucris mirè involverentur, ferè obſcuriora erant, & vulgo parum intellecta. Ideò Philoſophi Pythagoras, Socrates, Plato, Zeno, Epicurus, Ariſtoteles, detractis involucris ſententiam ſuam nudè ac perſpicue propoſuerunt. Et Zeno quidem amplexus tuituſque eſt dogma de Fato, quod inde Zenonis ac Stoicorum dici cœpit. Epicuro placuit dogma de Fortunâ, ab eo quoque denominata. Cæteri, inter utroſque, meliorem ſententiam elegerunt ac ſecuti ſunt. Id tamen de Decretis communis Providentiæ præcipue eſt accipiendum. Nam quod æternam Dei Prædeſtinationem attinet, illa non modo ignota eſt rationi, latens in myſterio, & ſolo Euangelio nobis patefacta: Rom. 9, 10, 11. Eph 1. cap. ſed etiam eidem repugnat; ut quæ ex nobis, hoc eſt, ex viribus & actionibus liberi arbitrii, cauſam ſalutis arceſſit ac deducit. Ut de tribus Philoſophorum ſectis ſive familiis, quæ opinionibus ſcinduntur & differunt, hìc dicendum ſit.

Primi defendunt Fatum.

*Prima* pro decreto Providentiæ docuit ac defendit τὴν μοῖραν vel αἶσαν, quam & πεπρωμένην ἢ εἱμαρμένην Græci, Latini *Fatum* ſive *Parcam* dixerunt. Quorum nominum evolutio declarandæ rei ſubſervit. Μοῖρα appellata eſt ἀπὸ τοῦ μείρεσθαι à rerum partitione, quæ Parcis ſororibus in fabulis tribuitur. Αἶσα item, quaſi ἀεὶ οὖσα; & eſt Deus ipſe, vel voluntas Dei æterna ac immutabilis: autore Ariſtotele libro de Mundo. Πεπρωμένη vel πεπρωμένον, utroque genere, pro πεπερατωμένον, per ſyncopen; quod fato deſtinatum ac venturum eſt, διὰ τὸ πεπερατῶσθαι πάντα, ut tradit Ariſtoteles de Mundo, quod ab eo terminata ſint omnia. Denique Εἱμαρμένη, quod eſt ab εἵμαρμαι, & verbo μείρομαι fato deſtinari, ut Lexicographi; vel ut in Topicis Boëthius, ἀπὸ τοῦ εἴρειν nectere, quod omnia connectat, & quamque cauſam ad ſuos effectus trahat. *Fatum* Latinis eſt à fando, id eſt, loquendo; quod ſit dictum, hoc eſt decretum immutabili lege: quo refert Auguſtinus ſano ſenſu illud Pſal. 62. v. 12. *Semel locutus eſt Deus*, lib. 5. de Civit. Dei cap. 9. Sed hìc quæ præter Dei hominumque voluntatem cujuſdam ordinis

ordinis neceſſitate contingunt: ſicut dicitur in verſu: Quod fore paratum eſt; ſummum id exſuperat Jovem. Poſtremo Parca à parco, per antiphraſin, quod nemini parcant Parcæ. Varro tamen à partu dici putat, unius literæ mutatione, quoniam, ut vult Heſiodus, naſcentibus hominibus bonum vel malum confert. Finguntur eſſe tres, Clotho, Lacheſis, & Atropos; ut Heſiodus in Theogoniâ: quoniam tria ſunt tempora, quorum decurſu evolvuntur omnia, præſens, præteritum, & futurum: quæ ἀνάγκης neceſſitatis filiæ dicuntur. Eædem ſunt cum Fato, teſte Cicerone. Intelligimus igitur his vocibus ſignificari neceſſitatem rerum omnium, ex eorundem inter ſe connexione ab æterno factâ. Definitionem ejus tradit Gellius ex Chryſippo, lib. 6. noctium Atticarum cap. 2. *Fatum eſt ſempiterna quædam & indeclinabilis ſeries rerum, & catena, volvens ſemetipſa ſeſe, & implicans per æternos conſequentiæ ordines, ex quibus apta connexaque eſt.* Et Cicero lib. 2. de Divinatione, explicans ſententiam Stoicorum; *Eſſe*, inquit, *ordinem ſeriemque cauſarum, cum cauſa cauſa nexa rem ex ſe gignit; eamque eſſe ex omni æternitate fluentem veritatem ſempiternam.* Et de Fato: *Omnia naturali colligatione conſertè contexteque fieri.* Ex quibus patet: I. quod Fatum poſuerunt extra Deum in ipſis cauſis. II. quod connexionem earum naturalem ſtatuunt; naturâ, non Dei conſilio factam, cui ipſe quoque ſubſit. III. tradunt connexionem hanc reipſâ eſſe æternam. IV. nullum eſſe inter cauſas diſcrimen, ſed omnes eſſe naturales, & naturâ agere. V. ſerie illâ ut contineri, ſic cogi humanam voluntatem. Quorum quædam duntaxat ad decretum, cætera ad ejus exſecutionem pertinent. Et hæc eſt Fatalis neceſſitas, quæ Stoicis attribuitur. Quæ omnia contraria ſunt iis, quæ ex divinis Scripturis tradidimus: quibus Decreta à Deo & in Deo eſſe dicimus: æterna quidem, ſed pro liberrimo ipſius conſilio, ex quo tum ordo cauſarum, tum eventus neceſſitas promanat. Quanquam Auguſtinus hanc ſententiam ipſorum mitigat, & benignius interpretatur, quod à Jove, quem ſummum Deum putabant, connexionem dixerunt pendêre fatorum. lib. 5. de Civitat. Dei cap. 8. Sic etiam Cicero lib. 1. de Naturâ Deorum, eoſdem Philoſophos magnos & nobiles nuncupans, cenſere ait, deorum mente atque ratione omnem mundum adminiſtrari & regi. Autor ſententiæ hujus inter Philoſophos habetur Zeno Cittiæus, teſte Cicerone libro de Oratore, ex Citto Cypri civitate oriundus. Qui quod in ϛοᾷ ſive porticu doceret Athenis, conditor ſectæ Stoicorum, & dogma ipſorum Fatum Stoicum appellatum eſt. Tanto in honore fuit Athenis, ut ipſum ærea ſtatuâ & coronâ aureâ ornarent: tum etiam claves urbis apud eum deponerent. Diſcipulum habuit Chryſippum, ut qui ingenii acumine

Period. III. Artic. II.

Autor dogmatis.



Digitized by Google

Period. III artic. II.

mine excellebat, ita dogma de Fato ſtudioſè propagabat. Origo dogmatis eſt à depravatione ſanæ doctrinæ de Providentiâ per Poëtas; cujus rationes à Philoſophis excuſſæ ſunt. Nam I. ut cauſæ ſecundæ aliæ ſunt à Deo, & extra ipſum; ita etiam Fatum in cauſis ſecundis ſtatuerunt, à Deo autem amoverunt. II. Ut ordo rerum conſtans eſt ac perpetuus, ita cauſarum connexionem certam & immutabilem eſſe crediderunt. III. ut eventus ex iis neceſſarius eſt, ita omnia dixerunt eſſe neceſſaria & fatalia. Inprimis in adverſitatibus & afflictionibus; ubi fruſtra eſſe obſervabant vota, ſacrificia, & cætera averruncandis malis ſuſcipi ſolita, nec mutari quæ patiebantur mortales mala. *Secunda* ſecta eſt, quæ negat eſſe Providentiam, ſive eſſe aliquod Dei conſilium, quo mundus & quæ in eo ſunt gubernetur, ſed omnia iſta τῇ τύχῃ ſive Fortunæ adſcribit. Τύχη Græcis eſt à τυγχάνω, quod eſt adipiſcor, ſortior, accido. *Fortuna* Latinis à fors, τὸ φέρον, quia in fortuna magna vis eſt in utramque partem, vel ad ſecundas res, vel ad adverſas: ut ait Cicero. Alii tamen initio Vortunam dictam volunt, à vertendo, ex quo, mutatione V in F, Fortuna facta. Nomen hoc non fuit in uſu ante Homerum, ut diximus: ac ne quidem ab Heſiodo celebratur. Sed poſtea invaluit. Et Poëtæ quidem finxerunt Deam, rerum omnium Dominam, potentiſſimam quidem, ſed inconſtantiſſimam, quæ pro arbitrio ſuo omnia ſurſum deorſumque volveret, ac tum proſperi, tum adverſi infelicisſque ſtatus autor & cauſa, ſed occulta & obſcura eſſet. Euripides in Hecuba. Ariſtoteles autem in Phyſicis vocat Cauſam per accidens ἐν τοῖς κατὰ προαίρεσιν, & eſſe eorum tantum, que neque ἀεὶ ſemper, neque ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ut plurimùm, ſed raro contingunt: eſſe etiam cauſam ἐν τῷ ἀνθρώπῳ ἄδηλον, in homine haudquaquam manifeſtam, ſed occultam & latentem, antequam videlicet effectus contingat. Ita in Logicis diſtinguitur à caſu. Sed hîc aliter ſumitur: ut opponatur providentiæ Dei. Eſt enim temeraria & inordinata cauſa eorum quæ fiunt, ſive in agentibus ἐκ προαιρέσεως, ſive in brutis. Sed explicatius proponimus hanc de Fortunâ ſententiam Philoſophorum tribus capitibus. I. In univerſum tollunt Dei conſilium & providentiam in his inferioribus, aſſerentes Deum non affici ullâ curâ gubernationis rerum humanarum. II. Ipſis cauſis ſecundis inſitas eſſe ajunt agendi vires & potentiam: quæ exſerat ſe quando fit applicatio agentis ad patiens. III. Applicationem porrò illam contingere non ex Dei conſilio, aut ipſo ciente & moderante, ſed ſine ordine ac deſtinatione, prout caſus tulerit, atque ita demum conſequi effectum; plane quemadmodum atomi in ſole volitant ſine certo ordine, & quæ nunc ſupremo loco eſt, poſt intermedio aut infimo conſpicitur. Ideò Deum fingunt

Secundi negant omnem Providentiam.

Digitized by Google

Period. III. artic. II. Autor ſententiæ.

fingunt otioſum in cœlo, genio tantum indulgentem, nihil ſibi negotii dantem, neque etiam alteri: ut ipſi loquuntur. Autor hujus ſententiæ & conditor ſectæ eſt Epicurus Athenienſis, magni nominis in patriâ philoſophus: cui tantum tribuit Lucretius, ut non dubitet affirmare; eum lumen cæterorum obſcuraſſe, ſicut ſol exortus ſtellas. Fuit vitæ continentiſſimæ. Et ſummum hominis bonum poſuit in voluptate animi, atque abſentiâ dolorum. Verum Ariſtippus, qui poſtea ſecutus eſt, voluptatem ad corpus retulit; quomodo nomen Epicuri infame reddidit, ut voluptuarii deinceps Epicurei dicerentur. Cæterum dogma præcipuum Epicuri fuit de Providentia. Occaſio autem & cauſa dogmatis profani duplex. Una ex parte Dei; videlicet, tum beatitudo Dei, quam inturbaret talis occupatio & cura gubernationis: tum majeſtas & excellentia, quâ prorſus indignæ ſint res terrenæ. Altera ex parte cauſarum ſecundarum. I. quod multa ſint ἄτακτα in mundo; inprimis venti, nubes, alia, quæ tumultuariè ſine ordine feruntur. II. quod bonis malè, & contra malis ferè bene ſit, ut ſine juſtitiæ lege iſta eveniant. Ad quæ facilis eſt reſponſio, ſed quæ alio loco producenda. Videatur Diogenes Laërtius in vitâ Epicuri, Cicero lib. 1. de naturâ deorum, alii.

Tertii Providentiam agnoſcunt.

*Tertia* ſecta eſt eorum, qui non minus fatum quam fortunam rejicientes & damnantes, πρόνοιαν ſive Providentiam agnoſcunt & docent: quam primus in Philoſophiâ ſic nominavit Plato, teſte Laërtio. Hi igitur docuerunt, ſicut eſt Providentia, ita eſſe Conſilium ſive decretum, quo Deus ſtatuerit apud ſe de iis, quæ fiunt in mundo. II. eſſe etiam Præſcientiam futurorum, quam magno conſenſu Deo tribuunt: teſte Theodoreto de curandis Græcorum affectionibus lib. 6.

Autores ſententiæ.

Hujus ſententiæ autores & propugnatores fuerunt Pythagoras, ut eſt apud Jamblichum, Socrates, Plato, Ariſtoteles, horumque diſcipuli. Sed tamen illi ipſi in diverſas opiniones hîc dilapſi ſunt. Plato ſtatuit Deum curare quidem univerſa, & proſpicere primariis ejus partibus, ut rerum genera ac ſpecies conſerventur: Sed aliis poteſtatibus inferioribus tribuiſſe provinciam curandarum rerum ſingularium, nec moderandarum actionum humanarum. Ariſtoteles autem diſpenſationem Providentiæ divinæ ex conſilio & decreto ipſius reſtrinxit ad res ſuperas & cœleſtes, inferiora autem & viliora, nec non agentia voluntaria ejus curæ & regimini exemit, quæ agerent ex inſtinctu ſuæ naturæ, concurrente cœli & aſtrorum influxu. Hi errores longè lateque propagati fuerunt, atque ad extremum in ipſam influxerunt Eccleſiam: ut mox dicetur.

Artic. III. Doctrina de Decretis in Eccleſiâ manſit.

*Articulo Tertio* ab exceſſu Prophetarum uſque ad Chriſtum in Eccleſia manſit doctrina orthodoxa de Decretis Dei, ut ex teſtimoniis librorum Apocryphorum maxime Di-

dactico-

Digitized by Google

Period. III. artic. II. dacticorum, colligere eſt. Liber Sapientiæ quidem Conſilium Providentiæ, & ex eo diſpenſationem clariſſimè refert. Cap. 8. v. 1. *Pertingit ſapientia à fine uno ad alterum fortiter, & diſponit omnia utiliter.* Cap. 14. v. 3. *Tua, ô pater, gubernat providentia.* Quæ dicta ſic loquuntur de Providentiæ exſecutione, ut etiam ordinationem ejus & diſpoſitionem complectantur. Illuſtre autem teſtimonium de æterna Dei Electione legitur Cap. 4. v. 15. *Gratia & miſericordia adeſt Sanctis ejus, viſitatioque electis ejus.* Cum enim de translatione Enochi locutus eſſet, hoc conſectarium inde deducit, quod & ipſum electum eſſe docet, & gratiam ac miſericordiam divinam cauſam facit tranſlationis ipſius in cœlum. Etſi vero huic ſententiæ videtur contradicere Cap. 11. v. 24, 25. cum dicit, *Miſereris omnium, Diligis omnia quæ ſunt, & nihil abominaris eorum quæ feciſti:* id tamen ex mente Scripturæ canonicæ atque etiam ipſiuſmet interpretatione accipiendum eſt, videlicet quà ſunt creaturæ v. 24, 26, 27. *nec enim comparaſti quicquam quod haberes odio; &c.* & quoad pœnas v. 18. ſeqq. Syracides autem non ſolum de Decreto providentiæ communis, ſed de Prædeſtinatione quoque & Præſcientiâ Dei ſermonem inſtituit. De Providentia communi, cum inquit Eccleſiaſtici cap. 14. verſ. 3. *Dies numeratos, & præfinitum tempus dedit ipſis:* hominibus ſcilicet, quos Deus creavit. Cap. 18. v. 8. *Numerus dierum hominis, ut ſicut plurimi, eſt annorum centum; ſed cuique præfinitum obdormiendi tempus.* Certus igitur vitæ terminus unicuique à Deo fixus eſt ab æterno. De Prædeſtinatione item, Cap. 33. verſ. 11. & ſeqq. ubi de gubernatione Dei, quâ genus humanum regit, tria dicit, I. Homines omnes coram Deo pares eſſe, ratione originis, omnes ex terræ pulvere, omnes velut lutum figuli. II. Differentias omnes & diſcrimina à Deo eſſe extollente unum, deprimente alterum; benedicente huic, illi maledicente. III. Cauſam diſcriminationis conſiſtere in Dei diſpoſitione ac liberrimo arbitrio voluntatis ejus: quæ omnia naturam divinæ Prædeſtinationis nobis declarant. Denique de Præſcientia Dei Cap. 42. v. 20, 21. *Novit Altiſſimus notitiam omnem, & introſpicit in ſigna æterna, nuncians res præteritas & futuras, & occultarum veſtigia retegens. Non præterit ipſum ulla cogitatio, non abſconditus eſt ipſi ne unus quidem ſermo.* Cæterum ſub imperio regum Syriæ ſive Seleucidarum, introductæ in populum Judæorum opiniones Græcorum, ut tam Fatum quam Fortuna à quibuſdam crederentur. Cum enim in tres ſectas ſive hæreſes ſciſſus eſſet populus, Phariſæorum nimirum, Saducæorum, & Eſſenorum; primi & ultimi Stoicorum dogma de Fato amplexi ſunt, & fatali neceſſitate cuncta fieri docuerunt. Teſtis eſt Joſephus Antiquitatum lib. 13. cap. 9. & lib. 18, cap. 2. itemque de bello Jud. lib. 2. cap. 7. qui non tantum doctri-

Phariſæi & Eſſeni Fatum agnoverunt.

doctrinam ſed etiam nomen *εἱμαρμένης* ſive Fati ipſis attribuit. Sunt tamen nonnulli rerum Judaicarum periti, qui Phariſæis Fatum Mathematicum adſcribunt, quia מַזָּל *Mazzal* quod ipſis Fatum eſt, aſtrum ſeu planetam ſignificat. Fuerunt enim Aſtrologiæ admodum dediti, atque etiam crediderunt aſtrorum influxu ſublunaria omnia gubernari: videatur Druſius de tribus ſectis Judæorum lib. 2. cap. 21. Saducæi, teſte Joſepho, adſtipulati ſunt Epicuræis, non fatum modo, ſed ipſam Dei Providentiam negantes: cujus in locum ſubſtituerunt liberum arbitrium, fortunam & caſum; affirmaruntque ſecundum voluntatem propriam unicuique malum vel bonum contingere. Plura de iſto capite doctrinæ hoc articulo inter Judæos non occurrunt. Philoſophi verò eodem tempore priorum placita probarunt atque etiam excoluerunt ſententiis inter ſe diviſi, dum alii Stoicis accedunt, alii Epicureis, alii denique Platonicis vel Ariſtotelicis. Quod non ſolum in Græcia ſed etiam in Italia, atque Romæ factum, poſtquam ſtudia literarum iſtic quoque cœperunt efflorеſcere. Cicero, cujus ætas hujus intervalli eſt, Platonicus fuit etiam quoad Providentiam, eo excepto quod Præſcientiam Dei inficiari auſus eſt, quam cum libertate voluntatis humanæ conciliari non poſſe credidit, ut videre eſt lib. 2. de divinatione. Sed ut rectè Auguſtinus, dum homines ſtudet facere liberos, facit ſacrilegos; quâ de re prolixius agit lib. 5. de Civitate Dei cap. 9. & 10. Et ita quidem habuit doctrina Eccleſiæ de Decretis, & inprimis Prædeſtinatione Dei in Veteri Teſtamento.

*Period. III. artic. III.*

*Saducæi Fortunam.*

*Philoſophi diviſi.*

Sed in Novo Teſtamento multo pluribus atque etiam illuſtrioribus teſtimoniis confirmata; ex quibus liquet, Deum futura omnia certo conſilio apud ſe definiviſſe: maximè verò ex genere humano alios in Chriſto ad vitam elegiſſe, alios ad mortem reprobaſſe: prout ab æterno voluit illorum quidem miſereri, horum autem non miſereri. Arceſſimus rem à *Primâ Novi Teſtamenti periodo, primoque ejus Articulo*, quo Chriſtus ejuſque Apoſtoli hoc caput doctrinæ tradiderunt in Eccleſiâ. Quâ in citatione ſequemur ordinem librorum N. T. prout in ſacro codice exſtant. Matt. 11. v. 25, 26. *Gloriam tibi tribuo Pater, Domine cæli & terræ, quod hæc occultaveris à ſapientibus & intelligentibus, & ea retexeris infantibus. Etiam Pater, quia ita placuit tibi.* quod notitiam myſteriorum ſalutis quidam habeant, quidam non habeant, à Deo eſt, ejuſque liberrimo beneplacito. Cap. 12. v. 18. ex Eſai. 42. v. 1. *Ecce ſervus ille meus, quem elegi, dilectus ille meus, in quo acquieſcit anima mea.* Chriſtus quâ caput Eccleſiæ electus, eoque multo magis ejus membra. Cap. 13. v. 11. & ſeq. *Vobis datum eſt noſſe myſteria regni cælorum, illis autem non eſt datum, &c.* Cognitionem ſalutarem & fidem nemo habet ex ſe, ſed datur, & datur

*Periodus N. T. prima. Artic. I. Doctrina de Decretis Dei & Prædeſtinatione tradita à Chriſto.*

Period. I. N. T. artic. I. ex liberrimo Dei beneplacito, unde etiam eſt, quod eædem quibuſdam negentur. Cap. 18. v. 7. *Væ mundo à ſcandalis; neceſſe eſt enim ut eveniant ſcandala.* Non ſolum prædicit ventura offendicula, ſed etiam eorum neceſſitatem oſtendit ex immutabili decreto & infallibili præſcientiâ. Cap. 20. v. 16. & cap. 22. v. 14. *Multi ſunt vocati, pauci autem electi.* Non igitur omnes electi, quibus Euangelium annunciatur: Cap. 20. v. 23. *Sedere ad dextram & ſiniſtram meam non eſt meum dare, ſed quibus paratum eſt à Patre meo:* nimirum æternâ & gratuitâ electione, per quam decernitur hominibus regni æterni hæreditas. Cap. 24. verſ. 22, 24. *propter electos decurtabuntur dies illi; ſeducerent, ſi fieri poſſet, etiam electos.* Electionem igitur eſſe docet, eamque prorſus immutabilem: quam declarat exemplis v. 40, 41. Cap. 25. v. 34. *Adeſte benedicti Patris, poſſidete regnum paratum vobis à jacto mundi fundamento.* & v. 41. *Execrati, abite à me in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus,* ſcilicet à jacto mundi fundamento. Præparatio à jacto mundi fundamento eſt Electionis, quâ regnum cœleſte reſpicit; quâ vero Gehennam eſt Reprobationis. Marc. 13. v. 20. *Electi, quos elegit Dominus:* ne Electos quis dici putet abſolutè, propter inhærentem qualitatem; cum ſic denominantur relatè ex beneplacito diſcriminantis Dei. Luc. 2. v. 34. *Ecce poſitus eſt iſte* (ſcilicet decreto Dei, ex Eſai. 8. v. 14.) *caſui & reſurrectioni multorum in Iſraël*, ut alii per fidem in ipſum ſerventur, alii per incredulitatem impingentes corruant ad mortem. Cap. 10. v. 20. *Gaudete quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis:* videlicet in libro vitæ, qui actus electionis æternæ ad vitam. Cap. 24. v. 26. *Nonne hæc oportuit Chriſtum pati, & introire in gloriam ſuam?* Definita igitur æterno Dei conſilio tum Exinanitio & Exaltatio Chriſti, atque ex infallibili præſcientiâ utraque prædicta per Prophetas, ut eſt verſ. 46. Apud Johannem exſtant dicta plurima in eandem ſententiam; ſed tribus contenti erimus. Johan. 10. verſ. 26. & ſeq. *Vos non eſtis ex ovibus illis meis; Oves illæ meæ vocem meam audiunt, &c.* Aſſerit iam reprobationem, quam electionem; hâc enim nonnulli facti erant oves Chriſti, ipſi à Patre dati ut redimerentur, aliis præteritis & reprobatis. Cap. 13. v. 18. *Non de omnibus vobis loquor, ego ſcio quos elegerim.* Ne putarent quod indefinitè dicebatur ad omnes & ſingulos pertinere, diſcrimen facit inter omnes, & reſtringit ad ſolos electos, quos utpote unus cum Patre Deus elegerat; reliquos autem, ceu reprobos, excludit. Cap. 17. verſ. 6, 9, 12, 24. ubi Chriſtus per periphraſin Electos vocat *datos ſibi à Patre*, pro quibus ut Sacerdos intercedit, ſeque ſanctificat, & æternam gloriam eis deſtinat. Contra reprobos, unde reliqui exemti erant, *mundum* dicit, & neminem perire aſſerit niſi *filium perditionis*, phraſi

Digitized by Google

phraſi hebræâ, hoc eſt, perditioni deſtinatum. Actorum Apoſtolicorum liber ſimilia teſtimonia habet. Actor. 1. v. 25. *A quo* Apoſtolatu *aberravit Iudas, ut abiret in locum ſuum:* id eſt, exitii & damnationis ſibi deſtinatum. Cap. 2. v. 23. *Hunc,* Jeſum, *definito illo conſilio & præcognitione Dei deditum cum accepiſſetis, manibus ſceleratis cruci affixum interemiſtis.* quicquid factum circa Chriſtum, quicquid ille paſſus eſt, quicquid à Judæis Gentibuſque patratum, id omne Dei conſilio contigiſſe Petrus affirmat. Quod ipſum Apoſtoli uno ore repetunt Cap. 4. v. 27, 28. *Congregati ſunt,* inquiunt, *in hâc civitate verè adverſus ſanctum Filium tuum Ieſum quem unxiſti, Herodes & Pontius Pilatus, cum Gentibus & populis Iſraëlis, ut facerent quæcunque manus tua & conſilium tuum prius prædeſtinavit, ut fierent.* Quid poteſt eſſe evidentius pro aſſerendo decreto Dei circa redemtionis noſtræ myſterium per Chriſti paſſionem & mortem? Cap. 13. v. 48. *Crediderunt, quotquot erant τεταγμένοι ordinati,* (hoc eſt, προτεταγμένοι *præordinati,* ut cap. 17. v. 26.) *ad vitam æternam.* Cap. 15. v. 18. *Nota ſunt Deo ab ævo omnia opera ſua.* Tribuit Deo Præſcientiam, & quidem intuitivam omnium operum ſuorum ab æterno, quæ neceſſario præſupponit immutabile decretum. Porrò in Epiſtolis Apoſtolicis idem frequentiſſime inculcatur, Rom. 8. v. 28, 29, 30. *qui ex præſtituto ejus vocati ſunt, Nam quos præſcivit, etiam prædeſtinavit, &c.* Hîc πρόθεσις, πρόγνωσις, προορισμὸς ſunt totidem argumenta Decreti divini, quo tota ſeries ſalutis noſtræ definita eſt. Sequentia verò capita, nempe 9, 10, 11. quid aliud continent, niſi luculentiſſimam expoſitionem doctrinæ de aliorum Electione, aliorum contra Reprobatione, ſecundum propoſitum Dei æternum, tam in integrâ gente, quam in reliquiis ejus. 1 Cor. 2. v. 7. *Sapientia, quam præfinierat Deus ante ſecula ad gloriam noſtram.* cap. 11. verſ. 19. *Oportet etiam eſſe hæreſes inter vos.* Eph. 1. v. 4, 5, 9, 11. Decreta Dei, & id quod Electionis eſt luculentiſſimè proponuntur. Phil. 2. v. 13. *Deus eſt, qui efficit in vobis* καὶ τὸ θέλειν, καὶ τὸ ἐνεργεῖν *& velle & perficere ſecundum beneplacitum.* 1. Theſſ. 1. v. 3, 4. ubi eis tribuit notitiam ſuæ electionis ex ejuſdem fructibus, efficaci fide, laborioſâ charitate, & patiente exſpectatione. 2 Theſſ. 2. v. 13, 14. *Elegit vos Deus ab initio ad ſalutem per ſanctificationem Spiritus, & fidem habitam veritati: quo vocavit vos per Evangelium noſtrum ad acquirendam gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti:* quos opponit iis qui pereunt, & efficaciâ deceptionis puniuntur v. 11. Cap. 3. v. 2. *Non omnium eſt fides,* ſed eorum ſolùm, quibus datum eſt ut credant Phil. 1. v. 29. hoc eſt, electorum Actor. 13. v. 48. 2 Tim. 1. v. 9, 10. *Deus ſervavit nos, & vocavit vocatione ſanctâ, non ex operibus noſtris, ſed ex ſuo propoſito & gratia, quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu ante tempora ſeculorum; ſed facta nunc*

Period. I. artic. I. ab Apoſtolis.



Digitized by Google

Period. I. artic. I. *eſt manifeſta.* Salus & quæ eſt vocatio ad ſalutem datæ ſunt, & quidem ab æterno, non ex prævifis operibus vel fide, ſed ex gratuito Dei beneplacito. Cap. 2. verſ. 19, 20, 21. Electionis & Reprobationis natura graphice admodum & per partes deſcribitur. Tit. 1. v. 1, 2. *Apoſtolus Jeſu Chriſti ſecundum fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis qua eſt ſecundum pietatem, ad ſpem vitæ æternæ, quam promiſerat Deus ille mentiri neſcius, ante tempora ſeculorum, manifeſtam autem fecit præſtitutis temporibus ſuis.* Cap. 3. v. 4, 5. Salus æterna refertur ad φιλανθρωπίαν & benignitatem Dei, quæ eſt gratioſa & gratuita ejus electio. Hebr. 6. v. 17. *immutabilitas conſilii Dei.* Jacob. 2. v. 5. *nonne Deus elegit pauperes mundi hujus, ut fierent divites fide, & hæredes regni quod promiſit iis, qui ipſum diligunt.* 1 Petr. 1. v. 2. *Electis ex præcognitione Dei Patris.* & verſ. 19, 20. *Chriſtus* dicitur *præcognitus ante jacta mundi fundamenta.* Cap. 2. verſ. 8. *qui impingunt ad ſermonem, non aſſentientes, ad quod etiam poſiti ſunt*, nimirum æterno Dei decreto. quomodo de reprobis quoque loquitur Judas v. 4. *homines jam olim præſcripti ad damnationem.* Apocal. 5. v. 1. & ſeqq. Liber ſeptem ſigillis clauſus, eſt liber decretorum Dei, Cap. 6. v. 9, 10, 11. animabus mactatorum poſcentibus vindictam ſui ſanguinis dicitur ut requieſcerent adhuc paululum temporis, uſquedum ipſis aggregati eſſent fratres ipſorum, itidem occidendi quemadmodum ipſi; quod proinde certò futurum ſignificatur ex decreto & præſcientiâ Dei. Cap. 7. v. 3. & ſeqq. peragitur obſignatio Electorum. Apoc. 13. v. 8. & cap. 17. v. 8. Eorum, qui Antichriſto parent, *nomina* dicuntur *non eſſe ſcripta in libro vitæ à jacto mundi fundamento:* cui per electionem inſcribuntur nomina electorum, quorum proinde numero illi non continentur, ſed reprobati eſſe ſignificantur à jacto mundi fundamento. Hæc eſt doctrina Chriſti & Apoſtolorum de Providentia & Prædeſtinatione Dei: quam ex nudâ doctorum recitatione, aut periphraſticâ eorundem expoſitione contraximus; quæ alibi iiſdem ex fontibus operoſè explicata & vindicata eſt. An verò ſuperſtitibus adhuc Apoſtolis vitii aliquid ceperit, prout factum in aliis doctrinæ capitibus,

Semina errorum ex Judaiſmo, & Gentiliſmo. non ſatis liquet. Semina quidem nonnulla errorum jacta videntur: partim ex Judaiſmo, qui merita operum Legis ſubſternebant, tanquam fundamenta ſalutis; quæ deſtruit Apoſtolus totâ diſputatione de Prædeſtinatione Rom. 9, 10, 11. capp. partim ex Gentiliſmo, ejuſque Philoſophiâ; quæ jam tum quibuſdam in pretio eſſe cœpit Coloſſ. 2. v. 8. 1 Tim. 6. verſ. 20. & verò τὸ αὐτεξούσιον ſive Liberum arbitrium invexit in Eccleſiam: unde corruptelæ ſanæ doctrinæ pullularunt.

Artic. II. Patres docuerunt Quod ex iis, quæ *Articulo ſecundo*, poſt exceſſum Apoſtolorum ad ætatem uſque Conſtantini Magni, acciderunt, clariſſimè pateſcet. Dicemus

Digitized by Google

mus autem ordine de tribus, de Providentiâ, Prædeſtinatione, & Præſcientiâ. Providentiam, ſive conſilium Dei æternum de mundi conſervatione & gubernatione primi Patres obiter, prout tulit occaſio, ſed Minutius Felix in Octavio ſuo, qui Arnobii liber Octavus falſò inſcribitur, & Lactantius in libro Inſtitutionum divinarum, nec non de Opificio Dei, ex profeſſo tradiderunt. Nam Octavius contra Cæcilium, inhærentem Philoſophicis opinionibus & erroribus, redarguens, ex aſpectu cœli, tenebrarum & luminis recurſantibus vicibus, mutatione ſtatâ tempeſtatum ac temporum anni, omniumque creaturarum conditione oſtendit, Unius Dei conſilio, imperio, nutu gubernari omnia quæ in mundo ſunt & fiunt. Lactantius verò ſapientiam ſolertiamque Providentiæ divinæ toto Inſtitutionum opere commendat. Nec alia de causâ ſcripſit librum de Opificio Dei, quam ut lucentem in corpore humano providentiam Dei ob Hominum oculos poneret, & Epicuræorum providentiam negantium ſophiſmatis occurreret. Sed Prædeſtinationis divinæ alia paulò ratio eſt. De hâc quippe toto hoc articulo perpauca ſcripta reperiuntur in monumentis Patrum. Cujus non alia cauſa fuiſſe videtur, quam quod illâ ætate, quemadmodum & deinceps ad exortum uſque Pelagium, nemo extitit, qui hoc caput doctrinæ ex profeſſo oppugnaret. Sed occupati fuerunt Patres illi in aſſerendâ contra hæreticos fide Dei triunius, nec non Christi θεανθρώπου; ut eorum libri teſtantur. Præterea quæ de Prædeſtinatiune habent, non modo minus accurata ſunt, quod & Bellarminus fatetur lib. 2. de Gratiâ & libero arbitrio cap 11. ſed etiam non ubique ſana, & oraculis divinis, quæ ſuis locis produximus, parum ſunt conſentanea. Quod jam initio reformationis obſervarunt ac annotarunt Theologi Orthodoxi non pauci. Philippus Melanchthon in Roman. 9. ait: *Scriptores veteres ante Auguſtinum ponere aliquam cauſam electionis in nobis.* Calvinus lib. 3. Inſtitutionum cap. 23. idem agnoſcit, dicens, *opinionem illam de præſcientiâ fidei & operum omnibus ſeculis magnos habuiſſe autores.* Beza in cap. 9. ad Rom. refert, *Origenem Veteres pleroſque tum Græcos, tum Latinos, in ſuum errorem abripuiſſe, donec tandem per Auguſtinum corrigeretur.* Subſcribunt Zanchius de Prædeſtinatione in Miſcellaneis cap. 4. & Pareus animadverſionibus in Bellarminum lib. 2. de gratia & libero arbitrio cap. 11. & 14. Sed quid opus eſt teſtibus, cum res ipſa loquatur. Juſtinus Martyr, proximus ætati Apoſtolorum, Apologia ad Antoninum Pium, *negat omnia quæ fiunt aut prædicuntur, etiam decreta eſſe à Deo; & ipſa pietatis opera ad vires liberi arbitrii refert.* Irenæus lib. 4. cap. 76. cum dixiſſet *in hominis eſſe poteſtate, ut vel divina gratia beneficio viſum recuperet, vel ejuſdem contemtu in cæcitate permaneat;* ſubjungit, *Deum*

Period. I. artic. II. Providentiam.

Prædeſtinationem parcè.

nec ſatis ſolidè vel ſane.

Period. I. artic. II. *omnia præſcientem utrique aptas præparaſſe habitationes;* vid. cœlum & gehennam. Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromatôn aſſerit: *Deum prædeſtinaſſe quos juſtos cognovit ante mundi conſtitutionem.* Origenes Clementis diſcipulus an ſaniora prodat, paulò poſt ſeorſim videbitur. Sic Tertullianus lib. 2. adverſus Marcionem, Electionem facit poſteriorem prævifis operibus: *Quis hominum ſine delicto,* inquit, *ut Deus ſemper eum eligeret, quem nunquam poſſet recuſare? vel quis item ſine aliquo bono opere, ut eum Deus ſemper recuſaret, quem nunquam poſſet eligere? Exhibe bonum ſemper, & nunquam recuſabitur: exhibe malum ſemper, & nunquam eligetur.* Prætereo cæteros, quorum obſcurior eſt ſententia. Hinc Pelagius in controverſiæ hujus diſceptatione cum Auguſtino, ad judicia primorum Patrum, inprimis autem Græcorum provocat: ut eſt apud Auguſtinum lib. 2. contra Julianum: quæ etiam, ut doctrinæ ejus contraria, objiciunt Semipelagiani in Galliâ, lib de Bono Perſeverantiæ.

Cauſa erroris. Quid autem in hac cauſâ Patres, ſaltem pleroſque, tranſverſos egerit, ex ſcriptis eorum liquet. Primò enim cum à Philoſophis Gentilibus tranſirent ad Chriſtianos, ferè rationi humanæ, quæ Philoſophiæ norma eſt, plus indulſerunt, quam autoritas Sacræ Scripturæ, & doctrinæ Chriſtianæ veritas patiatur. Judicat autem ratio humana, Deum eos ad vitam æternam prædeſtinaſſe, quos prævidit Euangelio credituros, legemque Dei ſervaturos: reprobaſſe contra, quos prævidit neutrum facturos eſſe. Quaſi verò non etiam ad fidem ac bona opera prædeſtinarit, quos ad vitam prædeſtinavit. Ita totam Prædeſtinationem à prævifis meritis ſuſpenderunt. Deinde paſſim efferunt & deprædicant τὸ αὐτεξούσιον ſive liberum arbitrium ejuſque vires, etiam in bono ſpirituali, Deo placente: Juſtinus Martyr, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, Cyprianus, Lactantius. Quod dogma cum non conſiſtat cum Prædeſtinatione gratuitâ, ad commentum

Quæ hic notanda. prævifionis fidei ac operum dilapſi ſunt. Interim ne quis iniquior ſit in Patres, pro explicandâ, vel ſaltem mitigandâ eorum opinione duo hæc tenenda ſunt. Unum: quod uti in doctrinâ de Libero arbitrio, ita etiam Prædeſtinationis divinæ, non ſatis ſibi ubique conſtent ipſi: modo affirment, modo negent idem. Id quidem apertiſſimum & certiſſimum eſt de Juſtino Martyre, Apologiâ ad Antoninum, & Parænefi ad Græcos, nec non Epiſtolâ ad Zenam. Irenæo lib. 4. cap 71, 72, & 76. item lib. 5. cap. 12. Clemente Alexandrino, qui Fidem θεῖόν τι nuncupat 2 Stromatôn: 3. autem ad eam gratiâ & attractione divinâ opus eſſe confirmat. Cypriano lib. 3. epiſt. 3. coll. cum 25. & lib. 2. epiſt. 2. Atque hoc eſt, quod innuit Auguſtinus lib de Bono perſeverantiæ cap. 20. *Veteres Patres non adeò accuratè tractaſſe hanc quæſtionem;*

*ſed*

Digitized by Google

*ſed tantum occaſione oblatâ breviter ſententiam ſuam aperuiſſe.* Alterum quod etiamſi ſtatuerint, Electionem ſecundum præſcientiam & præviſionem fidei ac operum, non tamen ſenſerint quod poſtea Pelagiani: Nimirum, quia Fidem ejuſque opera gratiæ divinæ in ſolidum, hoc eſt, ſecundum initium, progreſſum, & perſeverantiam adſcripſerunt. Quod Auguſtini eſt judicium, loco paulò ante citatò, lib. de Bono perſeverantiæ cap. 20. pronunciantis: *in fundamento veræ ſententiæ omnes conſentire: gratiam Dei non præveniri ab ullo opere noſtro; ſed contra ab illâ omnia opera noſtra præveniri: ita ut nihil omninò boni, quod ad ſalutem noſtram, nobis inſit, niſi ex Deo.* In Cypriano quidem id tam clarum eſſe docet, ut ejus potiſſimum autoritate hîc ſe Catholicum factum glorietur, lib. 1. de Prædeſt. cap. 1. Nota ſunt dicta libro de Baptiſmo: *Gratias ago tibi, clementiſſime Deus: quia quod quæris à me prius ipſe donaſti.* & ad Quirinum: *de nullo gloriandum eſt, quando nihil eſt noſtrum.* Similia leguntur apud Juſtinum in Parænesi: *Impoſſibile eſt res divinas aſſequi ingenio humano; gratuito opus eſt dono,* Irenæum lib. 2. cap. 65. *Non ex nobis, neque ex noſtrâ naturâ vita eſt; ſed ſecundum gratiam Deus vitam & perſeverantiam donat.* Clementem Alexandrinum lib. 3. Stromatôn: *Ad fidem & pietatem opus eſt divinâ gratiâ, rectâque doctrinâ, caſtâque & mundâ animi affectione, & Patris ad ipſum attractione.* Tertullianum denique libro de Reſurrectione carnis: *Dilectionem mandans, faciet & ipſe, quod præcepit. Ego, inquit, veni, ut quod periit, ſalvum faciam:* & de velandis virginibus: *Credimus, operante ſcilicet, & perficiente uſque in finem gratiâ Dei.* Quæ aliaque à labe hæreſeos Pelagianæ, poſtea motæ, Patres veteres ſatis ſuperque purgant. Reſtat Præſcientia, ut quid de eâ hujus ævi Patres docuerint, videamus. Diſtinxerunt eam à Providentiâ & Prædeſtinatione: quod illa ſit rerum creatarum conſervatio ac gubernatio: iſta electio ſalvandorum, quos vocat & juſtificat Deus in tempore: hæc notitia rerum futurarum, non modo bonarum quas Deus facit, ſed etiam malorum, quas permittit, homines autem patrant. Et præcipuè eam ad mala retulerunt; tum etiam ad reprobationem divinam, quam præſcitorum eſſe dixerunt, non prædeſtinatorum. Hanc diſtinctionem etiam poſtera ætas retinuit & uſurpavit in certaminibus cum Pelagianis. Sed occaſionem ei præbuerunt diſputationes Manichæorum de cauſâ mali. Aſſerebant, eam eſſe Deum ipſum, quem materiæ & tenebrarum nomine indigetabant. Auguſtinus hæreſi 46. A quâ blaſphemiâ ut ſe longè abeſſe oſtenderent Catholici, Deo mali præſcientiam, non providentiam tribuerunt. De re ipſâ alibi diximus. Nomen verò latius accepit, & ad electos quoque extendit Juſtinus Martyr Apologiâ 2. pro Chriſtianis: ubi inquit,

Period. I. artic. II

Docuerunt etiam Præſcientiam.

Digitized by Google

Periodo. I. artic. II.

quit, *Chriſtum tantiſper cœlo detentum iri, donec eorum numerus, qui boni atque probati eſſe ab eo præſciti ſunt, expleatur.* Rurſus in Dialogo cum Tryphone: *Electos ut crederent præſcitos fuiſſe.* Exprimere voluit ſignificationem προγνώσεως & verbi προγινώσκειν: ſed quæ nuſpiam in Scripturâ nudam præſcientiam, nedum prævisionem fidei atque operum, juxta quam facta ſit electio, declarat. Habemus communem ſententiam Eccleſiæ atque Patrum hujus articuli: à quâ longius deflexit Origenes, vel ſaltem qui ab ipſo *Origeniſtæ* & *Adamantii* dicti ſunt: ad differentiam Origenianorum, quos peculiariter in Catalogo hæreticorum refert Auguſtinus hæreſi 42. Origenes igitur Philoſophorum, inprimis Pythagoræ & Platonis, fabulas ſecutus ſomniavit: Omnium hominum animas initio ſimul creatas fuiſſe in cœlo, ibique alias peccaſſe, alias non peccaſſe, ſed divinæ voluntati dicto audientes fuiſſe. Pro diverſitate autem præteritorum meritorum, bonorum & malorum, diverſa etiam corpora & diverſos ſtatus animas illas in hoc mundo ſortiri. Deum igitur merita cujuſque animæ, antequam uniatur corpori, in cœlo præexiſtentis prævidiſſe, atque ita ſecundum cujuſque animæ, ante unitionem cum corpore, merita, alios ad bonum, alios ad malum, alios ad vitam, alios ad mortem prædeſtinaſſe: ad extremum tamen omnes, tam reprobos, quam electos, ſervare conſtituiſſe. Hanc ipſius Origenis fuiſſe hæreſin docent Gregorius Nyſſenus lib. de Creatione hominis cap. 38. Epiphanius hæreſi 64. Hieronymus lib. 3. adverſus Pelagium, & quæſt. 10. ad Hedibiam, Auguſtinus lib. 2. de Civit. Dei cap. 23. & contra duas Epiſtolas Pelagianorum lib. 2. cap. 6. In quâ quatuor graviſſimi errores notantur. I. quod ſtatuat Animas ſimul omnes creatas fuiſſe in cœlo, antequam procrearentur corpora. II. quod doceat, pro diverſitate præteritorum meritorum diverſa corpora & diverſos ſtatus animas ſortiri in hoc mundo. III. quod aſſerat humana merita cauſam eſſe, cur alii ad vitam, alii ad mortem fuerint prædeſtinati. IV. quod addat omnes tam reprobos quam electos ad extremum ſervatum iri, eoque univerſalem eſſe electionem finalem ad vitam æternam. Cæterum Ruffinus Apologiâ pro Origene, eum vindicat ab hâc hæreſi. Ipſius verò de Prædeſtinatione conditionatâ ſententiam refert ex lib. 3. περὶ ἀρχῶν cap. 1. ubi concludens pronunciat: *Iuſtam hanc videri aſſertionem, & cum omni pietate concordantem, ut ex præcedentibus cauſis, quas ex ſeipſo unuſquiſque præſtat, vas vel ad honorem, vel ad contumeliam præparetur.* Quibus ſimilia leguntur in commentario ad Rom. cap. 7, 8, 9. Quæ non diſcrepant ab iis, quæ à reliquis Patribus ſunt tradita. Præter Origenem & Origeniſtas, aliæ etiam hæreſes incurrunt in hunc articulum, quibus doctrina orthodoxa

Hæreſes obortæ circa hoc caput. Origeniſtarum.

doxa

doxa de Providentiâ & Prædeſtinatione depravata eſt: & ſunt Baſi- Period. I.
lidianorum, Cajanorum, Marcionitarum, Tatianorum, & Bardeſani- artic. II.
ſtarum. De *Baſilidianis*, qui à Baſilide id nominis gerunt, etiam alibi Baſilidianorum.
diximus. Horum dogma erat: Electionem pro cujuſque opere &
merito fieri: ac fidem naturalem eſſe ex naturæ viribus procedentem,
non autem Dei donum: contra Apoſtolum Epheſ.2.v.8. Danæus
Comment. in Auguſtinum de hæreſibus cap. 4. *Cajani* vel ut alii *Cai-* Cainorum.
*ni*, ſic dicuntur, non ab autore ſectæ, ſed ab argumento erroris quem
ſunt ſecuti; quia Cainum illum, de quo Geneſ. 4. tanquam primum
& principem bonorum omnium, quæ homines ſentiunt, autorem
colunt. Hi omnes reprobos, exitio deſtinatos à Deo, efferunt, & ad-
mirantur; veluti Eſau, Sodomitas, Core, Dathan, Abiram, Saulem, imò
ipſum Judam, Servatoris noſtri proditorem, quaſi fuerint ſalutis hu-
manæ autores. Et de Judâ, *Animadvertens*, inquiunt, *quia poteſtates
mundi nolebant Chriſtum pati, ut ſalus humano generi per illius mortem parare-
tur, ei conſulere volens, Chriſtum tradidit*, Id quod perſpicuè pugnat cum
loco Actor.4.v.28. Cerinthiani verò antea Judam etiam adorave-
rant, & poſt hos Marcionitæ, teſte Irenæo lib.1.cap.29. Ex blaſphemo
hoc dogmate doctrina de Prædeſtinatione & Electione non modo la-
befactari, ſed etiam irrideri cœpit, & impietati atque improbitati
ſumma laus tribui. Videtur autem hic error ortus ex doctrinâ de Pro-
videntiâ perperam intellectâ, quod non aptè diſtingueretur in uno
eodemque facto Dei & hominum & opus, Auguſtinus hæreſi 18.
Theodoretus lib. 1. & ante hos Epiphanius & Tertullianus. Hoc
dogma nuper in Synodo Anabaptiſticâ, hîc Groningæ habitâ, renova-
vit Uko Walles, novæ ſectæ inter ſuos factus anteſignanus. *Marcio-* Marcionitarum.
*nitæ* Marcionis ſui deliria ſectantur, qui quam monſtroſa tradiderit
dogmata, pluribus omninò locis pateſcet. De Prædeſtinatione do-
cuit: Etiam reprobos ac damnatos per deſcenſum Chriſti ad inferos
ereptos exitio & ad cœlum traductos eſſe. Tertullianus paſſim, Epi-
phanius, & Theodoretus. *Tatiani* Tatianum gente Syrum ſectæ ſuæ Tatianorum.
conditorem celebrant: qui Adamum primum hominem damnatum,
nec ex lapſu ſuo reſtitutum eſſe docuit: ex eo etiam omnes homines
æternæ damnationi addictos fuiſſe aſſeruit, nullâ ſalutis ſpe ipſis reli-
ctâ: exceptis modo Tatianis, qui ſuis operibus & continentiâ eam
conſequantur. Contra Patres Adamum electum & Dei gratiâ ſalvatum
fuiſſe volunt ex Gen.3.v.15. 1 Cor.15.v.25. Irenæus lib.3.cap.39.
*Bardeſaniſtæ* à quodam Bardeſane, homine Syro, propagati, Hominum Bardeſaniſtarum.
malos bonoſque mores, actus & totam vitæ humanæ rationem fato
& aſtris tribuerunt & ſubjecerunt. Sed ſi ſalus hominum & damnatio



Digitized by Google

Period. I. artic. II. ex aſtris, eorumque potentia & influentia dependet, jam Dei prædeſtinantis nulla vel electio, vel reprobatio eſſe poteſt. Et Bardeſanes ipſe initio Fatum Stoicum edito libro oppugnaverat & exploſerat: Euſebius lib 4.cap.29. Sic audito Abidâ, ſummo Fati propugnatore, illud & probavit, & propugnavit: Epiphanius, & Auguſtinus hæreſi 35. Non tamen ab ipſo Fatum Stoicum primùm introductum in Eccleſiam, ſed à Colarbaſo, aſtrologiæ judiciariæ admiratore, qui aſtris, inprimis autem ſeptem planetis, omnia hominum, etiam quæ ad ſalutem attinent, accepta retulit. Auguſtinus hæreſi 15. Irenæus lib. 1. cap 9. Epiphanius hæreſi 56. Atque iſta quidem omnia in Eccleſiâ acciderunt. Extra eam verò Judæi & Gentiles Philoſophi receptis Majorum ſuorum erroribus hæſerunt. *Judæi* enim, ſectatores Phariſæorum, profeſſi ſunt & defenderunt fatalem rerum omnium neceſſitatem. Quod ſcripta Rabbinorum hujus ævi teſtantur. Documento ſint Commentarii ipſorum in tria priora capita Geneſeos: in quibus diſertè aſſerunt, non modo hujus vitæ rationes, puta fortunam, opes, ſanitatem, verum etiam futuri ſeculi curſum omnem ex aſtris dependere. Et introducunt quendam Eleazarum Rabbinum, de egeſtate ſuâ conquerentem cum Deo, & Deum reſpondentem, ſe tantum deligere eum, ut non dubitet in ejus gratiam hunc mundum deſtruere & condere alium; ſi forte beatius fatum adipiſci queat. Nimirum ex horum hominum deliriis Deus non poteſt aliquem beare, niſi mutet ſitum aſtrorum: & hoc non poteſt, niſi totam rerum naturam evertat.

Judæi defenderunt Fatum.

*Philoſophos* uti tribus ſectis ſupra diſtinximus, ita in ſingulis hoc articulo eminuerunt, qui ſuæ ſectæ dogmata tuerentur, atque etiam propagarent. Ex Platonicis & Peripateticis claruére, Maximus Tyrius, Plotinus, Porphyrius, Jamblichus, qui doctrinam Platonis de Providentiâ voce ſcriptiſque tradiderunt. Ex Stoicis celebrántur Epictetus, Apollonius Stoicus cognomento: quorum ille dogma Stoicorum de Fato multo commodius explicavit. Poſtremo ex Scholâ Epicureorum famoſis fuit Lucianus Samoſatenſis, apoſtata & ſophiſta, qui & ἄθεος dictus fuit, quod Providentiam, omnemque adeo religionem non negaret modo, ſed etiam rideret. Pœna impietatis fuit, quod à canibus vivus dilaniatus fuit, teſte Suidâ. Reliquus eſt *Articulus Tertius* primæ Periodi N.T. cujus prior pars antecedit Pelagiana certamina, altera ſequitur. Prior continet curriculum vitæ ac miniſterii præcipuorum Patrum Græcorum & Latinorum. Ex illis, Athanaſium, Baſilium, Gregorium Nazianzenum, Epiphanium, Chryſoſtomum: ex his Hilarium, Optatum Milevitanum, Ambroſium, Hieronymum & Auguſtinum producemus: potiſſimum

Philoſophi diviſi, ut antea.

Artic. III. Ante Pelagiana certamina docuerunt Patres de Prædeſtinatione variè.

mum tamen quoad Prædeſtinationis divinæ myſterium. De Providentiâ enim clarior res eſt, quam ut novâ demonſtratione à conquiſitis Patrum ſuffragiis egeat. Athanaſius de Prædeſtinatione rectè pronunciat Tom. 1. orat 3. contra Arianos: *Nos eſſe delineatos hoc eſt prædeſtinatos ab æterno antequam crearemur:* tamen Tomo 2. oratione de ſemente, pronunciat, *in nobis ſitum eſſe, velimuſne fieri lolium & pabulum brutorum animantium, an potius in frumentum* ſcilicet Dei, *mutari:* hoc eſt, fieri electi vel reprobi. Sic Baſilius oratione de Humilitate, præclarè inquit: *Nihil tibi relictum eſt ad ſuperbiam, ô homo; totum quod vivimus gratiæ & dono Dei debemus. Quid igitur te offers, dic mihi, tanquam in propriis bonis? Quid enim habes, quod non accepiſti?* Alibi tamen lib. de Pœnitentiâ, ex communi ſeculi ſui errore pronunciat: μόνον θέλησον, καὶ Θεὸς προαπαντᾷ: *tantum velis, & Deus præoccurret:* Ut Dei gratia ſuſpendatur à noſtrâ voluntate. Gregorius Nazianzenus homiliâ in Matth. 19. v. 11. *ii, quibus datum eſt, id eſt, volentibus datum eſt, & qui animi inclinatione ita voluerunt.* Quod illuſtrat duobus locis, de Prædeſtinatione loquentibus: Rom. 9. v. 16. *Non eſt volentis neque currentis, id eſt, non ſolum volentis, non ſolum currentis, ſed etiam miſerentis. Reprehendit qui id totum ſibi vendicabant.* Matth. 20. v. 23. *quibus paratum eſt, id eſt qui digni ſunt, quique ut tales ſint, non modo à Patre acceperunt, ſed etiam ſibi dederunt.* Gregorius Nyſſenus de naturâ hominis cap. 40. vel potius Numenius, Philoſophus Chriſtianus, cujus liber illo titulo ſcriptis Nyſſeni adjunguntur, ſecutus Origenem in doctrinâ de Animâ, quam extra corpus creatam aſſerit, extollit liberum arbitrium, eoque quid de Prædeſtinatione ſentiat, haud obſcurè profitetur Epiphanius hæreſi 63. *in nobis,* ait, *ſitum eſt, ut credamus & non credamus. Quando autem in nobis ſitum eſt credere vel non credere, in nobis etiam ſitum eſt bona patrare vel peccare, benè vel malè facere.* Chryſoſtomus verò præviſionem fidei & operum audentius etiam aſſerit: & Homiliâ 51. in Geneſin, *Iacobum ob præviſa opera electum, Eſavum contra reprobatum* docet. Sic homiliâ in Matth. 25. Chriſti ſententiam declarans: *quia ſciebam vos hujuſmodi futuros, hæc vobis à me præparata fuêre.* Rurſum in Rom. 9. cap. declarat, *nobilitatem, quam caro affert, nihil prodeſſe: ſed animæ virtutem quærendam eſſe, quam vel ante ipſa opera Deus norit:* item: *à geminorum partu factam eſſe electionem, ut appareret ſecundum præſcientiam eſſe factam.* Quæ aliaque ex Origene præcipue hauſta ſunt. Et ita quidem Patres Græci. De Latinis quoque videamus. Hilarius Pictavienſis ita loquitur in cap. 22. Matth. *Non eſt paucitas in invitatis, ſed raritas in electis: quia in invitante ſine exceptione publicæ bonitatis humanitas eſt: in invitatis verò, pro judicii merito, probitatis electio.* Et lib. 1. de Trinitate:

Period. I. artic. III.

Patres Græci.

Patres Latini.



Digitized by Google

Period. I. artic. III. *Eſſe filios Dei non neceſſitatem eſſe voluit, ſed poteſtatem: quia propoſito univerſis Dei munere non natura gignentium afferatur, ſed voluntas præmium conſequatur.* Alibi tamen, nimirum lib. 8. id revocans, *fidem,* inquit, *& omnia gratiæ Dei tribuimus*: adeo ut exclamet in Pſal. 123. *Quis relictus eſt nobis gloriandi locus, recordantibus omnia ex Deo eſſe?* Hilarius Romanus, illius Eccleſiæ Diaconus, circa A.C. 350. autor Commentarii in Epiſtolam ad Romanos, qui Ambroſio vulgo adſcribitur, cap. 8. ita loquitur: *Iſtos, quos præſcivit futuros ſibi devotos, ipſos elegit.* & cap. 9. *digni filii promiſſionis, hoc eſt, quos præſcivit Deus promiſſionem ſuam ſuſcepturos.* Deinde multa addit de Præſcientiâ bonorum & malorum, juxta quæ facta ſit Prædeſtinatio. Optatus Milevitanus *primordium gratiæ ad hominis voluntatem refert: quod ejus ſit velle, currere; Dei autem perficere.* Quo refert illud Rom. 9. v. 16. libro 2. Ambroſio communis opinio tribuit libros de vocatione Gentium, quibus ſanè ſententia orthodoxa aſſeritur & explicatur. Sed libros illos non eſſe Ambroſii vel hinc clarum eſt, quod lib. 1. cap. 2. & lib. 2. cap. 8. apertè diſputat contra Pelagianos & Semipelagianos; quorum hæreſis demum poſt mortem illius exorta. Cujus autem ſint autoris, Proſperi, an Hilarii Arelatenſis, aut alius etiam, poſt dicetur. Quid autem ſenſerit de re totâ Ambroſius, facile eſt colligere vel ex ſolo lib. 5. de fide cap. 11. ubi explicans illud Matth. 20 v. 23. inquit: *Non eſt meum dare, ſcilicet qui juſtitiam ſervio, non gratiam: dabitur quibus paratum eſt, ſcilicet à Patre: ut oſtenderet, Patrem non petitionibus deferre regnum, ſed meritis: quia Deus perſonarum acceptor non eſt. Unde & Apoſtolus ait, quos præſcivit & prædeſtinavit. Non enim ante prædeſtinavit, quam præſcivit: ſed quorum merita præſcivit, eorum præmia prædeſtinavit.* Jam Hieronymum quoque audiamus: qui ſic in Malach. 1. *Dilectio & odium Dei vel ex præſcientia naſcitur futurorum, vel ex operibus.* Et Rom. 8. v. 28. *ſecundum quod propoſitum propoſuit ſolâ fide ſalvare, quos præſciverat credituros.* Cap. 11. v. 2. *illam plebem non repulit, quam præſcivit eſſe credituram.* Quanquam ſunt, qui negant Commentarium illum eſſe Hieronymi, ſed Pelagiani cujuſdam. Sed quæſtione 10. ad Hedibiam perſpicuè ſeſe declarat: *Non,* inquit, *ſalvat Deus irrationabiliter, & abſque judicii veritate: quia alii non ſuſceperunt Filium Dei, alii autem ſuſcipere ſuâ ſponte voluerunt.* Poſtremò Auguſtinus, priuſquam ſcripſit adverſus Pelagium, ab eadem opione non fuit alienus. Duo loca adferri ſolent. Unus libro de Prædeſtinatione & Gratiâ cap. 15. ubi videtur Auguſtinus diſcretionem juſtorum ab injuſtis referre ad liberam eorum voluntatem, tanquam cauſam ultimam. Et ut maximè dubitetur de libro illo, ſitne Auguſtini, clara eſt ejus mens ex Quæſtionum libro, quæſt. 83. ſuper verba:

*Cujus*

Digitized by Google

Period. I. artic. III.

*Cujus vult, miſeretur*: *Verum*, inquit, *hæc voluntas injuſta eſſe nequit: venit enim de occultiſſimis meritis*. Quod poſtea retractavit, oſtendens non ex noſtris meritis, ſed ex Dei gratiâ eſſe, quod ad vitam æternam ſumus prædeſtinati. Altera pars hujus articuli habet certamina graviſſima & periculoſiſſima cum *Pelagio* & *Pelagianis*, quæ cœperunt quidem circa A.C. 405. ſed eruperunt vehementius circa annum 414. ad quem etiam referuntur à Proſpero in Chronico.

Hæreſis Pelagiana.

Ut autem Samoſatenus & Arius doctrinam de Deo, Neſtorius & Eutyches doctrinam de Perſonâ Chriſti corruperunt: ita Pelagius depravavit doctrinam de Chriſti officio & beneficiis, adeoque de toto Euangelio: ac tam altas in Eccleſiâ radices egit, ſpecie plauſibili erroris, nunquam ut eradicari potuerit. De qua proinde diſtinctius paulò prolixiuſque agemus.

Autor Pelagius.

Autor hæreſis eſt *Pelagius*, à quo ſectatores *Pelagiani*, & *Pelagianiſtæ* dicti ſunt, gente Brito ſive Britannus, utpote ex eâ Britanniæ inſulanæ parte oriundus, quæ Scotia vocatur: Hieronymo teſte, præfatione in lib. 1. Commentariorum in Jeremiam. Cognomen autem Britonis ferè ei tribuitur ad differentiam Samoſatenſis & Tarenti, qui ambo Orthodoxi, teſte Theodoreto lib. 4. cap. 13. Vixit Romæ ſub Honorio & Theodoſio II. Imperatoribus, Pontifice autem Innocentio I. circa A.C. 400. & paulo amplius. Ex Monacho Presbyter factus eſt: & tum excellentiâ ingenii & doctrinæ, tum integritate morum facile authoritatem ſibi paravit. Adjutores nactus eſt diſcipulos primæ notæ, Cœleſtium, à quo *Cœleſtiani*: quem magiſtrum & ducem exercitus Pelagii nuncupat Hieronymus epiſtolâ ad Cteſiphontem: & Julianum Epiſcopum Capuanum, Memorii Epiſcopi filium, acri ingenio & magnâ doctrinâ eloquentiâque Juvenem; ut Romanus Demoſthenes diceretur. Acceſſit & favor magnorum in Eccleſia Virorum, Ruffini Aquilejenſis, Euagrii Pontici, Sulpitii Severi, Joviani, item Melaniæ mulieris Romanæ, & aliorum: inprimis verò Novatianorum, ſive Meletianorum in Oriente & Syria: qui ut opera eorumque merita extollebant, ita errores Pelagii facile admittebant, iiſque aſſentiebantur.

Cauſæ ejus.

Cauſa quæ movit & impulit Pelagium ad corrumpendam doctrinam receptam, duplex obſervari poteſt, in illius temporis hiſtoriâ: Una doctrina Catholicorum περὶ αὐτεξουσίου ſive Libero arbitrio,: quod pravo Philoſophorum exemplo ita extollebant, ut gratiam Dei ab uſu ejus, & deſtinationem gratiæ ab ejuſdem præviſione ferè ſuſpenderent. Altera hæreſis tum Manichæorum, qui homines neceſſariò bonos vel malos ſtatuebant, quaſi ex fato: tum Enthuſiaſtarum, qui, abſque exercitiis reſipiſcentiæ ac fidei, converſionem hominis per immediatum ac ſenſibilem Spiritus Sancti opera-



Digitized by Google

Period. I. artic. III.

operationem & veluti afflatum fieri aſſerebant. Quibus dum acrius incautiuſque obnititur, in contrarium delapſus errorem, omnia ad liberum arbitrium revocavit; illudque non modo à gubernatione Dei exemit; ſed etiam prædeſtinationem divinam ei ſubjecit. Summa opinionis ipſius de Prædeſtinatione erat; Bonum uſum virium, ex creatione acceptarum, eſſe cauſam Prædeſtinationis. Ita ad prævisa opera, bona vel mala, eam referebat; aſſerens; unumquemque vel ad vitam, vel ad mortem prædeſtinatum à Deo, prout ex viribus naturalibus liberi arbitrii quemque benè vel malè victurum præſciviſſet. Sic eam proponit Auguſtinus lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap.18. & ipſe Pelagius exponit annotationibus in cap. 9. ad Rom. Sicut & Cœleſtius lib. 3. & Julianus apud Auguſt inum lib. 2. adverſus poſteriores reſponſiones cap. 116. Siquidem docuit gratiam quâ creditur, & quâ benè vivitur, omnibus ex æquo offerri: in hominis verò poteſtate eſſe eam accipere vel repudiare, eâ rectè uti, vel ſecus: ut ſalus hominis partim à Deo ſit, offerente gratiam, partim ab homine eam admittente. Prout igitur Deus prævidit, benè vel malè uſuros eſſe libero arbitrio; ſic alios ad vitam, alios ad mortem ordinaſſe. Firmamenta ſententiæ ſuæ poſuit partim in Dictis Scripturæ, ſed depravatis, ut Matth. 7. v. 7, 8. Zach. 1. v. 3. 2 Tim. 2. v. 19, 20. & ſimilibus; partim in Rationibus. Cujuſmodi ſunt: I. Deum fore προσωπολήπτην, ſi ſine præcedentibus meritis eligat: Julianus apud Auguſtinum lib. 1. adverſus reſponſiones poſteriores. cap. 129. II. Fatum Stoicum revocari, ſi citra prævisionem boni vel mali operis facta ſit prædeſtinatio: Auguſtinus lib. 2. adverſus duas epiſtolas Pelagianorum. Quibus quantum inſit momentum, alibi docuimus. Julianus tamen paulum interpolavit hanc Magiſtri ſui ſententiam. Contendit enim conatus & initia boni operis prædeſtinationis ad vitam cauſam eſſe: ſive hos præ illis ideò ad vitam eſſe ordinatos, quod naturali virtute inceperint benè operari. Nam ad impletionem ſive conſummationem operis gratiam eſſe neceſſariam largiebatur: ut eſt apud Auguſtinum lib. 1. reſponſ. poſter. ad Julianum. Modus agendi, quo ſparſerunt hoc virus, non idem fuit. Initio occulte egit. Pelagius, & clam invaſit & occupavit animos: teſte Hieronymo ad Cteſiphontem. Mox ſub involucris Quæſtionum, & quaſi ſub alienâ perſonâ publicè illud propinavit: Auguſtinus lib. 3. de peccatorum meritis. Tandem poſt evulgatam epiſtolam ad Demetriadem, poſitâ larvâ hæreſin triumviri propugnarunt. Pelagius libro de naturâ; alio item de libero arbitrio; nec non annotationibus in Epiſtolas Paulinas: Cœleſtius variis ſcriptis, quorum fragmenta exſtant apud Auguſtinum: Julianus duabus Epiſtolis

Publicatio & propagatio.

Pela-

Digitized by Google

Pelagianis, libris quatuor, & aliis octo contra Auguſtinum; & qui alii olim exſtiterunt ſub ipſius nomine. Atque ita quidem habebat Pelagii ac diſcipulorum ejus doctrina. Jam qui pro veritate ſteterint Catholicæ doctrinæ, qui eam tum latius explicarint, tum ſolidius confirmarint, cognoſcendum. Agmen hîc ducant Patrum Latinorum citra controverſiam coryphæi, Hieronymus & Auguſtinus. Hieronymus, Bethlehemi in Oriente agens, conſultus de Pelagianis dogmatis, eoque nominatim, quod eſt περὶ ἀναμαρτησίας, reſpondit Epiſtola prolixa ad Cteſiphontem, quæ exſtat tomo 2. operum ipſius, & verò Dialogis ipſius ferè præfigi ſolet. Ubi citat dicta Pauli Rom. 9. v. 16. *Non eſt volentis, nec currentis &c.* Philip. 2. v. 13. *Deus eſt qui operatur velle & operari &c.* Et Servatoris Johan. 5. v. 17. *Pater meus operatur uſque adhuc &c.* quod tamen longius petitum. Addit, *Non mihi ſufficit, quod ſemel donaverit, niſi ſemper donet. Peto ut accipiam; & ubi accepero, rurſus peto.* Et contra calumniam iniquitatis & injuſtitiæ revocat lectorem ad voluntatem Dei, quæ ſumma juſtitiæ regula: Rom. 9. v. 20. itemque verſ. 11, 12. Illuſtrat etiam rem exemplis, Achan Joſ. 7. filiorum Eli 1 Sam. 4. Davidis 2 Sam. 24. Illud quoque quod Porphyrius quærebat, Cur Chriſtus tam ſerò veniſſet? Deo relinquendum eſſe docet: cujus voluntate nulla ſuperior cauſa dari poſſit. Porro Dialogis tribus, qui à Critobulo & Attico inſcribuntur, deſtruit liberum hominis arbitrium; adſtruit gratiam, & quæ ſecundum eam eſt, Dei Prædeſtinationem. Sub finem tertii Dialogi laudat Auguſtinum, & approbat doctrinam ipſius; qui jam multa ſcripſerat contra Pelagianos. Aliis etiam libris idem genus doctrinæ inculcat: ut in apologiâ ad Pammachium & Marcellinum adverſus Ruffinum lib. 1. item in Commentario ad Epheſ. cap. 1. ubi gratuitam urget Electionem ad v. 4. *Elegit nos ante conſtitutionem mundi, non cum eſſemus, aut quia eramus ſancti, ſed ut eſſemus ſancti & immaculati, &c.* Non tamen æquat Auguſtinum in hoc genere doctrinæ; cui & ipſe palmam ultro defert, Epiſtolâ 80. Succedit igitur Auguſtinus in Occidente: qui provocatus ab Hilario Arelatenſe Epiſtolâ inter Auguſtinianas 88. mox reſpondet ſequente Epiſtolâ 89 & doctrinam Orthodoxam tuetur. Sed jam ante libris tribus de peccatorum meritis & remiſſione ad Marcellinum cauſam illam egerat: qui libri ſunt velut baſis & fundamentum totius diſputationis adverſus Pelagianos. Libro 1. cap. 22. docet: *Ex ſolâ Dei voluntate & gratiâ pendere differentiam inter homines; non ex ullis præcedentibus animæ actionibus.* Libro autem 2. cap. 5. ait: *In diſcrimine illo hominum, quod alii convertantur, alii non, mirandam quidem & occultam eſſe, ſed tamen juſtam Dei ſapientiam & potentiam:* quod tamen parcius attingit, propter

alios

Period. I. artic. III. Oppoſuerunt ſeſe

Hieronymus,

& Auguſtinus.

Period. I. artic. II.

alios quos ibi refutat errores. Libro de naturâ & gratiâ inquit: *Gratia Chriſti gratis datur nobis; non ex meritis noſtris:* quam deinceps cap. 4. & ſeqq. de gratiâ electionis declarat. Libro 1. de gratiâ Chriſti & peccato originali oſtendit: *non dari gratiam ob praecedentia merita noſtra*, cap. 22. & lib. 2. cap. 24. item ad Bonifacium contra duas Epiſtolas Pelagianorum lib. 1. cap. 4. *Gratiam praevenire noſtram voluntatem ut credamus.* Lib. 2. cap. 6, 7. docet: quod *gratia non ſit fatum: nec electio unius prae altero proſopolepſia: cur autem ſic fiat, inſcrutabile nobis judicium*, ex Paulo Rom. 9. Contra Julianum lib. 4. cap. 8. *pro fato meritum introducunt, quod gratiam Dei praecedat.* Nonnulli huc quoque referunt librum Auguſtini de Prædeſtinatione & gratiâ: cujus ſcopus eſt, I. ut cauſas Electionis & Reprobationis ex merâ Dei voluntate & propoſito acceſſat. II. oſtendat propterea Deum accuſari non poſſe injuſtitiæ; nec electos ſegneſcere in pietatis ſtudio. Sed cum nec ab ipſo Auguſtino in Retractationibus, nec à Poſidonio; neque à Bedâ recenſeatur; & Auguſtinus jam ſcripſiſſet de Prædeſtinatione Sanctorum; etiam in nonnullis cum doctrinâ ipſius non ſatis conſentiat; alius autoris eſſe merito cenſetur. Liber autem de Prædeſtinatione omnino non eſt Auguſtini, verum Pelagiani alicujus, maximè quia ſub finem libri Prædeſtinationem ex prævisione operum adſtruit: quod Pelagii eſt dogma. Porrò ex ſerie librorum Auguſtini manifeſtum eſt; initio ex profeſſo de Peccato Originali, Libero arbitrio, & Gratiâ diſputaſſe contra Pelagianos, incidenter autem & brevius de Prædeſtinatione. Poſtea verò in hoc capite doctrinæ præcipuè laboraſſe. Dum ita Auguſtinus propugnat Catholicam & orthodoxam veritatem, contra Pelagianas hæreſium novitates, non ceſſavit autoritas publica naſcenti malo adhibere remedium, & in herbâ, quod ajunt, illud ſupprimere.

Concilia aliquot.

Primò coacta adverſus Pelagium ejuſque diſcipulos Concilia: Carthaginenſe A. C. 412. abſente Auguſtino, lib. 2. Retractationum cap. 33. cujus Acta interciderunt. Damnatus autem fuit Cœleſtius. Palæſtinum A. C. 414. quatuordecim Epiſcoporum, præſide Johanne Hieroſolymitano; ubi Pelagius revocavit errorem, linguâ fallens. Carthaginenſe A. C. 416. quo Pelagius damnatus: ſicut eodem anno Milevi, Numidiæ urbe. Africanum univerſale A. C. 418. Epiſcoporum 214. quo octo canonibus univerſa Pelagii hæreſis proſcripta Denique Concilium Epheſinum Oecumenicum, quo præter dogmata Neſtorii,

Romani Pontifices.

etiam Pelagiana damnata A. C. 431. Sed & Epiſcopi Romani calculum ſuum his addiderunt. Innocentius quidem I. triplices literas evulgavit contra Pelagii errores: Sic Zoſimus ad univerſi orbis Epiſcopos; quemadmodum & Bonifacius. Atque hujus poſtulato duabus

Pela-

Digitized by Google

Pelagianorum epiſtolis reſpondit Auguſtinus. His verò omnibus acceſſit decretum Imperatorum Honorii & Theodoſii II. quo confirmatis judiciis Synodicis, Pelagius & Cœleſtius urbe ſimul & imperio proſcribuntur. Aſſenſores eorum Eccleſiaſtici ordine moventur, Seculares autem communione privantur. Julianus autem, qui poſito timore ad defenſionem Pelagii novos animos ſumſerat, dejectus Epiſcopatu ſeceſſit in exilium; nec quâcunque ſimulationis arte reditum ſibi ad communionem Eccleſiæ conficere potuit. Exſtincta jam videbatur Hæreſis Pelagiana, tot ſcriptis judiciiſque damnata. Sed à radice ejus mox alia progerminavit: tum etiam altera ei oppoſita emerſit: ſicut dicitur, Dum vitant ſtulti vitia in contraria currunt. Illa Semipelagianorum, iſta Prædeſtinatorum dici ſolet. *Prædeſtinati* à dogmate Prædeſtinationis erroneo nomen ſortiuntur. Nam quis eorum dux & autor fuerit, neſcitur. Ortum tamen ferè referunt ad Monachos Adrumetinos, qui Adrumeti, Africæ Propriæ ſic dictæ urbe, in Byzacio ſitâ, degebant. Occaſio erroris deſumta putatur ex ſcriptis Auguſtini contra Pelagianos malè intellectis: quæ ipſi ad tollendum Liberum arbitrium detorquebant. Ideò pro explicandâ doctrinâ ſuâ duos ſcripſit Commentarios, Unum de Gratiâ ac Libero arbitrio, alterum de Correptione & gratiâ. Summâ erroris fuit, Piè viventibus non prodeſſe boni operis laborem, ſi à Deo ad mortem ordinati fuiſſent: & impiis ac peccatoribus non obeſſe quæcunque ſcelera & flagitia ab illis commiſſa, ſi Deus illos ad vitam prædeſtinaſſet. Verba ſunt Sigeberti in Chronico, paucis rem complectentis: qui initium ejus confert in annum 415. Sed omnibus ætatibus paucos aſſenſores reperit: ut in ipſis incunabulis defeciſſe videatur. Noſtris quidem Eccleſiis non niſi per impudentem calumniam impingitur, qui eam toto pectore deteſtamur, tanquam repugnantem Scripturæ, & omni pietati inimicam. Πρῶτον ψεῦδος eſt, quod in prædeſtinatione divinâ media avellunt à fine, quæ Scriptura indiviſè copulat. Rom. 8. v. 29, 30. Epheſ. 1. v. 4, 5. De quo tamen alibi pluribus. *Semipelagiani* denominantur, quod rejectis craſſioribus Pelagii erroribus, maximè de Peccato originali & gratiâ naturali, reliquos cum ipſo tuerentur: & ſic ex parte eſſent Pelagiani, ex parte non eſſent. Ut Semipelagianiſmus ſemiſſis Pelagianiſmi cenſeri queat. Iidem & *Maſſilienſes* dicti ſunt, à loco ſive ſede: quod in urbe Provinciæ Maſſiliâ, ad mare Mediterraneum præcipuè agerent: & ex hâc quaſi arce in provincias alias vicinas & remotiores ſeſe diffunderent. Unde etiam *Reliquiæ Pelagianorum per Galliam*, & abſolutè *Galli* vocantur à Proſpero & Hilario. Cœpit hæreſis ſuperſtite adhuc Auguſtino, & quidem poſtremis ejus annis, circa A.

Period. I. artic. III. Imperatores.

Hæreſes Prædeſtinatorum,

& Semipelagianorum.



Digitized by Google

Period. I. artic. III. C. 420. vel ut alii 424. Erant inter Epiſcopos & alios ordinis Eccleſiaſtici viros, qui occultè adhuc faverent cauſæ Pelagianæ, ac querularentur vehementiorem fuiſſe Auguſtinum in hâc controverſiâ & acrius inceſſiſſe Pelagianos. Alii, etſi æquiores eſſent, & cætera omnia Auguſtini adverſus Pelagianos probarent, tamen de neceſſitate Gratiæ prævenientis, nec non de vocatione Electorum ſecundum propoſitum Dei, ei aſſentiri non poterant, ne quidem poſt editionem libri de Correptione & gratiâ: verentes ne per hanc doctrinam languefierent animi in religione ſuâ, & exſtinguerentur paulatim pietatis ſtudia atque exercitia. Sententia ipſorum de Prædeſtinatione erat: Deum ante mundi conſtitutionem præſciviſſe, qui credituri: quive in eâ fide, quæ deinceps per ipſius gratiam eſſet juvanda, manſuri eſſent, vel non: & ſecundum præſcientiam iſtam vel elegiſſe credituros, vel reprobaſſe non credituros, vel ſaltem quos præſciverit non perſeveraturos. Unde prædeſtinatio ipſius nihil aliud erat, quam propoſitum divinum eligendi credituros. Proſper & Hilarius in Epiſtolis ad Auguſtinum tomo 7. Qui etiam Auguſtinum, occupatum jam in ſcribendis Retractationum libris, de novis hiſce controverſiis primi certiorem reddiderunt. Hactenus igitur Semipelagiani conſentiunt cum Pelagianis, ac nominatim cum Juliano, quod cauſam Prædeſtinationis in homine ſtatuerunt: diſſentiunt rurſum ab iiſdem, quod Pelagiani bona opera, Julianus conatum & initia operis boni, ipſi verò fidem, vel initia & affectum fidei cauſam Prædeſtinationis eſſe contendebant. Interim hoc peculiare erat Semipelagianis, quod aſſerere non dubitarent, Infantes prædeſtinatos eſſe ad præmium vel pœnam, pro vitâ cujuſque quam acturus fuerat, ſi ad ætatem adultam perveniſſet. Oppoſuit ſe Auguſtinus. Auguſtinus ut malum hoc in herbâ, quod ajunt, enecaret, ſcripſit contra Semipelagianos duos aureos libellos, unum de Prædeſtinatione Sanctorum, alterum de bono ſive dono Perſeverantiæ: & ſententiam ipſorum Pelagianæ affinem eſſe oſtendit, tum etiam falſitatem ejus ſolidis argumentis demonſtrat. Etſi enim negari non poteſt (quod & ſupra indicavimus,) Auguſtinum ipſum initio haud alienum fuiſſe ab hâc ſententiâ, Deum fidem elegiſſe in præſcientiâ: quod & Semipelagiani objectant in Epiſtolâ Hilarii: tamen re diligentius expenſâ eam retractavit, victus evidentia veritatis in Scripturâ, 1 Cor. 4. v. 7. Johan. 15. verſ. 3. Phil. 1. v. 29. Vide lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. Contra duas epiſtolas Pelagianorum lib. 2. cap. 8. Retractationum lib. cap. 23. & lib. 2. cap. 1. libro de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 3. & deinceps paſſim. Cæterum quatuor ſunt argumenta principalia, quibus libro de Prædeſtinatione Sanctorum errorem Semipelagianorum oppugnat

Digitized by Google

pugnat & deſtruit: quæ etiam ſparſim repetuntur libro altero de dono Perſeverantiæ. Primum argumentum lib. 1. cap. 2. & ſeqq. ita habet: Quo quiſque modo aliquid donat, eo etiam donare decrevit: quo modo Deus in tempore confert gratiam & gloriam, eodem quoque conferre decrevit. Atqui confert gratis abſque meritis noſtris. Ergò. Minor inductione firmatur: Dona gratiæ & gloriæ ſunt: Fides, quæ eſt oſtium ſalutis; Opera fidei, quæ ſunt via ſalutis; Perſeverantiæ, quæ eſt terminus viæ; & ipſa Vita æterna. Jam omnia iſta gratis, abſque meritis Deus largitur; Fidem tam quoad initium, quam quoad incrementum Johan. 6. v. 29, 44. Phil. 1. v. 6, 29. cap. 2. v. 13. Opera, ceu fructus fidei 1 Cor. 4. v. 7. Jacob. 1. v. 17. Perſeverantiam Phil. 1. v. 6, 29. 1 Pet. 5. v. 10. Jer. 32. v. 39, 40. Luc. 22. v. 32. Vitam æternam Rom. 6. v. 23. Ergò. Secundum ab infantibus fidelium cap. 13. Filii fidelium ſervantur. Ergo ad ſalutem ſunt prædeſtinati. At non ex ullis meritis; ſive præteritis, quæ non habuerunt; ſive præſentibus, quæ non habent; ſive futuris, quæ habituri non erant. Quod probat trifariam. I. quia nemo muneratur ob ea, non quæ egit, ſed quæ acturus erat 1 Corinth. 5. v. 10. Johan. 5. v. 29. Matth. 25. 34. 42. II. Si ita eſſet, jam Tyrii & Sidonii condemnari non potuiſſent, propter pœnitentiam quam acturi erant Matth. 11. v. 21. nec ſervari pii, prœmaturâ morte evocati, ne peccarent Sapient. 4. v. 10, 11. Tertium cap. 15. ab Humanâ Chriſti naturâ. Chriſtus quâ homo prædeſtinatus fuit, ut Natura Humana aſſumeretur à Divinâ in unitatem perſonæ, ut eſſet Mediator ac Servator noſter. At non ex ſuis meritis prævisis. Ergo ex Dei gratiâ; ac proinde etiam nos, qui ipſius membra ſumus. Quartum cap. 18. à locis Scripturæ, quæ idem diſertè confirmant. Rom. 11. v. 4. ex 2 Reg. 19. v. 18, 19. Johan. 15. verſ. 5, 16. 1 Cor. 4. v. 7. cap. 7. v. 25. & ſimilibus pluribus. Sed cum horum pleraque de Electione agant, de Reprobatione quoque ſententia Auguſtini eruenda & explicanda eſt. Tria autem hìc ex ſcriptis ipſius obſervanda ſunt. Unum eſt, Auguſtinum propter calumnias Manichæorum, de Reprobatione parcius ac timidius ſcripſiſſe: ut reprobos non ferè dicat à Deo prædeſtinatos fuiſſe, ſed tantum præſcitos. Ratio duplex fuit; I. ne Deum exitii impiorum autorem facere videretur, non autem ipſos reprobos. II. ne etiam Deum peccati autorem ſtatuere crederetur, atque ita impios excuſare à malitiâ. libro de bono Perſeverantiæ, cap. 12, 20, 21. Alterum eſt de Reprobatione ac cauſâ ejus variè omnino loqui: Epiſtola 59. ad Paulinam, Occultam cauſam eſſe dicit, non injuſtam. Lib. 83. quæſt. 68. aſſerit, Præcedere aliquid in peccatoribus, quo digni ſint reprobatione; adeoque ex prævisis à Deo, & futuris eorum peccatis eam pendere. In Enchiridio

Period. I. artic. III.

Auguſtinus quid ſenſerit de Reprobatione.



Digitized by Google

Period. I. artic. III.

ridio cap. 98. Reprobationis cauſſam eſſe docet Dei juſtitiam, ut miſericordiam Electionis: atque ita aliam hîc, aliam rurſum illic. Id quomodo factum ingenuè profitetur, lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 3. & libro 1. Retractationum cap. 23. videlicet quod non ſatis diligenter inquiſiviſſet de hoc argumento in Scripturâ, quodque nulla de eo certamina mota eſſent. Tertium eſt, quod re diligentius expenſâ cauſam Reprobationis ſtatuerit decretum ſive propoſitum Dei; adeoque reprobos etiam prædeſtinatos dicere non dubitavit. Prius his locis manifeſtum eſt. Lib. 1. ad Simplicianum cap. 13. ubi eandem cauſam Electionis & Reprobationis, videlicet Dei voluntatem ſive propoſitum eſſe aſſerit, hoc inter alia argumento: Si Reprobatio manet ex prævisâ infidelitate, Electionem etiam pendere à fide aut operibus prævisis. Verba ſunt: *Nullo merito Eſavum reprobatum fuiſſe, quia & ipſe nondum natus & nihil operatus erat; ac ne præſcientiâ quidem futuræ malæ voluntatis ejus.* Similia habet in explicatione verborum Apoſtoli Rom. 9. v. 18. in Enchiridio cap. 98. & 99. quanquam judicium Dei illic ſubinde inculcat. Sic Epiſtolâ ad Sixtum 105. tomo 2. operum ejus. Et lib. 1. de Geneſi contra Manich. cap. 2. in genere docet: *Voluntatis Dei nullam eſſe cauſam, cum nihil eam præcedat.* Sed clariſſimè Proſper Epiſtola ad Auguſtinum: *Secundum propoſitum Dei diſcretionem factam eligendorum & damnandorum:* Et rurſus: *Deum ſecundum propoſitum & conſilium voluntatis ſuæ, occulto judicio, opere autem manifeſto, aliud vas condere in honorem: aliud in contumeliam.* Poſterius demonſtratur tractatu 48. in Johannem: *Quomodo dixit eis, Non eſtis ex ovibus meis? Quia videbat eos ad ſempiternum interitum prædeſtinatos.* Et tractatu 110. *Ipſi ſunt mundus, damnationi prædeſtinatus.* Lib. 16. de Civitat. Dei cap. 1. *Duæ ſunt hominum ſocietates: quarum eſt una, quæ prædeſtinata eſt in æternum regnare cum Deo: altera æternum ſupplicium ſubire cum Diabolo.* Sic ergò conſtat de ſententiâ Auguſtini contra Semipelagianos.

Quid ſententiæ Patrum addiderit.

An verò illa ſatis conveniat cum doctrinâ Patrum, qui ante Auguſtinum vixerunt, non ſine ratione quæritur, atque etiam ambigitur. Et duo ſunt, quæ communi Patrum ſententiæ ab Auguſtino aſſuta videntur. Unum: quod gratia uni præ altero offeratur, inque uno magis quam altero efficax ſit, id ab abſoluto Dei decreto provenire. Hoc enim cum deficere non poſſit, eos ſolos, non alios ſervari, quibus Deus gratiam converſionis ac ſalutis abſolutâ ſalvandi voluntate deſtinavit. Alterum eſt: Perſeverantiam non modo eſſe donum Dei, ſed etiam ex abſoluto ſalvandi decreto fluere: adeo ut quod unus excidit gratiâ, alter in eâ perſeveret, vel ante mortem reſipiſcat, id eſſe à Prædeſtinatione divinâ. Sed de Patribus eorumque ſententiâ jam ante, Articulo ſe-



Digitized by Google

lo ſecundo, multa diximus: quæ haud repetemus. Duo autem illa, etſi non ita accuratè conſtanterque aſſerta fuerint, non tamen deſtituuntur ſuperiorum temporum ſuffragiis. Quod vel ex ipſo Auguſtino libris contra Julianum, itemque lib. 2. de Prædeſtinatione & Perſeverantiâ oſtendi poteſt. De priore clara ſunt dicta Baſilii apud Petrum Diaconum lib. de gratia, & Ambroſii in lib. 6. Lucæ cap. 46. De poſteriore alibi quædam produximus ex Patribus; quæ iſtic requirantur. Atque ita Semipelagianis quoque reſponſum ab Auguſtino, & ejus autoritate repreſſa hæreſis. Ipſe autem Auguſtinus, dum novam contra Julianum refutationem parat, præclaro operi immortuus eſt A. C. 430. ætatis ſuæ 76. Cujus doctrinæ ſtatim anno ſequente magnum momentum addidit ſolenne & publicum judicium Synodi Oecumenicæ Epheſinæ. Quanquam enim propter Pelagianos convocata non fuit, tamen quod hi Neſtorium damnare refugerent, atque etiam juvarent, Patres 210 unà cum Neſtorio Pelagii quoque aſſeclas damnarunt, nequicquam ſeſe opponentibus aliis triginta, Cœleſtii doctrinâ infectis. Qui plerique loco moti ſunt, ſimulque approbatum decretum Cœleſtini Epiſcopi Romani, quo Cœleſtium, Pelagium, Julianumque depoſuerat. Sed tamen certamina priora ſe rurſum commoverunt. Prædeſtinatorum quidem opinio revocata fuit autore Lucido Preſbytero, qui cum Monachis Adrumitenis ſentiebat. Contra eum Epiſtolam ſcripſit Fauſtus, à Synodo Arelatenſi undecim Epiſcoporum ſubſcriptione firmatam. Idem Fauſtus in Synodo Lugdunenſi aliquando poſt ſecutâ, contra Lucidum ſic egit, ut anathematiſmis in priori ſynodo ſtatutis nonnullâ adjicienda viderentur, eaque provincia ipſi demandaretur. Sed quam bene id præſtiterit, mox dicetur. Lucidus verò in ipſius quoque ſententiam conceſſit. Semipelagiani autem toto reliquo articulo hujus periodi cauſam ſuam egerunt. Anteſignanus in hac controverſiâ fuit Johannes Caſſianus, Monachus, preſbyter Maſſilienſis, ante vero diaconus Conſtantinopolitanus, & Chryſoſtomi diſcipulus: qui doctrinam Auguſtini quam ex Scripturâ tradiderat, obliquè & diſſimulato ejus nomine cœpit oppugnare. Utque aliquâ autoritate ſententiam ſuam obtruderet Eccleſiis, collegit ſermones, colloquia, & reſponſa illuſtrium Eremitarum, qui apud omnes in veneratione erant, eaque à collatis inter ſe Patrum illorum ſententiis Collationum titulo publicavit: unde à Proſpero Collator appellatur. Collatione autem decimâ tertiâ Pelagii ſententiam de gratia & libero arbitrio ſuo modo interpolatam proponit, ac manifeſte defendit. Sed invidiæ declinandæ cauſâ tribuit diſputationem illam Venerando & magnæ autoritatis ſeni centenario Chæremoni Abbati;

Period. I. artic. III.

Repullularunt Prædeſtinati.

Semipelagiani. Johannes Caſſianus.



Digitized by Google

Period. I. artic. III. bati; quanquam & Origenis teſtimonia de re tota adhibet. Specimina è multis ſunt iſta. Cap. 7. *Propoſitum Dei, quo non ob hoc hominem fecerat ut periret, ſed ut in perpetuum viveret, manet immobile. Cujus benignitas cum bonæ voluntatis in nobis quantulamcunque ſcintillam emicuiſſe perſpexerit, vel quam ipſe tanquam de durâ ſilice noſtri cordis excuſſerit, conſovet eam, & exſuſcitat, ſuâque inſpiratione confortat, volens omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Et mox: *Qui ut pereat unus ex puſillis non habet voluntatem, quomodo ſine ingenti ſacrilegio, putandus eſt, non univerſaliter omnes, ſed quoſdam ſalvos fieri velle pro omnibus? Ergò quicunque pereunt, contra illius pereunt voluntatem.* Cap. 9. *Etiam per naturæ bonum, quod beneficio Creatoris indultum eſt, nonnunquam bonarum voluntatum prodeunt principia.* Cap. 12. *Non talem Deus hominem feciſſe credendus eſt, qui nec velit unquam, nec poſſit bonum.* & poſt: *Cavendum eſt nobis, ne ita ad Deum, omnia Sanctorum merita referamus, ut nihil niſi quod malum atque perverſum eſt naturæ adſcribamus humanæ:* & iterum: *Manet in homine ſemper liberum arbitrium, quod gratiam Dei poſſit vel negligere, vel amare.* Cap. 14. *Nullius laudis eſſet ac meriti, ſi id in eo* (Centurione) *Chriſtus quod ipſe donaverat, prætuliſſet. Alioqui dixiſſet. Non dedi tantam fidem in Iſraël.* Similiaque habet plurima, quibus gratiam Dei & hominis arbitrium ita conjungit, ut jam huic primas tribuat, jam illi: adeoque non obſcurè docet, virtute naturali per initia ſaltem fidei, & imperfectam boni cupiditatem ad primam gratiam ſe hominem diſponere. Unde omnis ſalvandorum à damnandis diſcretio veniat arceſſenda. Invenit autem applauſum multorum, præſertim inter Monachos, qui judicarunt hæc aliaque ipſius eſſe Eccleſiæ ſalutaria. Scripſit idem Caſſianus inſtinctu Leonis I. adverſus Neſtorium, non tam ut errores Neſtorii refellerentur, quam ut Neſtoriani hâc arte à SemiPelagianis ſejungerentur. Quum enim Pelagiana hæreſis Neſtorianæ mater ſit, unde unum utriuſque Epitaphium ſcripſit Proſper, omninò periculum erat ne uti Epheſinâ Synodo fecerant Pelagiani, ita Semipelagiani durius habiti ad Pelagianiſmum, atque inde ad dogma Neſtorii paulatim ſe converterent. Quod periculum Leo I. hoc pacto prævertit ac diſcuſſit. Hujus porrò Caſſiani æqualis fuit Vincentius Lirinenſis, Monaſterii Lirinenſis Presbyter; qui putatur eſſe Commentarii, ſub Peregrini nomine editi, autor. Etſi verò damnat Pelagium, Cœleſtium, & Julianum: tamen cum Semipelagianis Auguſtini de Prædeſtinatione doctrinam taxat & oppugnat: quod & totum illud Monaſterium agebat. Sed & Arnobius Junior, Pſalmorum interpres & Gennadius Maſſilienſis inter Semi-Pelagianiſmi ſive defenſores, ſive fautores numerantur. Interim à Caſſiano principem omnino locum

Vincentius Lirinenſis.

obtinet

Digitized by Google

obtinet Fauſtus, ex Monacho Lirinenſi factus Regienſis epiſcopus Period. I. artic. III. & Fauſtus Regienſis.
Hic, ut ſupra monuimus, ſcripſit epiſtolam ad Lucidum Prædeſtinatianum, quâ ipſum ab errore revocavit. Et quo hæc doctrina magis illuſtraretur, autoritate Synodi libros duos addidit de Gratia & Libero arbitrio, ſed fide non bonâ, mandati Synodici limites excedens. Sic enim Prædeſtinatos refellit, ut in contrarium lapſus errorem, non obſcurè Semipelagianam opinionem adſtruat. Floſculi ſententiæ ipſius de Prædeſtinatione ſunt: *Non eſſe hominum alios ad vitam, alios ad damnationem deputatos: ſed de ſalute ad perditionem, & de perditione tranſiri poſſe ad ſalutem:* lib. 1. cap. 4. *Salutem hominis non in prædeſtinatione factoris, ſed in operatione famulantis à largitore gratiæ collocatam eſſe:* lib. 1. cap. 10. *Si quando homo ex malo bonus, vel ex bono melior effici arbitrio mentis adnititur, voluntatem, quæ libera eſt à Deo data, corrigi, non vim prædeſtinationis operari:* cap. 12. *Si alii ad mortem præordinati, alii prædeſtinati videantur ad vitam, nullam Chriſtum veniendi cauſam, nullam moriendi neceſſitatem habuiſſe:* cap. 16. Ex quibus, pauculis licet, guſtum doctrinæ Fauſti quivis facile percipit: qui ubique Auguſtino & aliis Catholicis contradicit, idque ſummâ vehementiâ & acrimoniâ: nec alio tamen prætextu, quam ut Prædeſtinatianos & Pelagianos ſimul refutet, ac fidem Catholicam aſſerat. Unde duo priora libri capita adverſus Pelagium inſcripſit: cum tamen inde à capite tertio Auguſtinum, diſſimulato ejus nomine, confutet. Si qui alii poſt Fauſtum hoc articulo cauſam Semipelagianorum egerunt, obſcuriores omninò ſunt, quam ut commemorari debeant. Ergò ad Catholicæ veritatis contra Semipelagianos defenſores meritò tranſimus: quorum à morte Auguſtini primi principeſque ſunt Proſper Aquitanicus, & Hilarius Arelatenſis. Proſper is eſt, qui certiorem fecit Auguſtinum de reliquiis Pelagianorum, & ut contra eos quoque ſcriberet, ipſum excitavit. Ab obitu verò ipſius in hanc provinciam ſuccedens, cum jam Rhegienſis eſſet Epiſcopus, reſpondit ad capitula Gallorum & Vincentii, nec non Camilli Theodorique dubia. Præterea ſcripſit adverſus Caſſianum, quem à ſcriptis Collationum libris Collatorem nuncupat, librum de Gratiâ, planè ex mente Auguſtini. Ejuſdem quoque eſt huc pertinens carmen elegans de Ingratis: quo nomine Pelagianos & Semipelagianos, tanquam erga divinam gratiam ingratos, indigetat. Sed & liber Sententiarum Auguſtini non pauca continet, quibus Semipelagianorum errores redarguuntur. Hilarius Arelatenſis & ipſe literis de Prædeſtinatione ſcriptis provocavit Auguſtinum contra Semipelagianos. Tum etiam unà cum Proſpero eandem cauſam ſeriò ſeduloque egit. Atque ipſe putatur autor eſſe duorum librorum de Vocatione

Oppoſuerant ſe privatim Proſper Aquitanicus, Hilarius Arelatenſis.

Period. I. artic. III. tione gentium: quos Ambroſio falſò adſcriptos eſſe ſupra monuimus. Nam illos adverſus SemiPelagianos ſcriptos eſſe nemo dubitare poteſt, qui eos accuratè legerit: præſertim cap.7.lib.1. ubi Pelagianos & eorum dogmata, ab his & horum dogmatis accuratè diſtinguit: uti etiam lib.2.cap.8. Vocat porrò eos, defenſores liberi arbitrii lib.1.cap.1. voluntatum patronos cap.3. qui amant calumnioſa certamina, impie diffitentur occulta Dei judicia cap.4. neſcire aliquid erubeſcunt cap.7. quibus etiam contumacium murmura querelarum, inſidioſam malignitatem, & inſolentem præſumtionem tribuit lib.2.cap.1.& 10. Sententiam ipſorum de Prædeſtinatione perſpicuè proponit lib.1.cap.7.lib.2.cap.10. Sed & nervoſè ac ſolidè refutat. Ut non immeritò Cœleſtinus Pontifex Romanus in Epiſtolâ ad Gallos, Hilarium cum Proſpero conjungat: qui ambo in defenſione Auguſtini contra hoſtes gratiæ præclaram operam navarunt. Atque hi quidem Caſſiano & Maſſileenſibus, autoribus SemiPelagianiſmi, ſeſe oppoſuerunt. Sunt verò etiam, qui Fauſtum oppugnarunt. Quos inter maximè emicat Fulgentius Afer, Eccleſiæ Ruſpenſis Epiſcopus, qui contra ipſum de Gratiâ & libero arbitrio libros ſeptem compoſuit & evulgavit: ſed qui temporum injuriis interciderunt. Superſunt tamen nonnulli ipſius, ex quibus ſententia Fulgentiana de Prædeſtinatione clarè perſpicitur: maxime liber primus ad Monimum: tum etiam libri tres de Prædeſtinatione ſcripti: quos etiam Epiſcopi Africani in Sardinia exules ſuo calculo approbarunt. Exſtat quoque Petri Diaconi liber, de Incarnatione & Gratia ad Fulgentium alioſque Epiſcopos Africanos; cujus cap. 8. non modo Pelagianos & Semipelagianos, ſed etiam Fauſti contra Prædeſtinationem divinam malè ſana dogmata condemnat. Nec tacendus nobis eſt Johannes Maxentius, Monachus, & ut creditur, Preſbyter Antiochenus: qui adverſus Fauſtum epiſtolam ſcripſit ad Hormiſdam Pontificem Romanum, quâ Fauſtum & Pelagianos egregiè refellit, & theſibus ipſius antitheſes Auguſtini opponit. Deinceps etiam de SemiPelagianis Judicia publica cognoſcenda ſunt, tam Pontificum Romanorum, quam Conciliorum Provincialium. E Pontificibus primus eſt Cœleſtinus, qui monitu Proſperi & Hilarii ad Gallos dedit Epiſtolam, quâ caveri jubet virus SemiPelagianum. Quâ cum ferè conjungitur libellus undecim capitum, alius quidem autoris, ſed argumenti ejuſdem, à Cœleſtino approbatus. Cum etiam audiret Britanniam infici hâc lue, quæ patria erat Pelagio, deſtinavit eò Germanum, qui Agricolæ, rem iſtic pro SemiPelagianis gerenti ſeſe opponeret. Huic ſucceſſêre Sixtus III. qui primus anathema dixit Pelagianis, & adverſus eos ſcripſit: tum

Fulgentius. Petrus Diaconus. Joh. Maxentius. Publicè Pontifices Romani.

Leo

Digitized by Google

Leo I. ſive Magnus, qui provido conſilio eos disjunxit à Neſtorianis, & Epiſtolâ ad Nicetam Aquilejenſem cavit, ne ante recantationem errorum & confeſſionem veritatis in communionem reciperentur: denique etiam Gelaſius, qui in Epiſtolâ ad Honorium Dalmatiæ Epiſcopum, nominat Perverſitatem toto orbe damnatam, & præcipuos eorum errores refellit. Concilia hîc referenda ſunt tria potiſſimùm: Concilium Romanum LXX. Epiſcoporum ſub Gelaſio Pontifice: de quo etiam exſtat decretum Gratiani parte I. diſt. xvi. ubi, poſt approbatos libros B. Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi, & B. Proſperi viri religioſiſſimi, Johannis Caſſiani presbyteri Galliarum opuſcula, & libri Fauſti Rhegienſis Galliarum Epiſcopi, inter apocrypha recenſentur, ac condemnantur. Hoc excepit Concilium Sardinienſe, Africanorum Epiſcoporum in Sardiniâ exulantium: cujus tanto major debet eſſe autorista, quanto præſtantiores viri, Confeſſores & exules, ad aſſerendam fidei integritatem congreſſi ſunt. Licet autem Acta ipſa deſiderentur, exſtat tamen Synodica ipſorum Epiſtola ad Johannem Presbyterum, & Venerium Diaconum, in quâ dogmata SemiPelagiana damnant atque deſtruunt: inprimis quod Prædeſtinationem à voluntate & curſu hominis ſuſpenderent: & in Eſau figuram populi Judæorum, ex futuris malis operibus condemnandi; in Jacobo verò figuram populi Gentium, ex futuris bonis operibus ſalvandi proponerent. Ultimum fuit Concilium Arauſicanum, annitente Cæſario Arelatenſi contra Fauſti reliquias coactum A.C. 529. cui etiam ex Laicis viri illuſtres & magnifici ſubſcripſerunt; quo & hic ordo contra errores præmuniretur. Exſtat tomo II. Conciliorum, digniſſimum quod diligenter legatur: etſi de Gratiâ & libero arbitrio præcipuè agit. Ita Articulum tertium quoque, & cum eo totam Primam Periodum N. T. finimus.

Period. I. artic. III.

Concilia.

Subit jam ex ordine *Periodus altera*, idque cum *Primo* ejus *Articulo*: quo hæreſis Pelagiana & Semipelagiana iterum ſeſe commovit, & veluti ex radicibus ſuis regerminavit. Inprimis id factum in clauſtris Monachorum per Galliam, atque etiam per Italiam, maximè Caſſini in Campaniâ: ubi jam ante, circa A. C. 520. Benedictus regulam præſcribens Monachis, Collationes Caſſiani invexerat ac commendarat. Sed & ibidem Epiſtola Pelagii ad Demetriadem, ſub nomine Hieronymi circumferebatur, & in pretio erat. Cunque Monachi foris concionando operam ſuam collocarent Eccleſiis, etiam dogmata heterodoxa longè lateque diſſeminarunt. Sed & Græci, τοῦ αὐτεξουσίου admiratores, in Oriente nihilo fidelius aut felicius puritatem doctrinæ Orthodoxæ, hoc in capite conſervarunt. Circa A.C. 730. floruit

Periodus N. T. ſecunda. Artic. I. Pelagianiſmus & SemiPelagianiſmus reſtitutus per Benedictum.

Period. II. artic. I. Joh. Damaſcenus.

ibi Johannes Damaſcenus, qui libro peculiari ſuperioris & ſui temporis hæreſes perſtrinxit. Sed Pelagii aut Semipelagianorum nullam omninò mentionem facit, ipſo ſilentio declarans, aut nullos eſſe ipſorum errores, aut certè eſſe tolerabilem. Idem ſcripſit libros quatuor de Orthodoxâ fide, quibus univerſam Theologiam complexus eſt. Libro 2. cap. 30. agit περὶ προγνώσεως καὶ προορισμοῦ: ubi diſtinguit præſcientiam πρόγνωσιν à Prædeſtinatione: & inter alia aſſerit, Deum præſcientiâ ſuâ eligere omnia: item, Deum offerre nobis ſua bona; nos ea amplecti aut repediare. Cap. 29. proponit diſtinctionem voluntatis Dei in Antecedentem & Conſequentem: quam Neo-Pelagiani opinionis ſuæ fundamentum ſtatuunt. Quippe contendunt Deum voluntate antecedente velle omnes & ſingulos ſervare: conſequente ſervare ſolos credentes ac perſeverantes, damnare incredulos. Ita ut voluntas humana intercedat inter duas Dei voluntates: alteram confirmet aut mutet; atque ita à voluntate humanâ ejuſque libero uſu ſuſpendatur divina. Alii tamen diſtinctionem illam aliter accipiendam eſſe, ex ipſo Damaſceno oſtendunt: qui omnia bona, etiam quæ à libero hominis arbitrio procedunt, ad antecedentem Dei voluntatem refert: ſola mala caſtigationis & pœnæ ad conſequentem: mala verò culpæ, ſeu peccata, ad neutram, ſed ad liberum hominis arbitrium, cum ſibi ipſi à Deo relinquitur. Atque hæc de Damaſceno, qui cum Chryſoſtomi fuerit imitator, nihil mirum, ſi ipſius etiam ſententiam ſecutus fuerit. Idem de Theophylacto, qui multo tamen poſterior eſt, affirmare licet ex ſcriptis ipſius; nec non de quibuſdam aliis. Sed obex poſitus eſt repullulanti Pelagianiſmo ex ſcriptis Auguſtini: quæ ſicut in Eccleſiâ Romanâ, ita in aliis quoque Eccleſiis maximâ autoritate fuerunt: adeo ut Teio Epiſcopus Auguſtodunenſis in Hiſpaniâ Romam mitteret, qui inde ferret ſcripta Auguſtini, confirmandæ puritatis in doctrinâ ſtudio, A.C. 650. Tum etiam illorum temporum Doctores Orthodoxi partibus ſuis non defuerunt. Præ cæteris tamen celebrantur Gregorius Magnus, qui hæreſin illam repreſſit in Eccleſiâ Romanâ: item Hadrianus I. qui de Prædeſtinatione hominum tam ad malum quam ad bonum ſcripſit ad Egilam Hiſpanum Epiſcopum: tum etiam Venerabilis Beda, qui ut alia Auguſtini, ſic doctrinam ejus de Prædeſtinatione & gratiâ aſſeruit, cum alibi, tum inprimis præfatione in Canticum Canticorum. Idem poſt ipſum diſcipuli ejus Alcuinus ſive Albinus, Claudius Scotus, aliique per Angliam & Galliam præſtiterunt. Cæterum toto hoc articulo nihil illuſtrius eſt iis, quæ in controverſiâ Godſcalci acta fuerunt. Erat is Monachus Rhemenſis, & ex lectione librorum Auguſtini quam hauſe-

Obviam itum à pluribus.

Godſcalcus ceu hæreticus condemnatus.

hauſerat de Prædeſtinatione ſententiam, eam publicè privatimque docebat, ſocium nactus Ratarium, monachum Corbejenſem. Dogmata ejus fuerunt: quod Deus, ſicut quoſdam prædeſtinavit ad vitam, ſic alios prædeſtinavit ad mortem: quod item Chriſtus mortuus non ſit pro omnibus & ſingulis, ſed pro ſolis electis: & quæ ſunt his ſimilia alia. Unde Hincmarus veterum Prædeſtinatianorum hæreſin ipſi impingebat, Epiſtolâ, quam ad Papam Nicolaum exaravit. Res acta in Germaniâ, Synodo Moguntinâ, præſide Epiſcopo Rabano Mauro, A.C. 848. à quâ condemnatus Godſcalcus, & cum literis Synodicis ad Eccleſiam Rhemenſem, ejuſque Epiſcopum Hincmarum remiſſus fuit: Tum etiam in Gallia Synodo Rhemenſi, ipſo Hincmaro præſide; ubi iterum auditus & damnatus eſt. Cumque Epiſcopis ſeſe irreverenter opponeret, virgis cæſum cuſtodiæ clauſtrali manciparunt, ne opinionem ſuam latius diſſeminaret. Multi tum adverſus ipſum ſcripſerunt ac nominatim Johannes Erigena Scotus, Quod peſſimè habuit Eccleſiam Lugdunenſem, cujus Epiſcopus erat Remigius: qui etiam reſpondit Erigenæ, ac Pelagiana ejus dogmata notavit ac damnavit: tum etiam quatuor Hincmari capitula, Godſcalcano dogmati oppoſita, expendit. Inſuper coactis Lugdunenſis, Arelatenſis, ac Viennenſis Eccleſiæ Epiſcopis, Synodo Valentinâ A.C. 855. Canones aliquot ſancivit, quibus aſſertâ veritate controverſia illa componeretur. Conditi ſunt ex mente Auguſtini contra Pelagianos & ad præſcriptum Concilii Arauſicani: in quibus præter cætera hæc aſſeruntur: de Dei Præſcientiâ. I. Deum præſcire & præſciſſe æternaliter, quæ fiunt, & bona, quæ boni erant geſturi, & mala, quæ mali erant facturi. II. Deum bonos omnino præſciſſe, per gratiam ſuam bonos futuros, & per eandem gratiam æterna præmia accepturos: malos præſciſſe per propriam malitiam malos futuros, & per ſuam juſtitiam æternâ ultione damnandos. De Prædeſtinatione autem juxta Apoſtolicam autoritatem: annon habet poteſtatem figulus in lutum &c. I. eſſe Prædeſtinationem electorum ad vitam, & prædeſtinationem impiorum ad mortem. In Electione ſalvandorum miſericordiam Dei præcedere meritum bonum: in Damnatione autem periturorum meritum malum præcedere juſtum Dei judicium. II. Prædeſtinare Deum ea tantum ſtatuiſſe, quæ ipſe vel gratuitâ miſericordiâ vel juſto judicio facturus erat: in malis verò ipſorum malitiam præſciſſe, quia ex ipſis eſt; non prædeſtinaſſe, quia ex illo non eſt. Eâdem Synodo etiam diſputatum fuit, an Deus vellet omnes & ſingulos ſalvos fieri? itemque, an Chriſtus pro omnibus & ſingulis mortuus eſſet? quod negarunt, quum pro ſolis fidelibus mortuum eſſe Scriptura teſte-

Period. II. artic. I.

Orthodoxia rurſum aſſerta.

Period. II. artic. I. teſtatur. Reliqua ex Actis, & inprimis ex libro Eccleſiæ Lugdunenſis, de hâc controverſiâ ſcripto, peti poſſunt. De Judæis nihil habemus præter ea, quæ ſub finem articuli Secundi Primæ Periodi memoravimus. Mahometanorum vero, quorum religio ſub initium Primi hujus articuli nata, obſcura eſt ſententia. Nimirum quia in componendo novo corpore doctrinæ prætererunt omnia ea, in quibus myſteriorum abſtruſior ratio. Interim quid ſenſerint de Providentia alibi diximus: videlicet quod Fatum Stoicum aſſeruerint, ut contemtores mortis redderent. De Prædeſtinatione autem, quod Pelagianis aſſenſi ſint, ex hypotheſibus ipſorum de Libero Arbitrio ac meritis operum proclive eſt colligere. Nam azoara 18. & 41. docent, Hominem operum ſuorum meritis ſalvari. Tum etiam varios Sacerdotum ac Monachorum ordines habent, quibus ut peculiaris ſanctimonia ex ritibus & rigore, ita etiam peculiare meritum adſcribunt. Hæc autem eſt baſis Prædeſtinationis ſecundum præviſionem operum, Pelagianorum propria. Sed ad *Articulum Secundum* tranſeamus. Cujus initio tres celebres Prædeſtinationis ſecundum Auguſtinum aſſertores claruerunt, Bernhardus Abbas Clarevallenſis, circa A. C. 1130. Petrus Lombardus, Magiſter Sententiarum dictus, circa A.C. 1145. & aliquot annis poſt, circa A.C. 1220. Honorius, Auguſtodunenſis Eccleſiæ Presbyter. Bernardus cum aliis ſcriptis, tum libro peculiari de gratiâ & libero arbitrio, repetiit Auguſtini de Prædeſtinatione ſententiam, & tam clarè eam expoſuit, ut in illis ſuperſtitionis tenebris indies augeſcentibus nova lux effulgere videretur. Lombardus autem uti diſtinctione 38. & 39. agit de ſcientiâ & præſcientiâ Dei, ita diſtinctione 40. de Prædeſtinatione; quam explicat mediocriter ex Auguſtino, hujuſque tomo ſeptimo maximè: non tamen vel ordine recto, vel etiam plenè. Tria verò ſunt, quæ in eo deſiderantur. Primum, quid omittit doctrinam de Providentiâ, quæ tamen genus eſt Prædeſtinationis. Quæ cauſa fuit erroris non paucis, ut præſcientiam cum providentiâ confunderent, & quæſtiones de utraque miſcerent; quæ tamen ſunt diverſæ. Secundum, quod Prædeſtinationem reſtringit ad ſolam Electionem, & reprobos præſcitos nuncupat, non prædeſtinatos: nimirum, quia metuit, ne Deus autor culpæ, aut injuſte damnare videatur. Tertium, quod in deſcriptione Reprobationis defecit, quam definit præſcientiâ iniquitatis reproborum; item ceſſatione, permiſſione, & ſubtractione gratiæ; non etiam juſtâ Dei, peccata peccatis punientis, actione, decreto, & efficacitate. Honorius denique Dialogum ſcripſit, cui titulum fecit Inevitabile, ſive de Prædeſtinatione & libero arbitrio. In quo licet duriuſcule ſcribere videatur, ſi phraſin ſpectes;

Margin notes: Mahometanorum ſententia. — Artic. II. Auguſtini ſententiam tuiti ſunt, — Bernardus, — Lombardus, — Honorius Auguſtodunenſis.

Digitized by Google

ſpectes; quæ etiam à nonnullis exiſtimatur opinionem Prædeſtinatianorum redolere; tamen genus doctrinæ contra Pelagianos & Semipelagianos rectè tuetur, & in eo cum Auguſtino conſentit. Succeſſit ætas Scholaſticorum, qui in Lombardum, ſive in libros Sententiarum ipſius commentati ſunt. Hi verò non idem de hoc capite doctrinæ ſentiunt, ſed in tres quaſi partes abeunt. Prima ſententia eſt Guilielmi Occami, Gabrielis Biel, & aliorum: qui cauſam amoris & deſtinationis ad vitam æternam volunt eſſe prævisam bonam voluntatem, fidem & bona opera quorundam hominum: contra cauſam odii & reprobationis prævisam aliorum voluntatem malam, infidelitatem, malaque opera. Hæc tota planè Pelagiana eſt. Nam ſuſpendunt voluntatem Dei à voluntatibus hominum, & illam ab his volunt anteverti, atque ita initium tam ſalutis, quam damnationis in nobis conſtituunt. Secunda eſt Johannis Scoti, & diſcipulorum ejus Scotiſtarum. Hic Electionis cauſam in ſolo Deo eſſe profitetur, bonam ſcilicet ejus voluntatem, beneplacitum, gratiam. Reprobationis autem cauſam in ipſis hominibus eſſe contendit, prævisum abuſum liberi arbitrii, infidelitatem, & opera mala. Etſi verò hanc ſententiam probat, tamen non improbat alteram Auguſtini de liberâ Prædeſtinatione ſecundum propoſitum, ſed eam omnibus liberam permittit. Sic ergo Electio, ſeu Prædeſtinatio Sanctorum, Scotiſtis quoque, paucis ipſorum duntaxat exceptis, tota eſt gratuita. Tertia eſt Thomæ Aquinatis, Gregorii Ariminenſis, Durandi, & plerorumque omnium inter Scholaſticos ſaniores & doctiores. Appoſitiſſimè autem Thomas rem omnem exſecutus eſt. Primùm ſtatuit cauſam impulſivam ex fine, patefactionem miſericordiæ in ſervandis, juſtitiæ verò & potentiæ in damnandis: quæ cauſa Prædeſtinationis in genere. At in ſpecie, cur hunc præ illo elegerit aut reprobarit, cauſa eſt libera ac ſimplex voluntas Dei. Quare tota Prædeſtinatio liberrima; Electio gratuita: ſic & Reprobatio, quatenus ſignificat rejectionem à gratiâ. Illuſtrat porrò gemino ſimili: Uno à naturâ in creatione; cur Deus ex informi materiâ aliam partem voluerit eſſe ignem, aliam aërem, aliam aquam vel terram, cauſa fuit demonſtratio ſapientiæ & bonitatis ipſius, in mundi pulchritudine & utilitate: ſed cur hanc partem ignem eſſe voluerit, non aërem, aquam aut terram, cauſa alia dari nulla poteſt, quam merum Dei beneplacitum. Altero ab arte: cur faber lignarius aliud lignum dolet, & inde faciat menſas & ſcamna, aliud rude relinquat, & ex eo efficit ſellas cloacarias; cur item figulus ex eodem luto vaſa ad honeſtos & inhoneſtos uſus formet, cauſa eſt commoditas hominum, quibus ea ſupellectilia parantur. Sed ſi quæratur, cur hoc ligno, hâc parte luti maluerit

Period. II. artic. II.

Scholaſtici in tres ſectas hîc abierunt.

1. Occami, & Bielis.

2. Scoti.

3. Thomæ Aquinatis.



luerit

Period. II. artic. II. lucerit ad honeſta inſtrumenta uti, nulla adferri poteſt cauſa præter liberam artificis voluntatem. Probat idem tum dictis Rom. 9. v. 22, 23. & 2 Tim 2. v. 20. tum rationibus duabus: unâ, à bonis operibus noſtris, quæ omnia ſunt effecta Prædeſtinationis: alterâ, à voluntate Dei, quæ prima cauſa eſt eorum, quæ fiunt. Deinde ſtatuit Effecta Prædeſtinationis, eoque opera bona conſiderari poſſe bifariam: diviſim & inter ſe comparata, quomodo unum poſſit eſſe cauſa alterius; conjuncta & ad Deum relata, quomodo alia cauſa eſſe nequeat, quam libera Dei voluntas. Quæ omnia benè dicta ſunt, niſi quod opera vocet merita, phraſi Patrum, ipſius etiam Auguſtini. Sed de Bonaventurâ quæritur, an accenſeri Thomiſtis, an ut peculiaris ſententiæ autor cenſeri debeat? Negat ille Prædeſtinationem eſſe ex operibus aut meritis, ſed tantum ex voluntate Dei ac beneplacito. Attamen hujus aliquam eſſe rationem, nobis ignotam, propter quam unum elegerit, alterum reprobarit. Ratio: quia voluntas Dei non eſt ἄλογος. Hinc judicia Dei imperſcrutabilia, & vias ejus imperveſtigabiles dici Rom. 11. v. 23. nam ſi mera voluntas cauſa ſit, hanc quemvis intelligere ac dicere poſſe, nec judicia Dei fore imperſcrutabilia. Cæterum ſi ita hæc accipiantur, quod voluntas non ſit ἄλογος in ſe, rectè loquitur; quia voluntas Dei non ſegregatur à ſapientiâ; ſapientiſſimè omnia vult & agit. Sed nihil ad rem; quia quæſtio eſt, an extra Deum in nobis cauſa Prædeſtinationis detur. Quod negat, & ſic conſentit cum Aquinate. Hæc doctrina propagata fuit per Thomiſtas, & ordinis Auguſtiniani, Bernardique monachos. Sed & priores, Pelagianiſmi ac Semipelagianiſmi aſſertores, ſuos habuerunt diſcipulos, qui hæreticam opinionem acriter defenderunt, & magis magiſque diſſeminarunt. Contra quos tamen non defuerunt vindices veræ doctrinæ in media Papatus caligine ac tenebris. Horum princeps eſt Thomas Bradwardinus, ſub extremum vitæ Cantuarienſis Archiepiſcopus, qui floruit circa A. C. 1325. Doctor profundus ſalutatus, ut Scotus ſubtilis, Thomas Angelicus. Hic ſpiſſum volumen libris tribus diſtinctum ſcripſit de cauſâ Dei contra Pelagium; quod anno 1618 Londini typis deſcriptum prodiit, quo veritatem orthodoxam non minus luculenter, quam ex profeſſo aſſeruit. Poſt hanc ſucceſſit in Anglia circa A. C. 1350. Johannes Wiclefus ſtrenuus Papiſmi oppugnator: qui quidem obiter tantum hoc caput doctrinæ attigit, ſed ut inde ſatis conſtare queat ipſum à Pelagianiſmo alieniſſimum fuiſſe. Nam in articulis Lambeti in conventu Epiſcoporum exhibitis, inter alia affirmat ex Scripturâ patere, quod oporteat omnem habilitationem hominis primò à Deo procedere. Quomodo humanæ voluntatis qualitates prævisæ ſatis evidenter excluduntur.

Bonaventuræ ſententia.

Veritatis defenſores

Bradwardinus,

Joh. Wiclefus,

Wi-

Digitized by Google

Wiclefum excepit, ejus ſcriptis quoque animatus, Johannes Huſſus Bohemus circa A.C. 1400. qui majori adhuc animo Romanæ Eccleſiæ errores ac tyrannidem oppugnavit, eapropter contra omne jus ac fas condemnatus à Concilio Conſtantienſi ac crematus anno 1415. Inter articulos ei objectos atque ab ipſo agnitos huc faciunt ſequentes; *Unica eſt ſancta univerſalis Eccleſia, quæ eſt Prædeſtinatorum univerſitas. Præſciti non ſunt partes Eccleſiæ, cum nulla pars ejus ab eâ finaliter excidat, eo quod Prædeſtinationis charitas, quæ ipſam ligat, non excidit. Gratia Prædeſtinationis eſt vinculum, quo corpus Eccleſiæ & quodlibet ejus membrum jungitur Chriſto capiti inſolubiliter.* Unde liquet Prædeſtinationem ipſi cauſam eſſe unicam, quæ non modo univerſos, ſed etiam ſingulos Eccleſiæ Chriſtoque jungit; nihil autem tam in his, quam in præſcitis, quo nomine reprobos intelligit, attendi, quapropter ſic vel aliter de ipſis ſtatuatur. Nec ultimo loco tacendus nobis popularis noſter Weſſelus Ganſefort Groningenſis, Lux mundi vulgo dictus: qui circa A.C. 1470. tam in hoc, quam in aliis religionis capitibus veritatem agnovit ac profeſſus eſt; quod vel unico ejus dicto, de Providentiâ Dei evincitur, *Mirabile dictu*, inquit, *ut cujus ſibi perditio ex ſe, illi tamen tota ſalus & totaliter ex Dei voluntate ſit. Hac ergò voluntas Liber vitæ eſt, in quo conſcripti ſunt omnes filii Dei, ex quorum beato numero perit nemo.* Similia hinc inde in ſcriptis ejus occurrunt. Ad *Tertium* & *Ultimum* ſecundæ Periodi *Articulum* accedo, proximi, & hujus noſtri ſeculi Theologiam Hiſtoricam complectentem: quem proinde luculentius diſtinctiuſque perſequemur. Dicemus autem ordine de Pontificiis, Samoſatenianis, Lutheranis, & denique ipſis Reformatis Orthodoxis: è quibus exierunt nonnulli, variis in Eccleſiis, qui dogmatibus Pelagianis & Semipelagianis acceſſerunt. *Pontificii* quid ad tempora uſque Reformationis, à Luthero Zwinglioque inſtitutæ, de Decretis divinis, inprimis autem de Prædeſtinatione divinâ ſenſerint, ex iis quæ de diſcrepantibus Scholaſticorum opinionibus ſupra retulimus, ſatis ſuperque liquet. Sed circa A.C. 1524. reſtauravit certamina Pelagiana Eraſmus Roterodamus edito adverſus Lutherum libello de Servo Arbitrio, ubi & de Prædeſtinatione agit. Eouſque abſtinuerat à controverſiis Theologicis, & ceu ἀμφίβιον & medium ſe geſſerat: quod ſciret, quem fugeret, quem ſequeretur neſciret. Tum verò inſtigatu Clementis VII. Pontificis, Henrici VIII regis Angliæ, & Cardinalis Wolſæi, in argumento plauſibili Luthero ſe oppoſuit, & ad Pontificios tranſiit, ſcripta Diatribe ſive Collatione de Libero Arbitrio. Hâc præmonet, non expedire ad pietatem materiam hanc altius ſcrutari, & quærere de Præſcientiâ Dei contingente: item an merâ neceſſitate omnia faciamus?

Period. II. artic. II. Joh. Huſſus.

Weſſelus Groningenſis.

Artic. III.

Inter Pontificios Pelagianiſmo ſavit

Eraſmus.

Pro

Period. II. artic. III. Pro Semipelagianis tamen concludit, nonnihil tribuendum eſſe Libero arbitrio, gratiæ plurimum: humanæ voluntatis eſſe applicare ſe ad ea, quæ ad ſalutem æternam perducant, aut ab iis avertere: & ſecundum hanc præſcientiam factam eſſe Prædeſtinationem. Huic reſpondit Lutherus anno 1526. evulgato libro de Servo arbitrio: de quo poſtea ſuo loco. Sed ei mox eodem anno Eraſmus oppoſuit ὑπερασπιστὴν Diatribæ, acerbè & virulentè ſcriptum; quo tamen potiſſimum reſpondet ad eam partem, quâ Lutherus pugnarat cum Præfatione Diatribes, reliqua ſe per otium elucubratiora daturum promittens. Succeſſit poſtea in eadem arenâ Albertus Pighius Campenſis anno 1543. edito ſcriſcripto virulento adverſus Lutherum, Philippum Bucerum, præcipuè tamen Calvinum, cujus doctrinam potiſſimum confutat. Libri fuerunt decem; quorum ſex primis de Libero arbitrio, quatuor reliquis de Prædeſtinatione ac Providentiâ tractat. Calvinus ei reſpondit quatuor libris, ubi de libero arbitrio agit; reliquis autem controverſiis aliâ occaſione occurrit. Sed in Concilio Tridentino res acta majori ſtudio ac ſolicitudine. Nam cum caput de Juſtificatione examini Theologorum ſubjectum eſſet, propter dogmatum cohærentiam in materiam Prædeſtinationis delapſi ſunt, atque ex doctrinâ Proteſtantium, maxime Reformatorum articulos nonnullos collegerunt. Horum primus fuit: *In Prædeſtinatione & Reprobatione nullas eſſe partes hominis, ſed ſolius divinæ voluntatis*. In cujus examine illicò ſententiis variatum eſt. Meliores & celebriores eum approbarunt, quod rectè & orthodoxè ſe haberet. Rationes adduxerunt ex Paulo, I. Rom. 9. v. 11. de Jacobo & Eſau, de quibus decretum Dei antequam naſcerentur pronunciatum, non ex operibus, ſed ſecundum merum ipſius beneplacitum. II. v. 20. ſimilitudinem figuli, III. v. 15, 16. & 18. Miſerebor cujus miſertus fuero; Non eſſe volentis, nec currentis, ſed miſerentis Dei, Deum miſereri cujus vult, & quem vult indurare. IV. Rom. 11. v. 33. Eſſe altitudinem & profunditatem ſapientiæ impenetrabilem & imperceptibilem. V. 1 Cor. 4. v. 7. nihil nos habere quod non accepimus, & 2 Cor. 3. v. 5. nos ne ad bene cogitandum ex nobis ipſis eſſe ſufficientes. VI. 2 Tim. 2. v. 20. fundamentum Dei firmum eſſe, habens hoc ſignaculum, Novit Deus, qui ſint ejus. Multa denique ex Euangelio Johannis, & ex Auguſtino propè innumerabilia afferebant. Alii contra minoris notæ & inferioris ordinis eam ſententiam oppugnabant, ceu duram, crudelem, impiam; quæ I. Deum faceret προσωπολήπτην, ſi abſque causâ impulſivâ unum eligeret, alterum repudiaret. II. injuſtum quoque, ſi propriâ voluntate homines addiceret damnationi, non ex ipſorum meritis. III. everteret liberum arbitrium. IV. deſperationem adferret. V. ſtu-

Albertus Pighius.

Concilium Tridentinum ſententiis Theologorum diviſum.

Digitized by Google

V. ſtudium bonorum operum exſtingueret. VI. fruſtraneas redderet Dei querimonias de peccatoribus, exhortationes: aliaque. Hæc plauſibilis & ſpecioſa, gratior concionatoribus & aulicis, & quod rationibus humanis niteretur, apud humana ſapientes plus poterat. In hoc ſententiarum, divortio Ambroſius Catarinus, patriâ Senenſis, Archiepiſcopus Compſæ, mediam inter utramque confinxit. Nempe Deum pro bonitate ſuâ è cœtu hominum pauciſſimos delegiſſe, quos omnino ſalvare decreverit, eoque mediis infallibilibus inſtruxerit: Cæteros omnes velle quidem ſalvos fieri, & media ſufficientia præparaſſe; ſed ipſis reliquiſſe ea vel accipere, vel repudiare: illud qui faciant, ſalvari, licet ex electis non ſint; hoc, damnari. De his utriſque Deo conſtare ex prævi ſis operibus bonis vel malis, numerumque eorum aliter determinatum non eſſe: de primis autem privilegiatis ſpeciale eſſe Dei decretum, & definitum eorum numerum. Notavit idem Auguſtinum ceu opinionis novæ, præcedentibus incognitæ, architectum. Sic autem ligantibus Theologis, illi quibus formandorum decretorum provincia incumbebat, magnopere deſudarunt, ut res inter Doctores ſuos controverſæ prorſus omitterentur, aut ſi omitti non poſſent, ita conciperentur, ut omnibus placerent ac probarentur. Quod factum Seſſione ſextâ, celebrata die 13 Januarii 1547. Verum mox à Seſſione illâ de ſenſu & ſententiâ Decreti & Canonum de Prædeſtinatione orta eſt diſſenſio; ſiquidem aliter ea Dominicani, aliter Franciſcani interpretabantur. Dominicanorum princeps tum erat Dominicus à Soto, qui tres libros de naturâ & gratiâ conſcripſit, quos hujus doctrinæ voluit eſſe commentarios, & quibus doctrinam Auguſtini ferè repetiit & inculcavit. Franciſcanorum verò anteſignanus erat Andreas Vega, qui quindecim libros edidit, & in ſuum, hoc eſt, Pelagianorum ac Semipelagianorum ſenſum eandem Concilii doctrinam traxit. Uterque ſcriptum ſuum vulgavit anno ſequente 1548. quibus in expoſitione decreti non modo diſcrepantes, ſed etiam inter ſe pugnantes opiniones eidem attribuerunt. Quæ controverſia inter duos illos Ordines Monachorum in hunc uſque diem continuatur. Sed valdè aucta eſt & acrius agitata, poſtquam etiam Jeſuitæ in partem ejus venerunt. Hi enim apertè diſceſſerunt ab Auguſtini & Thomæ ſententiâ, tanquam ſimpliciore: & licet verbis deteſtentur Pelagianum errorem, revera tamen novo colore eum adſtruunt. Duas autem hypotheſes ponunt, Unam: Facienti quod in ſe eſt, ex naturalibus arbitrii viribus, Deum non denegare auxilium ſufficiens. Alterum: Eundem non efficere, ſed elicere conſenſum liberi arbitrii per externam & moralem ſuaſionem, non per internam aliquam & efficacem gratiæ motionem. Hinc

Period. II. artic. III.

Obſcurè & ambiguè locutum eſt,

& in contra rios ſenſus explicatum,

à Dominico à Soto juxta Auguſtinum,

ab Andreâ Vega juxta Pelagianos.

Jeſuitæ Pelagianas partes tuentur.



Digitized by Google

Period. II. Artic. III.

jam inferunt: Quùm Deus ut contingentia abſolutè futura, ita conditionatos liberi arbitrii flexus ab æterno præſciat, hiſce bene uſuros ad vitam, contra iis abuſuros ad mortem juſtiſſimè prædeſtinaſſe. Sic ergo Prædeſtinationis fundamentum non in æterno Dei propoſito cum Apoſtolo, ſed in ipſiuſmet hominis libero arbitrio, & in Dei præſcientiâ ſecundum illud collocant. Ita cum ratiocinarentur & docerent Jeſuitæ, cum alibi, tum Lovanii, Dominicani ſummis viribus ſe oppoſuerunt huic errori circa A.C. 1580. E quibus Doctor celebris Cumel oppugnavit eam hoc præcipuè argumento: Omnis præſcientia boni uſus liberi arbitrii pendet à Dei decreto; ideoque neceſſariò illud ſequitur, & nullatenus ut cauſa vel etiam conditio præcedit. Et probat ex receptâ diviſione Scientiæ divinæ, in Scientiam ſimplicis intelligentiæ ſive naturalem, & viſionis ſive liberam: ex quibus illa Dei potentiam ac poſſibilia, altera voluntatem & futura reſpiciat. Ut igitur Jeſuitæ hoc modo ſe extricarent, novum Scientiæ divinæ genus excogitarunt, toti antiquitati incognitum, illudque Mediam ſcientiam dixerunt. Quo invento adeo exſultant ac triumphant, ut laudem ejus alii præ aliis ſibi vendicent. Petrus Fonſeca in Academiâ Conimbricenſi id ſibi attribuit; ſibi item Ludovicus Molina in Academiâ Eborenſi: nec alterutri cedit Leonardus Leſſius apud Lovanienſes. Sic igitur nova hîc exarſit controverſia, vociferantibus Dominicanis terminos majorum ſic moveri, & à receptâ doctrinâ recedi. Tandem delata res ad Pontificem Sixtum V. qui tollendi diſſidii cauſâ legatum Frangipanum anno 1586. Lovanium miſit; & ſic pro tempore ſopita magis fuit lis, quam compoſita. Nam biennio poſt anno 1588. reſuſcitata eſt à Molina, edito libro de concordiâ liberi arbitrii cum donis gratiæ. Quod ægrè habuit Dominicanos. Ideoque non tantum publicè exagitarunt hoc Molinæ commentum, ſed etiam ſcripti hujus lectione diſcipulis interdixerunt. Hâc occaſione denuo res ad eundem Pontificem Sixtum V. relata eſt: qui utroſq; ad cauſam dicendam Romam vocavit. Sed dum ea pendet, & judicium differtur ex ordine Dominicanorum Scriptor anonymus Belga A.C. 1599. Inſtructionem quandam manuſcriptam vulgavit; quâ oſtendit Jeſuitas & potiſſimùm Molinam nihil adferre in hâc cauſâ, quod non olim à Patribus, maximè Auguſtino contra Pelagianos examinatum profligatumque fuerit. Sed reſponderunt ei Jeſuitæ complures. Leſbius peculiari libello: Gregorius de Valentiâ parte I. diſput. 19. quæſt. 14. Suares libellis duobus, qui exſtant inter ejus opuſcula: Vaſques parte I. diſp. 65. Quibus ſeſe maſcule oppoſuit Cabrera Dominicanus in Summam Thomæ part. 3. quæſt. 1. diſp. 1. ſect. 17. & rurſum quæſt. 18. art. 4.

Pugna inter Jeſuitas & Dominicanos.

Scientia media Jeſuitarum commentum.

diſp.

diſp. 2. Ad quæ, dum ſilet adhuc Papa, juſſus fuit Paulus Benius diribitorem agere: qui judicium ſuum interpoſuit edito libro de dirimenda controverſia iſta anno 1603. Et in Dominicanis quidem reprehendit phyſicam voluntatis per gratiam determinationem: in Jeſuitis verò notat & rejicit commentum ſcientiæ mediæ. Contra cum Jeſuitis quidem aſſerit Prædeſtinationem arbitrii indifferentiam reſpicere; cum Dominicanis autem contendit, futura contingentia haud aliter quam in decreto Dei præſcita eſſe. Sed hunc librum Papa Clemens VIII. cenſurâ notavit ac prohibuit, donec corrigeretur. De re ipſâ nihil ne tunc quidem pronunciavit: Tantum vetuit, ne ſcribendo diſputandove acrius in ſeſe incurrerent. Sed non compreſſi, verum magis irritati animi. Nam ex Dominicanis Cumel, Ripal, Navarret, Jeſuitas Pelagianiſmi inſimularunt A.C. 1605. & deinceps. Quibus Jeſuitæ reſponderunt. Et eouſque exarſit iſta concertatio, ut anno 1612 cauſam hanc apud Philippum III. Hiſpaniæ regem ageret Didacus Alvarez ſcriptis eâ de re libris duodecim. Quanquam autem Jeſuitæ tantâ vehementiâ Pelagiana dogmata tuiti ſunt, non tamen omnes unius ſunt generis. Dantur enim aliqui ipſorum moderatiores aliis ac puriores, qui Auguſtino ac Thomæ aliquid tribuunt, eoſque aliquatenus ſequuntur. Hos inter eſt Cardinalis Robertus Bellarminus, qui lib. 2. de gratiâ & libero arbitrio cap. 16. ſcribit: *Nulla datur cauſa ex parte hominum ejus actus, quo Deus non habet voluntatem ſalvandi reprobos*, &, *Credimus, Deum abſolutâ voluntate velle ſalvare multos, tum parvulos, tum adultos, & abſolutâ voluntate alios non velle ſalvare tam parvulos, quam adultos.* itemque Benedictus Pererius in cap. 9. ad Rom. diſp. 5. *Multò probabilior eſt*, inquit, *& Pauli doctrinæ convenientior, ſententia B. Auguſtini & S. Thomæ, aliorumque Theologorum, qui primam prædeſtinationis cauſam cenſent nullo modo peti ex præviſis hominum operibus poſſe, ſed referri oportere ad ſummam divinæ voluntatis libertatem, juſtiſſime alios eligentis, alios reprobantis.* Idemque Catarinum perſtringit, quod hanc doctrinam tanquam Lutheranam acerbiſſimè inſectatus ſit. Similiter etiam alii Doctores Pontificii tum Scotiſtæ, tum inprimis Thomiſtæ de prædeſtinatione ſtatuunt, quorum omnium ſententias referre nimis longum foret. Duo ſolummodo prætereundi non ſunt, quorum opiniones ſingulares omnino fuerunt. Unus eſt Ambroſius Catarinus, jam ante memoratus, qui duplicem Electionem confinxit: abſolutam unam, B. Virginis, Petri, Pauli, paucorumque ſimilium, cujus immutabilis effectus, nixus propoſito Dei: alteram conditionatam, plerorumque omnium, quæ nititur meritis & obedientiâ. Sed ejus ſententiam refellit Dominicus à Soto in Epiſtolam ad Rom. & Joannes de Bo-

Period. II. artic. III.

Jeſuitæ moderatiores.

Singularis opinio Catarini.



nonia

Period. II. artic. III. Stapletoni.

nomiâ libro de Prædeſtinatione. Alter eſt Thomas Stapletonus, qui diſtinguit inter Prædeſtinationem ad gratiam & ad gloriam: & illam gratis factam contendit, iſtam non gratis, ſed ex prævifis meritis: accuſat quoque Auguſtinum, quod contra Pelagianos modum exceſſerit, ac libero arbitrio minus quam par ſit tribuerit. Ejus dogma refutatum eſt à Bellarmino lib 2. de gratia & libero arbitrio cap. 15. Et de Pontificiis iſta hactenus. A Pontificiis progredimur ad *Neo-Samoſatenianos*, ſive prout à Sectæ illius reſtauratoribus nominantur, *Socinianos*. Qui cum principium Religionis præter Scripturam malè intellectam, ſtatuant Rationem humanam, nihil mirum, ſi in hoc de Dei Decretis & Prædeſtinatione myſterio, gravius impingant. Originem derivamus à Lælio Socino Senenſi Mariani JC. filio, Fauſti Socini patruo: qui doctrinam orthodoxam Eccleſiarum Reformatarum Fati Stoici, atque neceſſitatis cujuſdam fatalis invidiâ gravavit. Quid ipſe ſentiret, etſi ut pleraque alia clam habuit, & pro occaſione apud ſuos tantum profeſſus eſt: tamen in epiſtolâ illâ, quam Dialogis Caſtalionis, ſub ementito Felicis Turpionis Urbevetani nomine, præfixiſſe exiſtimatur, abunde ſeſe declarat. Nam exorſus à libero arbitrio, de quo Pelagianorum errorem ſecutus eſt, progreditur ad Prædeſtinationis doctrinam, prout ab orthodoxis explicari ſolet: aſſerens, eam demum ab Auguſtino, contra autoritatem omnium veterum, excogitatam fuiſſe: ſed eſſe nefariam & deteſtandam opinionem, quâ, velint nolint, Deus & peccati primus autor, & egregius ſimulator, atque adeò turpiter mendax & injuſtus eſſe ſtatuatur: cum tamen pro præcipuo quodam Chriſtianiſmi fundamento Eccleſiis obtrudatur. Ideò huic dogmati cum alios ſeſe oppoſuiſſe memorat, tum inprimis Eraſmum Roterodamum, Philippum Melanchthonem, Theodorum Bibliandrum, & Sebaſtianum Caſtellionem. Mirificè verò commendat & extollit opinionem Caſtellionis: de quâ poſtea. Socius Lælio Socino fuit Bernhardinus Ochinus, & ipſe Senenſis patriâ, qui triginta de religione ſcripſit Dialogos, linguâ Italicâ, in Latinam à Caſtellione converſos. In his more Academicorum etſi mirâ calliditate omnia in dubium revocat, ſemina tamen ſpargit pernicioſiſſimarum hæreſium, atque illius etiam de Prædeſtinatione Pelagiana. Sed qui hâc parte ei ſucceſſit Sebaſtianus Caſtellio, integrè & ex profeſſo hanc cauſam egit, præcipuè contra Calvinum, Bezam, & Martinum Borrhaum. Scripſit enim duos Dialogos de Prædeſtinatione & Electione: itemque libellum de Prædeſtinatione ad Martinum Borrhaum: rurſum annotationes in nonum caput ad Romanos: quibus materia Electionis & Prædeſtinationis amplius illuſtratur. In quibus doctrinam orthodoxam

*Sociniani Pelagianiſmum docent*

Occultius Lælius Socinus.

& Bernhardinus Ochinus.

Apertè Sebaſt. Caſtellio.

Digitized by Google

doxam odioſiſſime proponit, & indigniſſime exagitat: dogma contra Pelagianum de Prædeſtinatione ſecundum prævisionem bonorum vel malorum operum, fidei vel incredulitatis, ſpecioſè proponit, & ſophiſticè confirmat. Quæ omnia ſolidè refutata ſunt à magnis Theologis, Johanne Calvino libro de Prædeſtinatione, & Apologiâ contra calumnias nebulonis; & Theodoro Beza, qui uno ſcripto calumnias Caſtellionis contra Prædeſtinationem diſcutit, altero dicta Scripturæ ab ejus depravationibus vindicat. Sed poſt hoſce rem totam de integro retexuit, & pleniſſimè exſecutus eſt Fauſtus Socinus, cum ſparſim in variis tractatibus; tum præcipuè in Lectionibus Theologicis. Capita præcipua doctrinæ ipſius ſunt, I. Prædeſtinationem, prout traditur in Eccleſiis Reformatis, falſam & erroneam eſſe, duplici de cauſâ: Una, quia tollat omnem religionem, & quicquid ad pietatem facit; quatenus aſſerit, omnia ex neceſſitate fieri. Sic enim laborem, ſtudiumque omne noſtrum eſſe ſupervacaneum. Altera, quia tribuat Deo iniquitatem, ſimulationem cum deceptione conjunctam, inſcitiam & pravitatem. cap.6. II. Deum non omnia quæ fiunt, aut non fiunt, præſertim ad ſalutem aut condemnationem hominum ſpectantia, prius ita decreviſſe apud ſe: ſed pleraque omnia in hominum arbitrio ac poteſtate poſuiſſe. Proinde in his antequam fiant, vel non fiant, non abſolutam Dei voluntatem, ſed deſiderium potius & eſſe, & dici debere. cap. 7. III. Deum quoque non præſcire omnia & ſingula antequam fiant infallibili præſcientiâ: tum quia per ſe id non requirat Dei natura aut voluntas: tum quia cum arbitrio liberæ voluntatis nullo modo conſiſtat. Quicquid autem hujus ſit, id totum eſſe conditionale & conjecturale. cap.8.& ſeqq. uſque ad 12. Eadem ferè repetit de Prædeſtinatione divinâ & cæteris decretis cap.13.& 14. Ubi tamen IV. addit, Prædeſtinationem non eſſe deſtinationem ad ſalutem: ſed indefinitam finis reſpectu: utpote quâ non declaretur, ad quid quiſpiam prædeſtinatus ſit. cap.13. Et V. Prædeſtinationem non eſſe certam ac immutabilem: cum Electi ab electione ſuâ excidere, & æternum perire poſſint: ibid. & cap. 6. antecedente. Hæ ſunt aſſertiones Socini ad convellendam noſtram ſententiam comparatæ. Cæterum ipſe quid ſentiat & doceat, obliquè magis, quàm directè proponit. Summa eſt: duplex eſſe Dei decretum de Hominibus, quoad eorum ſalutem vel exitium. Unum generale, ſed abſolutum, de ſervandis credentibus & obedientibus, & de damnandis incredulis, & inobedientibus: quod conditum ſit de certo quodam hominum genere. Alterum Speciale vel ſingulare, ſed conditionatum, de his illis ſervandis, ſi crediderint, obediverint, atque etiam in obedientiâ

Period. III. artic. III.

Fauſtus Socinus.



Digitized by Google

Period. II. artic. III. dientiâ perſeveraverint; vel etiam damnandis, ſi non crediderint, non obedierint, vel ſaltem in fide ac obedientiâ non perſeveraverint, uſque ad finem: quod fit de perſonis ſingularibus. & pendeat ab actu liberi arbitrii, tum autem demum impleatur, cum actu præſtantur fides, obedientia, perſeverantia, vel contrà: & ſic migret in decretum peremptorium & abſolutum. Hæc ex mente Socini, qui eum in modum ſuam ſuorumque opinionem declarat. Sic etiam Chriſtophorus Oſtorodius docet in ſuis Inſtitutionibus Religionis Chriſtianæ: Valentinus item Smalcius variis ſcriptis contra noſtros & Lutheranos editis. Noviſſime autem Johannes Crellius & Johannes Volkelius editis libris ſex de Verâ religione, idem dogma repetiverunt, & uberius de-
Joh. Crellius. clararunt. Ille quidem libro 1. cap. 32. de Decretis Dei agens, proponit varias diſtinctiones, quibus eorum Prædeſtinatio innititur: ut ſunt Decretum abſolutum & conditionatum, æternum & temporarium, generale & ſpeciale ſive peremtorium: ac ſub finem capitis Decreta ab eſ-
Joh. Volkelius. ſentia Dei diverſa eſſe multis rationibus oſtendit. Iſte verò lib. 5. cap. 17. duo potiſſimum contendit contra noſtros: Unum, nullam eſſe Prædeſtinationem, quâ Deus ab æterno ſervandos & damnandos certò diſcreverit. Et ordine refutat quatuor argumentorum claſſes, quibus doctrina iſta firmari ſolet: à dictis de Prædeſtinatione, de libro Vitæ, de Electione, & de Vocatione. Alterum, mutabilem quoq; eſſe Prædeſtinationem, quia annexam ſibi habeat conditionem in aſſenſu obedientiaque noſtra: quæ mutabilia ſint. Hæc autem aliaque cum à variis, atque etiam à nobis non uno modo temporeve prolixè ſint confutata, nihil
*Lutheranorum* ſententia. attinet narrationi huic prolixius immorari. Quare tertio loco tranſibimus ad *Lutheranos*: de quibus operoſius paulò nobis agendum eſt, partim propter horum temporum controverſias, partim etiam propter conciliationis conatum, quo nonnulli ipſas controverſias componere moliuntur. Quum autem Lutherani ferè nitantur & pugnent autoritate Lutheri, cujus παραστάτης fuit Philippus Melanchthon,
Lutherus ſecutus eſt Auguſtinum. de utroque initio dicemus. Lutherus fuit ordinis Auguſtiniani Monachus, in lectione ſcriptorum Auguſtini inprimis verſatus: ut mirum videri non debeat, ſi ipſius de Prædeſtinatione ſententiam contra Pelagianos tenuerit ac defenderit. Eam nullibi aut plenius pla-
Liber de Servo arbitrio. niuſve declaravit, aut ſolidius demonſtravit, quam in libello de Servo arbitrio contra Eraſmum, edito anno 1526. Quem quanti fecerit ipſemet teſtatur epiſtola de libris ſuis ſcripta ad Capitonem 1537. Et verò tam avidè exceptus fuit, ut eodem tempore variis locis, Wittebergæ, Noribergæ, Auguſtæ, & alibi recudendus fuerit. Accedit Præfatio ejus in Epiſtolam ad Romanos; quâ eodem plane modo de hoc

dogmate

Digitized by Google

dogmate ſe declarat, in omnibus Bibliorum ejus editionibus hactenus repetita & ſervata. Denique exſtat liber, ſub titulo Beſtändige Lehre D. Mart. Luthers von urſprung des glaubens/ excuſus Ambergæ 1598. ubi dictis illuſtribus ex omnibus ejus operibus excerptis oſtenditur, hanc conſtantem ipſius de Prædeſtinatione ſententiam fuiſſe. Contra quæ objicitur: Lutherum initio quidem ita ſenſiſſe & docuiſſe: poſtea verò ſententiam revocaſſe, & retractaſſe, nempe Commentario in Geneſin cap. 26. juxta cujus interpretationem antecedentia omnia intelligenda ſint. Primus hoc commentum protruſit Chriſtophorus Lazius in Saxoniâ 1568. cum pro Synergiſtis contra Illyricum ſcriberet. Quod paulatim aliis placere cœpit; & nunc ab omnibus ubique Lutheranis recipitur. Sed non difficile eſt illud vanitatis ac falſitatis redarguere. I. ex ipſo loco Gen. 26. cap. ubi abuſum ſuæ de Prædeſtinatione doctrinæ per ſophiſticam conſequentiam in Prædeſtinatianis ac Epicureis damnat: ipſam' doctrinam, libro de Servo arbitrio expoſitam, confirmat & aſſerit. Videatur Rimedoncius in præfatione libri. II. teſtimonio publico libri Concordiæ cap. 2. ubi autoritatem ejuſdem libri ſtabilit & obtinere jubet. III. teſtimoniis privatis, quibus commento illi contradicitur: Johannis Wilhelmi Ducis Saxoniæ, in præfatione corpori doctrinæ Thuringico præfixa: Flaccii Illyrici libro germanico de peccato Originis contra Lazium: Danielis Hoffmanni in apologiâ ſuâ contra Hunnium & Mylium: & denique Conradi Schluſſelburgii, qui noviſſimè anno 1618. illud confutavit & exploſit. IV. quia liber ille, etiam poſt mortem Lutheri, in ſummo pretio apud genuinos ac conſtantes ejus diſcipulos fuit: ceu ſunt Johannes Brentius, Cyriacus Spangenberger, Jacobus Heerbrandus, Tilemannus Heſhuſius, Flaccius Illyricus, & alii, qui nunquam tanti eum facturi fuiſſent, ſiquidem in illo capite & annexis ipſi autori ſuo diſplicuiſſet ac improbatus fuiſſet. Jam de Melanchthone quoque diſpiciendum erit. Hunc initio idem ſenſiſſe & docuiſſe cum Luthero de Prædeſtinatione ipſâ luce clarius eſt. I. ex prima editione Locorum communium 1521. ubi eodem plane modo, quo etiam Lutherus, de Prædeſtinatione loquitur. Lutherus autem præfatione libri de Servo arbitrio, ita laudat eum libellum, ut non modò immortalitate, ſed etiam canone Eccleſiaſtico dignum pronunciet. II. ex primis annotationibus in Epiſtolam ad Romanos, editis cum præfatione Lutheri anno 1523. inprimis verò in caput 9. ejuſdem Epiſtolæ. III. ex approbatione libri Lutheri de Servo arbitrio contra Eraſmum: cui, alias amico, hîc adverſatus eſt. Sed poſtea putatur mutaſſe ſententiam, vel ſaltem eam interpolaſſe. Id quidem contendunt Flacciani

Period. II. artic. III.

nunquam ab autore retractatus.

Melanchthon idem docuit cum Luthero.

contra

Digitized by Google

Period. II. artic. III.

contra Synergiſtas; Neo-Samoſateniani, & ex his perſonatus ille Felix Turpio Urbevetanus, præfatione in Dialogos Caſtellionis; Novatores contra Orthodoxos, & alii. Nec deſunt inter Orthodoxos, qui hîc eis aſſentiantur. Equidem mutationem aliquam in hoc capite doctrinæ factam eſſe negari non poteſt, ob ſummam ejus evidentiam ex collatione ſcriptorum poſteriorum cum prioribus. Cujus etſi occaſio quædam fuit lectio ſcripti Eraſmi, ejuſque diligens meditatio; tamen cauſæ omninò aliæ fuerunt, eæque diverſæ. Prima fuit calumnia adverſariorum Pontificiorum, ac nominatim Johannis Cochlæi: qui calumniatus eſt Philippum Melanchthonem & Euangelicos, quaſi Fatum Stoicum titulo Prædeſtinationis in Eccleſiam introducerent. Altera fuit furor Fanaticorum, Muntzerianorum, Anabaptiſtarum, & Swenckfeldianorum; qui vociferabantur, Converſionem hominis ex neceſſitate dependere, fieri per violentos motus atque raptus, citra miniſterium Verbi ac Sacramentorum, abſque exercitiis fidei & reſipiſcentiæ. Tertia fuit exiguus profectus in ſtudio pietatis, quem in viſitatione Eccleſiarum Saxonicarum, anno 1527. decreta, ſed ſequente 28 demum inſtituta, unà cum Luthero deprehenderat, & ex abuſu doctrinæ Euangelicæ de gratiâ Dei in Chriſto pullulare ſtatuebat. Atque hæ ſunt præcipuæ cauſæ mutationis in hoc dogmate factæ: quæ quouſque pateat, deinceps diſpiciendum erit. Dicemus autem diſtinctè de Phraſi, de modo docendi ſive Methodo, & denique de ipſâ Doctrinâ, ſive de ipſo dogmate. In Phraſeologiâ, manifeſtior eſt interpolatio quam ut negari queat; & quidem in duobus. I. quod neceſſitatem ejuſque vocabula rejecit: ne negare contingentiam, introducere fatum Stoicum, ac Deum peccati autorem facere videretur. II. quod pro jure Dei abſoluto, de quo eſt Rom. 9. v. 11. & ſeqq. jus ordinatum verbo Legis & Euangelii propoſuit & commendavit. Utrumque docet collatio ſcriptorum: & confirmant epiſtolæ ad varios, inprimis autem ad Carolovicium & Camerarium ſcriptæ. In Methodo, ſive ordine docendi quoque accedit mutatio. Cum enim initio methodo ſyntheticâ hoc dogma tractaſſet, cum Apoſtolo Eph. 1. v. 4. & ſeqq. Rom. 8. v. 28, 29, 30. poſt eundem Apoſtolum imitatus in diſpoſitione Epiſtolæ ad Romanos, methodum analyticam in eodem declarando adhibuit: exorſus à Verbo & ejus miniſterio: hinc progreſſus ad reſipiſcentiam & fidem, nec non utriuſque exercitia: tandemque ad Prædeſtinationem, ex quâ iſta fluunt, aſſurgens. Hinc autem nulla pugna in ipſa doctrinâ eſſe poteſt. Æquipollent enim iſta: Deus quos elegit ad vitam, etiam reſipiſcentiâ ac fide donat: & quoſcunque donat reſipiſcentiâ ac fide, eoſdem ab æterno ad vitam elegit. 2 Theſſ. 2.

Mutavit ſententiam.

cauſæ mutationis.

Obſervatur in phraſi,

in methodo.

v. 13,

Digitized by Google

Period. II. artic. III. non in dogmate ipſo.

v. 13. Actor. 13. v. 48. Planè quemadmodum in demonſtratione τοῦ διότι καὶ ὅτι via quidem diverſa eſt, ſed res eadem. Poſtremò de Re ipſâ tam in genere, quam in ſpecie dicemus. In genere idem tenuiſſe & docuiſſe quod prius, atque cum Calvino & aliis conſenſiſſe, probatur I. ex Epiſtolâ ipſius ad Calvinum, quâ reſpondet ipſi de libro adverſus Pighium, ipſi dedicato, & conſenſum profitetur. II. ex colloquio ipſius cum Mauritio Hellingo, Superintendente Noribergenſi, Wittebergæ habito: ubi collationem inſtituti ſententiæ Calvini, Flaccii Illyrici, & ſuæ: & primam ſibi non improbari teſtatur. III. ex doctrina ejuſdem noviſſimè publicis ſcriptis repetita: ut in Epiſtolæ ad Rom. cap. 2. in 2 Timoth. 2. v. 19. & denique in Reſponſione ad articulos Bavaricos. Quæ omnia collegit & refert D. Pezelius parte ſeptimâ argumentorum & reſponſionum Philippi, loco de Prædeſtinatione. Jam in ſpecie, quoad Electionem conſenſus ſatis apertè conſtat. Nam quod nos propter Chriſtum electos eſſe aſſerit; ordinis ſolum controverſia eſt; Sitne Chriſtus prior, an poſterior electus? in idem verò recidit, cum ex gratiâ electum & nobis datum eſſe conveniat. Sic eadem eſſe dicitur cauſa Electionis & Juſtificationis: nimirum, ſi cauſa prima ſummaque ſpectetur in miſericordiâ Dei gratuitâ. Nam cauſæ inferiores illi quadrare nequeunt. In Reprobationis verò doctrinâ videtur verius defenſus eſſe, quam eſt. Ubique enim docet & inculcat, Reprobationis non aliam cauſam eſſe, quam peccatum. Sed rectè monet Pezelius, Reprobationis vocabulum ferè accipere pro damnatione. Quomodo etiam nobis actus reprobationis poſitivus peccatum, tanquam cauſam proximam damnationis, complectitur & includit. Cæterum Eventus mutationis iſtius in ſententiâ Melanchthonis hic fuit, ut controverſia naſceretur ſicut de libero arbitrio, ſic de Prædeſtinatione inter ipſos Lutheranos, aliis Lutheri, aliis Philippi ſententiam ſequentibus. Factum id occaſione Libri Interim, ſive Formulâ Religionis ad Concilii uſque finem, ſervandâ, à Cæſare Carolo V. publicata anno 1548. Etenim Flacciani, hoc eſt, Flaccius Illyricus ejuſque ſocii concitarunt bellum de adiaphoris ſive ceremomoniis ac ritibus externis, ex præſcripto Interimiſticæ formulæ recipiendis adverſus Melanchthonem & ὁμοψήφους Theologos, ac contenderunt non ſolum nimium concedi Pontificiis pacis cauſa, ac viam Papatui illis ritibus aperiri; ſed etiam in dogmatis doctrinæ, molliori explicatione, ac Phraſeologiâ à Luthero deviâ, nervos ſanæ doctrinæ incidi, ac novum genus doctrinæ induci. Inprimis quæſtio huc pertinens agitata eſt Jenæ anno 1557. ſuperſtite adhuc Melanchthone, inter Victorinum Strigelium Melanchthonis diſcipulum, & Flaccium Illyri-

Eventus mutationis fuit Lutheranorum declinatio ad Pelagianiſmum.

Cujus autores gradatim

Victorinus Strigelius.

Period. II. Sæc. III.

Illyricum, utrumque in novâ Academiâ Theologiæ Profeſſorem. Flaccius ſentiebat & docebat cum Luthero quoad modum converſionis. Strigelius cum Melanchthone, ſed ut longius etiam procederet, aſſerens cooperationem arbitrii humani in converſione; nimirum quia homo non ſit truncus aut ſtipes; & latum ſit diſcrimen inter cauſas agentes natura, & voluntate ſeu προαιρέσει. Hinc ipſe & qui eum ſecuti Synergiſtæ dicti. Diſputatio Vinariæ habita, & excuſa, ſed fide non bonâ. Strigelius in carcerem conjectus, & annos tres cum aliquot ſeptimanis ſub cuſtodiâ habitus fuit, ac tandem dimiſſus poſt varias migrationes vocatus eſt Heidelbergam ad Profeſſionem Ethices, ubi doctrinam illam περὶ συνεργείας, etſi aliter doceretur à Theologis, minimè diſſimulavit. Interim Academiæ Jenenſis & Witteberg.nſis ob hanc controverſiam mutuum colliſæ, & cauſa ſcriptis aculeatis agitata: ubi Wittebergenſes pro Melanchthone pugnarunt, eumque excuſarunt. Eadem controverſia non multò poſt A.C.

Joh. Marbachius.

1561. reſuſcitata eſt Argentinæ à Johanne Marbachio Paſtore & Profeſſore, contra Hieronymum Zanchium, ibidem Theologiam profitente: qui jam anno 1553. ſuffectus in locum Caſparis Hedionis ibidem docuerat. Jam inde ab initio non ſatis conſentiebant de prædeſtinatione & articulis annexis, ſed tamen ferebant alter alterum, & concordiam colebant. Tum verò res erupit in nervum tali occaſione. Tilemannus Heshuſius nuper Heidelbergâ dimiſſus ſcripſerat librum de præſentiâ corporis Chriſti in Cœnâ in, cum, ſub pane. In ejus libri præfatione acerbè perſtringebatur Fridericus III. Elector Palatinus, Philippus Melanchthon & alii inſignes Eccleſiæ Doctores; tum etiam hæreſeos & atheiſmi damnabantur, quotquot opinioni ipſius de corporali præſentiâ & orali manducatione non accedebant. Hic liber recudebatur Argentinæ, ſub nomine Magdeburgi, & quidem additis ad marginem contumelioſiſſimis Scholiis. Eum verò librum Zanchius autoritate Senatus ſupprimendum curavit: non ob dogmata illa, quæ judicio Eccleſiæ permittebat; ſed ob præfationem maledicam. Quæ res Johannem Marbachium, & alios Zelotas Lutheranos non modo alienavit à Zanchio, verum etiam incitavit, ut quærerent omnes occaſiones, quomodo ipſum exagitarent, & loco pellerent. Ideo lectiones ipſius, dictata, & quicquid habere poterant, excuſſerunt; ex quibus cum de aliis, tum de Prædeſtinatione & Perſeverantiâ illi litem intentarunt. Res variè agitata Argentinæ. Cum componi non poſſet, Zanchius Theologorum per Germaniam judicia exploravit. Tum etiam ad Colloquium ſeſe obtulit. Sed hoc impetrare non potuit, quamvis interea clamoſis ad populum concionibus

doctrina

doctrina ipſius traduceretur. Tandem viſum rem arbitris committere, evocatis Tubingâ Jacobo Andreæ, Biponto Cumanno Flinſbachio, & Baſileâ Simone Sulcero ac Ulrico Coccio. Concepti fuerunt articuli de Prædeſtinatione concordiæ causâ, qui in docendo obſervarentur. Judicarunt arbitri non magnam diverſitatem eſſe in doctrinâ: Et explicationem liberam fecerunt ſecundum doctrinam Scripturarum, item Auguſtini, Lutheri, & Buceri: Teſtati etiam quod nulla hæreſis eſſet in ſcriptis Zanchii. Subſcripſit Zanchius cum reſtrictione, *Hanc doctrinæ formulam ut piam agnoſco, ita etiam recipio*, *A. C.* 1563. *die* 28 *Martii.* Sed quoniam in articulis involuta doctrina, adverſariis omnia pro ſe interpretantibus, denuò erupit controverſia. Quæ priuſquam componeretur, Zanchius diſceſſit, Clavennam ad Eccleſiæ miniſterium evocatus. Latius autem ſparſa res, & triumpharunt adverſarii ipſius. Succeſſit Liber Concordiæ, nomine Principum Germaniæ Auguſtanæ Confeſſionis à Theologis ſcriptus, & editus A.C. 1580. In eo doctrina de Prædeſtinatione repetita & declarata eſt. Duabus autem partibus abſolvitur, Affirmativâ & Negativâ. Affirmativa diſtinguit inter Præſcientiam & Prædeſtinationem. Illa nominatur vorſehung/ hoc eſt, providentia, & eſt ſcientia futurorum Dan. 2. v.28. ſpectat bonos & malos; non tamen cauſa eſt malorum, ſive peccati, ſive exitii, ſed ordinat illud, metas ponit, & dirigit ad bonum. Iſta eſt tantum bonorum & filiorum Dei; eſt cauſa ſalutis ipſorum, & omnium mediorum ejus; tum etiam immota Matth. 16. v. 18. Joh. 10. v. 28. Non quærenda in arcano Dei conſilio, ſed in verbo. Illud autem nos ducit ad Chriſtum, qui eſt liber vitæ: in quo electi, quotquot ſalvandi. Eph. 1. v. 4. Chriſtus vocat ad ſe omnes peccatores, & ſeriò vult, ut etiam omnes ad ſe veniant, audiant, non obturent aures; pollicetur gratiam. Ergo de Prædeſtinatione non ex Ratione, nec ex Lege judicandum: unde profanitas vel deſperatio naſcitur, ex ſyllogiſmo Prædeſtinatianorum: ſed ex Euangelio; ubi docetur Deum omnia concluſiſſe ſub peccatum, non ut quiſquam pereat, ſed ut reſipiſcant & credant. Qui ergo de revelata Dei voluntate ſollicitus eſt, & ordinem ſequitur qualis in Epiſtolâ ad Romanos, antequam de arcano conſilio loquitur, ei fructuoſa eſt hæc doctrina. Quod autem multi vocati, pauci electi, non hic ſenſus, quod nolit Deus omnes ſalvare, ſed quia vel reſiſtunt Spiritui Sancto, vel deficiunt. Et ita de Electione ac vocatione agit. Negativâ in genere damnantur, qui ita de Prædeſtinatione docent, ut vel deſperatio vel ſecuritas inde ſequatur. In ſpecie verò I. quod Deus nolit omnes reſipiſcere & credere. II. quod non ſeriò vocet omnes. III. quod nolit omnes ſervari, ſed

Period. II. artic. III.

Liber Concordiæ.



Digitized by Google

Period. II. artic. III.

citra reſpectum peccati deſtinarit damnationi. IV. quod in nobis etiam ſit cauſa damnationis. Quæ omnia deinde plenius declarantur. Sed quemadmodum in aliis capitibus religionis, ita etiam in hoc non una aſſertio falſa occurrit. Nam præterquam quod alio loco, de libero arbitrio, damnant, & Stoicum ac Manichæum eſſe dicunt, omnia evenire neceſſariò; cum tamen Scriptura Sacra & Lutherus iſtud apertè ſatis affirmant; erronea ſunt, I. Providentiam Dei nihil eſſe aliud quam Præſcientiam. II. Prædeſtinationem divinam tantum pertinere ad Electos, quo negent Reprobationem. III. Deum velle omnes audire Euangelium, omnes converti, omnes ſalvari, neminem perire: ſine diſtinctione voluntatis Dei arcanæ & revelatæ. IV. damnari ſine ullo diſcrimine phraſin, Reprobos non poſſe converti & ſervari, contra Joh. 12. v. 39. & Matth. 7. v. 18. Eſt & hoc improbandum, quod objectiones invidioſe proponantur, non autem addantur veræ reſponſiones. Licet autem in hanc formam doctrinæ de Prædeſtinatione tum conſenſum fuerit, paulatim tamen longius adhuc & à veritate & à Luthero quoque diſceſſum. Id quomodo factum ſit, nunc dicemus. Sexto anno poſt editum librum Concordiæ A.C. 1586. Mompelgardi inſtitutum Colloquium ut de aliis capitibus, ita de Prædeſtinatione. Occaſio controverſa eſt. Lutherani, & præcipuè Jacobus Andreæ credi voluit Baronem Clervantium, regis Navarreni Legatum ad Principes Germaniæ eam dediſſe: qui negavit, quod non haberet mandatum, neque putaret utile; ſed Synodum potius commendaſſe pro conciliandâ pace. Sed ipſe Jacobus Andreæ illud propoſuit apud eundem Legatum, ad iſtud Colloquium D. Bezam expetens, quam Galliæ Papam dixit, uti ſe Germaniæ Papam profeſſus eſt: atque Illuſtriſſimum Principem Fridericum Wurtenbergicum ad id inſtigavit; qui per Nobiles Gallos exulantes ibi ſignificandum curavit D. Bezæ, gratum fore ſi ipſe conſentiret. Beza primum reſpondit id exigui fructus fore; deinde inſtantibus illis conſilium petiit à Collegis, item à Bernenſibus & Tigurinis. Hi ſuadent, quod ſaltem major moderatio hinc ſperanda videretur. Princeps etiam Fridericus ſcripſit ad Genevenſes & Bernenſes, ut ex ſuis quoſdam eodem fine mitterent. Beza igitur eò profectus eſt, comitantibus Abrahamo Muſculo Theologo Bernenſi, Antonio Faio Eccleſiaſte Genevenſi, Petro Hubnero Græcæ Linguæ Profeſſore Bernæ, & Claudio Albino Philoſophiæ Profeſſore Lauſannæ, & Mompelgarti appulit die 20 Martii 1586. Jacobus Andreæ eodem ſibi proficiſcendum dixit, ut Principem inter Gallos exules verſantem à Calviniſmo averteret: habuitque adjunctum ſibi Lucam Oſiandrum. Poſt alia capita de Prædeſtinatione actum eſt, & in hiſce theſi-

Jacobus Andreæ in Colloquio Mompelgartenſi.

theſibus conſenſum. I. quod ſalvandos Deus non tantum præſciverit, ſed etiam elegerit, & ad vitam æternam prædeſtinarit. II. quod electio facta in Chriſto. III. quod ſervandorum certus apud Deum ſit numerus. Sed quæſtio fuit, An Deus maximam hominum partem, etiam priuſquam naſcerentur, abſoluto decreto deſtinarit damnationi; ut nolit eos pœnitentiam agere, converti, & ſalvari? Hoc negarunt Wirtembergenſes, his fundamentis nixi, quia omnia ad conſolationem noſtram ſcripta ſint Rom. 15. v. 4. quia id poſcant dicta 1 Tim. 2. v. 4. Ezech. 18. v. 23 Luc. 24. v. 47. Joh. 3. v. 16. 1 Joh. 2. v. 2. Matth. 11. v. 28. Rom. 11. v. 32. 2 Petr 3. v. 9. quia denique neque ex lege, neque ex ratione humanâ, ſed ex ſolo Euangelio de Prædeſtinatione Electorum judicandum ſit. Damnarunt igitur propoſitiones iſtas. I. Reprobationem eſſe ſanctiſſimum Dei propoſitum, quorundam non miſerendi. II. cauſam efficientem reprobationis eſſe propoſitum Dei. III. Deum reprobos nondum natos, nullo indignitatis reſpectu exitio deſtinaſſe. IV. Cauſam reprobationis eſſe odium, & voluntatem Dei. Reſponſum ad omnia, & dicta Scripturæ à Beza vindicata, ac veritas orthodoxa aſſerta fuit. Finitum eſt Colloquium 29 Martii ſequente. Sed non finita certamina, quæ magis etiam recruduerunt. Jacobus Andreæ contra fidem datam Acta Colloquii edidit. Cui aliam editionem Beza oppoſuit. Lutherani paſſim magnos cecinerunt triumphos, & dum hanc controverſiam agitant, cauſæ Sacramentariæ inducias aqualis conceſſerunt. Quod Jacobi Andreæ conſilio potiſſimum factum, qui Reprobationis doctrinam potiſſimum arripuit, de quâ populariter & vernacule declamaret, & veritati hactenus in Euangelicis Eccleſiis conſentienter ſatis traditæ invidiam atque odium conflaret. Biennio poſt Mompelgartenſe Colloquium, novus acceſſit & acrior Pelagianiſmi propugnator, Samuel Huberus. Hic cum per annos viginti in ditione Bernenſi Miniſter Eccleſiæ fuiſſet, anno 1588. menſe Aprili, ob graves errores, quos de Prædeſtinatione & æternâ Dei electione fovebat, damnatus eſt in Synodo, cui etiam Beza, Stuckius, Grynæus, Jetzlerus interſuerunt. Profugit ergo Tubingam ad Jacobum Andreæ; factuſque Miniſter Derodingæ. & mox etiam Lutheranus, ſcripſit librum virulentiſſimum contra Heidelbergenſes 1590. & contra Grynæum anno ſequente, & univerſalem omnium hominum electionem & redemtionem aſſeruit. Cui egregio ſcripto de Prædeſtinatione & Redemtione reſpondit Jacobus Kimedancius Heidelbergenſis Theologus anno 1592. Huberus poſtea Wittebergam profectus, & Ægidio Hunnio, Polycarpo Lyſero, ac Salomoni Geſnero Theologis Collega datus fuit. In quâ ſtatione non diu egerat, cum ſpargere primum, deinde

Period. II. artic. III.

Samuel Huberus.



Digitized by Google

Period. II. N. T. artic. III.

de publicè 1595 cœpit diſceptare magna vehementiâ contra Collegam Hunnium, de univerſali prædeſtinatione ſive electione propriè ſic dictâ ad ſalutem, tam incredulorum, quam credentium, inque fide perſeverantium; quam promiſcuam atque indeterminatam appellavit. Tuitus autem eſt ſententiam non modo ex dictis Scripturæ, ſed etiam ex Lutheranorum quorundam ſcriptis, qui univerſalem omnium hominum electionem docuerunt, ſed κατεχρηστικῶς de beneficâ Dei erga homines voluntate nomen Electionis intelligentes; Huberus verò ſenſu proprio idem aſſeruit. Tandem loco motus, per multos annos continuavit controverſiam, Jenæ, Brunſwigæ, Hamburgi vagatus, donec nidum Dantiſci invenit. Unde virulentiſſimè ſcripſit. Hunnius viciſſim varia propoſuit & vulgavit contra ipſum, inprimis tractatum de Providentia & Prædeſtinatione Filiorum Dei; ubi ita cauſam ſuorum egit, ut in multis ad ſententiam Orthodoxorum accedere cogeretur. Reſpondit autem ei Huberus. Et non deſunt inter Lutheranos qui adhuc ejus ſententiam propugnant, tum quod omnes cauſæ electionis, dilectio Dei & meritum Chriſti, univerſales ſint, tum quod omnes homines in Adamo ad imaginem Dei eoque ad vitam æternam conditi ſint. Cæterum eodem tempore, quo Huberus Wittebergam venit, non diſſimilis exarſit contentio inter Danielem Hofmannum Helmſtadienſem Theologum & Ægidium Hunnium. Obſervaverat enim Hofmannus & taxaverat, quod Hunnius in explicatione Prædeſtinationis à doctrinâ Lutheri, imò ab ipſo libro Concordiæ deflexiſſet, & in Cathedra Lutheri pejora ipſis Pontificiis docuiſſet. Nam Librum Concordiæ ſtatuere, nullam eſſe cauſam Electionis in nobis, Hunnium verò, & cum ipſo Georgium Mylium Jenenſem, alioſque affirmare, Deum prævidiſſe, quinam hominum ad fidem atque electionem ſe aptos idoneoſque reddituri eſſent, & iſtos elegiſſe. Sed hac propter in conventu quodam Theologorum ab Hunnio Mylioque damnatus Hofmannus, eique niſi ſibi aſſentiretur, denunciatum anathema anno 1593. quibus ipſe Apologiam oppoſuit anno proximo 1594. Notum autem, quod etiam Hofmannus notavit, Hunnium id didiciſſe à Jacobo Andreæ, cujus fuerat diſcipulus, itemque ex Colloquio Mompelgartenſi, ubi dogma iſtud ventilatum fuit. Et ab eo tempore ac deinceps doctrina Prædeſtinationis in eum ordinem redacta, qui nunc inter Lutheranos obtinet. Exponitur ea ab omnibus recentioribus, cumprimis à Matthiâ Haſenreffero Tubingenſi Profeſſore. Docet ille, *Prædeſtinationem eſſe Voluntatem Dei æternam de Hominibus per Chriſtum, fide apprehendendum, ſalvandis. Voluntatem iſtam eſſe tum Antecedentem ſive Univerſalem, de omnibus in univerſum hominibus, pec-*

Ægidius Hunnius.

Communis ſententia modernorum Lutheranorum.

*cato*

*cata perditis, ſalvandis: cujus fundamenta ſint Univerſalis Dei miſericordia, univerſale Chriſti meritum, & univerſale Verbi miniſterium. tum Conſequentem ſive Particularem, de ſalvandis credentibus & damnandis incredulis. Cauſam particularitatis non oriri ex Deo, ſed eſſe Hominum, qui proprio vitio non credunt: ſolam enim infidelitatem cauſam eſſe particularitatis & damnationis.* Unde liquet differentiam omnem poni in hominis liberè repugnantis contumaciâ, in cujus poteſtate ſit repugnare & non repugnare, non autem aſſentiri vel non aſſentiri. Sed diſtinctio iſta I. abſurda eſt, quia gratia, cui voluntas hominis ita repugnat, ut non vincat, non eſt efficax: cum in eo ſit efficacia, quod repugnantiam illam tollit. II. ἀσύςατος: quia actus negativus, nolo repugnare, ſecum trahit affirmativum, volo aſſentiri. Si ergò ille in hominis poteſtate, etiam hic. III. Non reſiſtentia illa vel eſt liberi arbitrii, vel ſpecialis gratiæ: hoc ſi dicant, orthodoxis aſſentiuntur: ſin illud, quod aliqui eorum fatentur & contendunt, Pelagianorum ſententiam non obſcure adoptant, ac ſuam faciunt. Et hæc de Lutheranis hactenus. Ultimi in hoc ordine, atque etiam Articulo tertio Secundæ periodi Novi Teſtamenti, ſunt *Reformati*: quorum etſi concors eſt ſententia de Prædeſtinatione divinâ, harmoniâ Confeſſionum, Palatinæ, quæ aliis etiam per Germaniam Orthodoxis Eccleſiis eſt communis, Helveticæ, Gallicæ, Anglicæ, Scoticæ, & Belgicæ teſtata; tamen in harum quoque Nationum Eccleſiis aliquando ſeſe commoverunt, qui doctrinam receptam tentare, vel etiam oppugnare auſi ſunt. Et quidem de *Germanicis Eccleſiis* nihil attinet ſigillatim dicere: cum harum quaſi propria fuerint cum Lutheranis certamina. Ergò de reliquis ordine agemus. Primo loco ſeſe offerunt *Eccleſia Helvetica*, unà cum vicinâ ac ſociâ *Genevenſi*. Supra retulimus ſcripſiſſe Calvinum de libero arbitrio atque etiam de Prædeſtinatione adverſus Pighium, repetitâ Auguſtini ſententiâ. Quod paucis nonnullis diſplicuit. Inter eos fuit Hieronymus Bolſecus, ante ordinis Carmelitarum Monachus, tum Medicus Genevenſis: qui A. C. 1551. quæſtionem contentioſe movit de Libero arbitrio & præviſione operum ad evertendam Prædeſtinationem divinam. Auditus in Conventu Miniſtrorum, & à Calvino graviter confutatus, Genevâ in ditionem Bernenſem ſe recepit. Reliquit verò in urbe aſſenſores ſententiæ ſuæ non paucos. & in his Genevenſem aliquem, prius Eremitam. Qui omnes hoc obtentu multa indignè dixerunt & egerunt in Calvinum. Unde ipſe hoc caput doctrinæ uberius explicavit, & luculentius confirmavit. Cui labori ita Dominus benedixit, ut Eremitam facti ſui pœniteret, & ante mortem ejus veniam à Calvino peteret. Interea Bolſecus non ceſſavit in Bernenſi ditione alios ſibi diſcipulos facere

Period. II. N. T. artic. III.

*Reformatæ Eccleſiæ concordes.*

Turbarunt eas aliqui.

Helveticis;

Genevæ Hieronymus Bolſecus,

Period. II. N. T. artic. III. Baſileæ Sebaſtianus Caſtellio.

facere, & traducere Calvinum, ac ſi Deum faceret autorem peccati, & horrenda multa de Prædeſtinatione doceret. Baſileæ quoque Sebaſtianus Caſtellio, cujus ſupra meminimus, jam ante infenſus Calvino, quod cenſurâ olim Genevæ notatus eſſet, eandem cum altero cauſam contra Calvinum egit. Ab his latè ſerpſit ac propagata eſt controverſia, nec uno anno terminari potuit. Et Bolſecus quidem maledicis chartis, Caſtellio verò ſcriptis anonymis Calvinum inceſſerunt anno 1554. Uſque adeò ut anno ſequente 1555 coïret factio quædam Paſtorum in viciniâ Genevæ, quæ non aliter debacchabatur in Calvinum, ac ſi Manichæiſmum ac Stoiciſmum in Eccleſiam induceret. Hiſce calumniis motus Calvinus, Bernam proficiſcitur, cauſamque veritatis contra calumniatores ſtrenuè defendit; hoc exitu, ut Sebaſtianus quidem ſycophanta impudentiſſimus, infamiâ & exilio multaretur; Bolſecus finibus eorum excedere juberetur; Andreas autem Zebedæus, accuſator Calvini acerrimus, & præter hunc plures alii, paulatim agnoſcerent errorem, & ultrò deſiſterent. Calvinus autem ſcripſit refutationem calumniarum Caſtellionis de hoc argumento. Præterea Tiguri aliquid hujus movit, etſi citra turbas, Theodorus Bibliander Helvetius, vir doctiſſimus, & S. Theologiæ Profeſſor. Qui ex lectione ſcriptorum Eraſmi adverſus Lutherum hauſerat errores ipſius, inprimis de Prædeſtinatione. Sed diſplicuit res Eccleſiæ & Senatui. Qui ſub ſpecie honoris ipſum, jam ſenem, rude donarunt: ſurrogato ſucceſſore Petro Martyre. Poſtremo rurſum Bernæ doctrina Prædeſtinationis in controverſiam vocata eſt à Samuele Hubero, in ditione Bernenſi Paſtore, qui rejectâ Orthodoxâ ſententiâ Electionem Univerſalem omnium ac ſingulorum hominum ad vitam æternam magnâ contentione propugnavit. Hinc indicta Synodus Bernæ anno 1588. evocatis ad eam, uti dictum eſt, etiam vicinis Theologis, Genevâ D. Bezâ, Tiguro D. Stuckio, Baſileâ D. Grynæo, & Schaphuſio D. Jetzlero. In quâ cum auditus & damnatus eſſet Huberus, nec tamen deponeret errorem, ad Lutheranos transfugit. Eccleſiæ autem Bernenſes pacatæ, & in Orthodoxiâ confirmatæ ſunt. Captavit quidem eodem anno, menſe Septembri, occaſionem Jacobus Andreæ turbandi Bernenſes, eò veluti ad amoliendam calumniam à Principe Friderico Comite Mompelgartenſi miſſus: ſed prudentiâ Senatus, & conſiliis Theologorum turbatus ei conatus ad irritum cecidit. In *Eccleſiis Gallicis*, etſi ſub Magiſtratu à religione alieniſſimo agentibus longo tempore nihil contra Prædeſtinationem diſputatum fuit; idque beneficio diſciplinæ ſeverioris, quâ ut concordiam ita conſenſum in doctrinâ tuiti ſunt & propugnarunt. Sed ante annos viginti duos præter propter Sedani ab illo

Tiguri Theodorus Bibliander.

Bernæ Samuel Huberus.

Gallicis:

Digitized by Google

illo conſenſu diſceſſum eſt Sedani à Daniele Tileno, & qui cum ipſo ſentiebant D. d'Or Paſtore & Pam-Nerano Gymnaſiarcha. Acceſſerunt enim partibus Remonſtrantium ſive Novatorum in Belgio, ac Semipelagianorum errorem interpolarunt: contra quam ipſe Tilenus ante docuerat & ſcripſerat. Sed cauſâ cognitâ munere ſuo amoti fuerunt. UtqueEccleſiis in futurum etiam conſuleretur, Eccleſiæ Gallicæ Synodo Carentonianâ habitâ A. C. 1623. Canones Dordracenos non modo approbarunt, ſed etiam Confeſſioni ſuæ adjecerunt, declarationis cauſâ: quibus omnes Eccleſiæ Doctores ſubſcripſerunt. A quo tempore cum pauci aliquot, præcipuè tamen duo, quorum nominibus parco, conciliationem aliquam partium, hoc eſt, Orthodoxorum & Novatorum quærerent, ac ſcriptis etiam attentarent; Synodus interceſſit pro autoritate, eoſque cœpto deſiſtere coëgit. Jam in *Anglicanis Eccleſiis* eadem de Prædeſtinatione doctrina inde à primâ Reformatione tradita eſt, Quippe primi Reformatores, ſub Henrico VIII rege, cum Eccleſiis Helveticis ac Genevenſi ſeſe conjunxerunt, profugique ex regno religionis ergò, ſedem exilii apud eoſdem ſibi delegerunt. Præterea à morte Henrici ſub Eduardo VI filio, è Germaniâ ad conſtituendas Eccleſias ac Scholas evocarunt Martinum Bucerum, Paulum Fagium, & Petrum Martyrem; qui Auguſtini de Prædeſtinatione ſententiam voce ſcriptiſque conſtanter tradiderunt. Poſtremò, idem teſtantur varia ſcripta Doctorum Angelorum, quæ in manibus ſunt: inprimis autem Articulus XVII. Confeſſionis Anglicanæ, de Prædeſtinatione & Electione disertè ſcriptus, nec non Catechiſmus, autoritate Eduardi VI. Regis in uſum Scholarum anno 1553 editus. Si qui diſſenſerunt, quod fieri potuit, cum multi ex Papatu admitterentur ad Eccleſiæ Miniſterium, citra inſtitutionem aliunde hauſtam, atque etiam libri Eraſmi in pretio eſſent; fuit ea ſingularis opinio, clam vel ſaltem privatim habita, non doctrina Eccleſiæ Anglicanæ. Primus Petrus Baro, natione Gallus, patriâ Stempanus, profeſſione Theologus, & in Academia Cantabrigienſi Profeſſor dogmata Pelagiana de Prædeſtinatione publicè docere auſus fuit, A.C. 1590. Non tamen ſine gravi adverſariâ doctiſſimorum in illâ Academiâ virorum, Witakeri, Tindalli, Chattertoni, Perkinſi, qui eo ipſo tempore Armillam auream evulgavit, ac aliorum. Qui initio boni ſenis nomini parcentes, doctrinam veritatis concionibus, lectionibus, ſcriptiſque publicis vindicarunt. Sed cum ne ſic quidem deſiſteret, ſed concinnata Summâ triũm de Prædeſtinatione ſententiarum, quâ ſtabilit opinionem ſententiæ orthodoxæ contrariam, palam ſibi aſſenſores quæreret, Witakerus publicè in Academiâ ſe ei oppoſuit, prælectionibus,

Period. II. N. T. artic. III. Sedani Daniel Tilenus.

Anglicanas:

Cantabrigiæ Petrus Baro.

Period. II. N. T. artic. III. diſputationibus & concionibus, quarum duæ exſtant: una de gratiâ univerſali, quam refutat; altera de Prædeſtinatione, gratiæ divinæ conſtantiâ, & ſalutis certitudine: & ſic Summæ illi nervos incidit. Sed re ad Reginam & Archiepiſcopum Cantuarienſem relatâ, indicto ſuper eâ re Epiſcoporum atque Theologorum conventu Lambethi, etiam Witakerus eò evocatus fuit. Qui veritatis negotium in hâc cauſâ tam ſolidè & ſedulò egit, ut tandem damnatâ Baronis opinione victrix triumpharet veritas, conditis novem orthodoxis articulis, 20 Novembris anno 1595. qui à loco Lambethani denominati ſunt. Iidem etiam in Academiam publicâ autoritate introducti. Ex quo Baro dimiſſus à Profeſſione Cantabrigiâ in Galliam rediit: pax autem Academiæ reddita eſt. Hic doctrinæ ſtatus ſub Eliſabethâ, & poſt ſub Jacobo I. Magnæ Britanniæ Rege permanſit. Qui quid de hoc capite doctrinæ ſentiret, ſatis ſuperque teſtatus eſt, partim literis ad Ordines Belgii ferventibus certaminibus Arminianis, partim legationibus ad Ordines, inprimis autem ad Synodum Dordracenam. An verò ex eo res declinarit per Angliam, & quo nunc loco ſit, non attinet hîc memorare. De *Eccleſiis Scoticis* nihil etiam addo. Quia liquet earum doctrina ex ipſâ Confeſſione, quæ exſtat. Neque auditum, nobis quidem, ſuper hoc capite doctrinæ controverſias motas fuiſſe. Quæ inter Gallos, eadem inter ipſos viguit diſciplinæ ſeveritas, ac eundem concordiæ conſenſioniſque fructum ipſis præſtitit. Reliquæ ſunt *Eccleſiæ Belgicæ*, ſanguine Martyrum plantatæ atque enatæ, quæ inde ab initio conſentientem cum aliis Eccleſiis Reformatis, præcipuè Gallicis, de Prædeſtinatione doctrinam tradiderunt. Liquet illud ex Confeſſionis articulo XVI. & aliis articulis ei annexis, ubi exſecutio Prædeſtinationis in effectis demonſtratur, atque ita ipſamet à poſteriore declaratur. Interim negari non poteſt, etſi ſententia illa publicè & communiter obtineret, nunquam tamen inde à principio Reformationis defuiſſe, qui dogmata heterodoxa Pelagianorum & Semipelagianorum de Prædeſtinatione tenerent atque defenderent. Cujus mali originem atque cauſas inquirenti mihi, quatuor omninò occurrunt, hîc memorandæ. I. Quod initio, nondum inſtituto ordine Eccleſiaſtico, & piis Miniſtris numero deficientibus, multi ex Papatu ad Miniſterium admiſſi ſunt, citra præviam inſtitutionem, aut legitimam vocationem: qui etſi improbarent atque abjicerent craſſam illam idololatriam, & alias Eccleſiæ Romanæ ſuperſtitiones: tamen errores Pelagianos de gratia ac Prædeſtinatione, à Papiſtis hauſtas, retinebant. II. Eraſmus Roterodamus, ut proprius Belgarum, præcipuè Batavorum, Propheta fuit; ita ſcripta ejus de Religione & alia, in maximo ſemper pretio erant. Quorum lectione

Belgicis:

multi

Digitized by Google

multi infecti & ſeducti: qui etiam Eraſmici cognominari ſolent. Cum iis tamen meritò conjunguntur Dialogi Caſtellionis, ejuſdem genii: qui non ſine applauſu in Belgio accepti. III. Scatuit Belgium inde à primâ Reformatione, atque etiam anteà, Libertinis, Anabaptiſtis, Davidianis, aliiſque hominibus fanaticis: quorum plerique Pelagiana dogmata tenuerunt & propagarunt. IV. Magiſtratus etiam multis locis alienus à Religione Reformatâ, vel inſuper fanaticis iſtis opinionibus addictus, fovit & protexit iſtos errones; ne diſciplina in eos ſtringeretur, & Eccleſia ab hiſce maculis liberaretur. Præcipui qui ante Schiſma Armenianum à publico Eccleſiæ conſenſu in doctrinâ Prædeſtinationis receſſerunt, memorantur Anaſtaſius Veluanus, Hermannus Herbertus, Cornelius Wiggerus, Caſparus Coolhaſius, & Gellius Sneccanus. Anaſtaſius Veluanus librum ſcripſit, cui titulus, Laicorum Manuductor: in quo ut craſſiores errores Papatus rectè damnat, ita adſpergit ei errorem Semipelagianum de Prædeſtinatione: qui an & à quibus receptus in Geldriâ, ubi docebat, non ſatis liquet. Liber quidem tum vulgi manibus tritus. Hermannus Herbertus à Pontificiis ad Lutheranos tranſiit, Veſaliæ primò, mox Dordraci ad Eccleſiæ miniſterium admiſſus anno 1579. Ubi cum proderet ἑτεροδοξίαν in doctrinâ Prædeſtinationis & aliis Religionis capitibus, autoritate publicâ loco motus fuit. Profugit verò Goudam, atque ibi admiſſus, Miniſtros Collegas, qui erroribus ipſius adverſabantur, pepulit: Filium verò ſuum, & alium ſibi conſentientem adſcivit Miniſtros, & hi rurſus alios ſui ſimiles. Quos inter convenit, ne Catechiſmus Belgicus ibi proponeretur, neque doceretur de Prædeſtinatione, Peccato originis, Juſtificatione, prout in Eccleſiis Belgii Reformatis receptum erat. Sed ab iis contra ipſum & ſocios gravis & longa actio inſtituta: quæ ipſius condemnatione in Synodo terminata eſt A. C. 1591. Executionem verò ejus impedivit Magiſtratus Goudanus: quatenus etiam de Socinianiſmo, & editione libri Davidici Wonderboeck ſuſpectus eſſet. Cornelius Wiggerus Hornæ docuit, Semipelagianorum de Prædeſtinatione ſententiam interpolans, & in Eccleſiæ ſcenam reducens. De quo conſulta Facultas Theologica Leidæ cenſura hominem notavit: Synodus verò Northollandiæ etiam Miniſterio amovit. Eodem modo etiam Leidæ actum cum Caſparo Coolhaſio, idem dogma propugnante: qui à Synodo Nationali damnatus fuit. Gellius verò Sneccanus jam rude donatus erat, & privatus factus, cum tractatum ſuum de Prædeſtinatione evulgaret A.C. 1592. quod quidem inſtigatu Arminii factum, non levis ſuſpicio. In præfatione

Period. II. N. T. Artic. III.

Anaſtaſius Veluanus.

Hermannus Herbertus.

Cornelius Wiggerus.

Caſparus Coolhaſius.

Gellius Sneccanus.



Digitized by Google

Period. II. N. T. artic. III. tione teſtatur in ſummâ rei ſibi convenire cum Calvino & Bezâ: quod tamen ſecus habet. Etſi verò cenſurâ notatus non fuit, ob ætatem, & privatæ vitæ conditionem: tamen Eccleſia, atque etiam Facultas Theologica in Academia Franckeranâ opinioni illius contradixit, eamque erroris redarguit. His velut promachis & anteambulonibus

Jacobus Arminius. ſucceſſit Jacobus Arminius Veteraquinas; qui majore non modo ingenio & doctrinâ, ſed etiam calliditate & audaciâ cauſam hanc Prædeſtinationis contra Eccleſiam Orthodoxam defendendam ſuſcepit, inprimis cum anno 1603. Franciſco Junio in Profeſſione Theologicâ Leidæ ſuccederet. Prætexuit quidem ſe ſolo pietatis zelo ſtimulari: quæ non leviter impediatur à Prædeſtinatione Stoicâ & Manichæâ, abolente libertatem voluntatis humanæ, & ſtudium omne pietatis bonorumque operum exſtinguente. Sed revera ſuberat cauſa alia. Urebatur gloriâ Doctorum Orthodoxorum, quibus omnibus modis detrahebat; de Calvino id aperte profeſſus: effecturum ſeſe, ne deinceps tanti fieret in Eccleſiâ ipſius autoritas. Nimirum ut per alieni nominis ruinam ſibi gradum faceret ad gloriam. Tum etiam id ſpectabat, ut tot ſectas, quibus laceratur Belgium, ad concordiam, vel ſaltem ad majorem conſenſum adduceret, mutato illo capite doctrinæ, quo maxime offendebantur. Ideoque etiam à Prædeſtinatione mutationis initium facere voluit: licet alioquin totam doctrinam Religionis interpolare haberet propoſitum: ut docent Conſiderationes in Confeſſionem & Catechiſmum: tum etiam Articuli circa omnia capita doctrinæ diligentioris examinis cauſa ſubjecti. Quomodo rem egerit, & in quas formas ſeſe verterit, priuſquam animum renudaret, alibi narravimus. Tandem ingenuâ declaratione in Conſeſſu Ordinum Hollandiæ ſuam de Prædeſtinatione ſententiam aperuit anno 1608. ita quidem, ut primò noſtram, trifariam diviſam (quod falſitatis argumentum videri poterat,) improbaret, rejiceret, & argumentis viginti confutaret: inde verò ſuam, quatuor Decretis diſtinctam, ordine ſubjiceret, additis etiam argumentis viginti contrariis, quæ eam ſtabilirent. Inſtituta poſtea ſuper eadem Declaratione Collatio; poſt quam non diu ſuperfuit.

eiuſque diſcipuli. A morte ipſius ſectatores & diſcipuli eandem cauſam varie deinceps egerunt voce & ſcriptis: & cum perrumpere non poſſent impudentiâ & calumniis, ſaltem tolerantiam petiverunt. Quæ cum multis de cauſis ſuſpecta, & ipſis Eccleſiis damnoſa eſſet, poſt longa certamina, tandem ad Synodum Nationalem Dordracenam, ad quam etiam evocati fuerunt exteri Theologi, decurſum eſt anno 1618. & 1619. Quâ ut in aliis, ita in Prædeſtinationis doctrinâ aſ-

ſerta

Digitized by Google

ſerta & ſtabilita Orthodoxia, hæreſis Pelagiana damnata, & pax Eccleſiis reſtituta fuit. Motum quidem aliquid fuit de veritate articulorum controverſorum, in Synodo deciſorum; ut via conciliationi ſterneretur, ſaltem in quinque illis famoſis articulis. Sed cum hoc diverſimodè acciperetur, nec ſchiſmatis periculo carere videretur, totum prudenter omiſſum fuit. Atque hæc de Prædeſtinationis controverſia & hiſtoria hactenus.

Period. II. N. T. artic. III.

# INDEX
# DICTORUM SCRIPTURÆ,

*Quæ juxta ſeriem librorum ferè producuntur.*


Geneſis 10.70.80.167.&ſeqq. uſque ad 177
Exodus 81.180.247.248.
Leviticus 81.
Numeri 81.248.
Deuteronomium 81.208.247. 248
Joſuæ 84.184.
Judicum 84.186.248.
Ruth 84.
I. Samuelis 85.175.187.249.
II. Samuelis 86.188.
I. & II. Regum 88.
I. & II. Chronicorum 99.
Eſdras 99.
Nehemias 100.
Eſter 100.
Jobus 83.178.
Pſalmi 85.189.190.208.249.
Proverbia 86.190.249.
Eccleſiaſtes 87.249.
Canticum Canticorum 87.
Jeſaias 90.196.249,250.
Jeremias 91.250.
Lamentationes 92.
Ezekiel 96.205.
Daniel 97.
Hoſeas 90.192,
Joël 90.
Amos 91.191.
Obadia 93.
Jonas 89.
Micha 91.
Nahum 91.
Habakuk 93.
Zephania 92.
Haggæus 100.205.251.
Zacharias 100.175.
Malachias 101.251.252.
Matthæus 118.209.257.
Marcus 119.209.258.
Lucas 119.210.258.
Johannes 119.210.211.258.
Acta 103.120.212.213.259.
ad Romanos 120.212.213.259.
I. & II. Corinth. 121.212.213. 259.
Galatas 121.213.
Epheſios 122.213.259.
Philippenſ. 1.122.213.259.
I. & II. Theſſalon. 122.259.
I. & II. Timoth. 122.123.212. 213.259.
Titum 123.213.260.
Philemonem 123.
Hebræos 123.213.214.260.
Jacobi 124.212.260.
I. & II. Petri 124.214.260.
tres Johannis 124.125.212.214. 260.
Judæ 10.125.260.
Apocalypſis 125.212.214.260.


INDEX

# I N D E X
# Rerum memorabilium.


## A.

ABailardi *hæreſis* 239.
Abrahami *Theologia* 12.
Adami *Theologia* 9.
Additiones *ad Danielem apocrypha* 97. *item ad Eſteram* 100.
Ægyptiorum *Theologia* 12. *Diis ipſorum* 173. *conſtantia in ſuperſtitione* 179.
Alcoranus *quomodo concinnatus* 38. *explicatus* 39. *ejus autoritas* 149. 150.
Alexandri, *Hymenæi*, *& Phileti doctrina* 23.
Alis *interpretatio Alcorani* 39.
Amoſi *ætas & liber* 90.
Anabaptiſtarum *origo* 60. *autores, & dogmata* 61. *propagatio* 62. 63. *confeſſio* 63. *ſchiſmata* 62. 63. *ſententia de S. Scripturâ* 163. *de Deo & Trinitate* 242.
Apis *Ægyptiorum qualis* 183.
Apocalypſeos *autor Iohannes Apoſtolus* 125. *repudiata ab hæreticis* 137.
Apocryphi *libri V.T.* 93. 94. 97. 99. *repudiati à Synagogâ magnâ* 104. *quando Canonicis conjuncti* 105. *eorum nota* 105. *à Canonicis diſtincti* 134. 135. 146. *dicti Eccleſiaſtici* 140. *æquati Canonicis* 153. 162. *Trinitatem agnoſcunt* 207. *ſed non ſine errore* 208. *quid doceant de providentiâ & prædeſtinatione* 256.
Apologiæ *Patrum pro Chriſtianis ſcripta* 30.
Apollonius *Thyanæus à Philoſophis Chriſto oppoſitus* 26.
Apoſtoli *cur non ſtatim ſcripſerint.* 114. *conjunctim ſcribere cœperunt.* 115. *conſtitutiones & Canones ipſis tributi ſunt ſuppoſititia ſcripta* 126. 227. *nihil ſcriptum ab ipſis reliquum extra Scripturas.* 128. *non ſunt autores Symboli Apoſtolici* 131.
Archiepiſcopi *inſtituti* 36.
Ariſtotelis *doctrina de Deo* 199. *de providentiâ* 255.
Arriana *hæreſis* 32. *ejus autor & initium* 225. *condemnatio in Synodis Nicena & Sardicenſi* 226. 229. *reſtitutio* 227. *etiam per Synodos* 229. 230. 231. *quam late ſparſa* 232.
Arrii *hiſtoria* 225. 226.
Aſtrologia *judiciaria* 76.
Auguſtini *ſcripta veræ doctrinæ conſervatio* 43. 44. *contemta* 44. *quid de Prædeſtinatione ſenſerit ante Pelagiana certamina* 268. *quid poſt ea* 271. *ſeq.* *quid de reprobatione* 275. 276. *quid ſententiæ Patrum addiderit* 276. *ſcripta ejus defenſa* 279 280. *magno in pretio* 282
Auſpicium *quid*

## B.

BAal *Peoris cultus* 185. *Baal Berith* 185. *Baalzebub* 191.
Barcozbæ *Pſeudomeſſiæ Iudæi rebellio* 29.


Bar-

Bardeſaniſtæ 265.
Baruchi *liber apocryphus* 94.
Baſilidiani 265.
Bel *Chaldæorum Deus* 172.
Berengarius *veræ doctrinæ defenſor* 44. *ad palinodiam adactus* 45.
Bernhardus *veræ doctrinæ aſſertor* 48. 248.
Bibliorum *editiones procuratæ* 157. *Hebræa V. & Græca N.T.* 157. 158.
Bonaventura *conſentit Thomiſtis* 286.
Bogomiles *hæreſis* 239.
Burchardus *Decretorum Papalium collector* 44.

## C.

CAinitica *Theologia quæ* 10. *principia ejus* 70. *errores de Deo* 168. *idololatria* 169. *hæreſis quadam* 265.
Canon *V.T. à Patribus agnitus* 139. 140. *Canonicorum librorum ab Apocryphis diſtinctio in Eccleſiis Latinis* 146. *abrogata in Concilio Florentino* 153.
Canonici *Iuris origo* 46.
Canticum *Canticorum* 87.
Capernaitarum *hæreſis* 22.
Capnio *reſtituit Hebræas literas* 156. *juvit reſtituere Græcas* 157.
Caroloſtadii *reformatio* 56. *Lutheri contra ipſum acta* 56. *ejus doctrina de S. Cœnâ* 57.
Cathari *dicti Novatiani* 29.
Catecheſin *quis primus ſcripſerit* 27. *Euangelicorum plures* 55.
Catholicarum *Epiſtolarum ordo incertus* 117.
Celtarum *Theologia rudis* 11.
Cerinthi *hæreſis* 24. 215.
Chaldæa *lingua alia ab Hebræa* 79. *quomodo adhibita à Daniele* 79. & *Eſdrâ* 98. *paraphraſis V.T.* 112.
Chaldæi, *vatum nomen* 75.
Chaldæorum *Theologia* 12. *Dii* 171. ſeq. *reliquiæ doctrinæ de Deo Triuno* 178. 179.
Chami *falſa doctrina* 10. 11. *idololatriæ inſtaurator* 171.
Chriſti *Theologia quam docuit* 21. *cur nihil ſcripſerit* 114.
Chronicorum *liber uterque* 99.
Colloquia *cum Lutheranis* 58. 39. 300. *cum Anabaptiſtis* 62. 63. *cum Pontificiis* 161. 163.
Communio *bonorum inter Anabaptiſtas Moravos* 62.
Conciliorum *autoritas* 243.
Concordiæ *liber editus* 60. *quid ſtatuat de Prædeſtinatione* 299.
Confeſſiones *Eccleſiarum Euangelicarum* 54. 55.
Conſtitutiones & *Canones Apoſtolorum ſcripta ſpuria ſunt* 126. 127.

## D.

DÆmonum *cultus primus* 170. *damnatus* 182.
Dagon *quid fuerit.* 186.
Danielis *ætas & liber* 97. *falſò adſcriptæ Additiones* 97. *decreta & Prædeſtinationem aſſeruit* 251.
David *Georgii autor Libertiniſmi* 63. *blaſphema doctrina de Deo* 242.
Decretum *Dei concluditur ex operibus creationis* 244. & *diluvio* 245. *ex prædictionibus* 246. *à prophetis aſſertum eſt* 247. ſeq. 251. *ab Euan-*

*geliſtis*

Digitized by Google

*geliſtis & Apoſtolis* 257. ſeq.
Delphici *oraculi origo* 74.
Deus *revelationis non ſcriptæ autor* 69. *Verbum ſuum ſcripſit in tabulis* 77. *Unitas Eſſentiæ & Trinitas Perſonarum credita ante diluvium* 167. *poſt diluvium* 170. 176. *tempore Moſis* 180. 181. *ſub Ioſua & Iudicibus* 184. 185. *ſub Davide & Salomone* 187 ſeq. *aſſerta à Prophetis* 191. ſeq. 203. ſeq. *poſt horum mortem* 206. ſeq. *tradita ab Euangeliſtis* 209. ſeq. & *Apoſtolis* 211. ſeq. *à Patribus* 216. ſeq. 224. 233. 234. *ab Orthodoxis* 242. 243.
Deuteronomii *ſumma & partitio*. 80. 81.
Διακρινόμενοι *hæretici* 37.
Dii *Chaldæorum* 171. ſeq. *Ægyptiorum* 173. *Samaritanorum* 193. *Græcorum* 197. 198. *Romanorum* 200. ſeq.
Diotrephis *doctrina* 23.
Divinatio *quid*. 76.
Dodonæi *oraculi origo* 74.
Dominicalia *collecta corruptelam attulerunt veræ doctrinæ* 44. & *neglectum Scripturæ* 147.

## E.

EBionis *hæreſis* 25. 215.
Eccleſiæ *vera Theologia & varia corruptela & reformatio* 9. & ſeqq. *uſque ad* 67. *diſtincta in Orientalem & Occidentalem* 35. *harum ſchiſma* 40. 41.
Eccleſiaſtes *Salomonis* 87.
Eccleſiaſtici *libri qui*. 140.
Eliæ *epiſtola deſideratur*. 89. *reſtauravit doctrinam de vero Deo*. 191.
Enthuſiaſmi *iactati à Cerintho* 129. *Montano* 137. *Mane* 138. *Anabaptiſtis quibuſdam*. 163.
Epiſcopi *primum æquales dignitate cum Presbyteris* 35.
Epiſtola *Eliæ periit* 89. *Chriſti ad Abgarum apocrypha* 114. *Synodi Apoſtolicæ primum N.T. ſcriptum*. 115. *Pauli* 120. ſeq. *reliquorum Apoſtolorum* 123.
Eraſmus *Roterodamus linguam Græcam reſtauravit* 157: *non fuit autor Antitrinitariorum* 239. *favit Pelagianiſmo* 287.
Eſaiæ *ætas & liber* 90. 91.
Eſdræ *liber* 99. *quædam falſo ei adſcripta* 99. *quid egerit circa Scripturam* 102. ſeq.
Eſſeni *ſeu Eſſæi qui* 19. *eorumque dogmata* 19. *traditiones junxerunt Scripturæ* 111. *fatum crediderunt*. 256.
Eſteræ *ætas & liber* 100.
Euangelicarum *Eccleſiarum reformatio* 51. ſeq. *Confeſſiones & Catechiſmus* 53. ſeq. *Doctores* 55. *Schiſma* 56. *tentata concordia* 58. *ampliatio ſchiſmatis per Lutheranos* 59. 60.
Euangeliſtarum *ordo* 118. *ſcripta eorum à quibuſdam hæreticis rejecta* 136.
Euangelium *Cyrilli monachi* 153.
Eutychiani *hæretici* 32.
Exodi *ſumma* 80. & *partitio* 81.
Ezekielis *ætas & liber*. 96. *decreta & Prædeſtinationem docet* 251.

## F.

Fatum *aſſertum à Gentilibus* 250. *à Zenone & Stoicis* 252. 253. *agnitum à Phariſæis & Eſſenis* 256. *à Colarbaſo* 266.
Feliciana *hæreſis* 239.
Fortuna *quo loco Gentilibus fuerit* 201. 250. *defenſa ab Epiſcopo & Epicureis* 254. 255. *à Sadducæis* 257.
Fratres *Roſeæ crucis adverſi Scripturæ* 160.
Fratrum *Eccleſia per Bohemiam qualis* 51.

## G.

Geneſeos *liber quando ſcriptus* 78, *ejus ſumma & partitio* 80.
Gentes *Verbum Dei aliquandiu retinuerunt* 72. *corruperunt & cur* 72. 73 *retinuerunt ſuperſtitionem ſub N T. initium* 130. *revocarunt polytheiam ad unum Deum* 222. *eandem ſervarunt* 223. *fatum & fortunam commenti ſunt* 250.
Gentilis *theologia* 11. 12. *principia ejus* 73. *libri ſacri* 94.
Gentiliſmus *labefactatus ſub N.T.* 26. *à quibus defenſus* 26. *& quomodo* 29. 30. *ab Impp. Chriſtianis afflictus* 33. *à Iuliano reſtitutus* 34. *plane proſcriptus* 34.
Gnoſtici *hæretici* 28. 219.
Godſcalci *ſententia de Prædeſtinatione* 282. *quid contra eam & pro eâ actum* 283.
Gratianus *Ius Canonicum collegit* 46. 131.
Græcâ *linguâ ſcriptum eſt N.T.* 115. *revocata in uſum* 157.
Græcarum *Eccleſiarum ſeceſſio à Latinis* 40. *doctrina & doctores* 41. *tentata conciliatio, ſed fruſtra* 42. *conſenſus cum Euangelicis* 42. *de Scriptura fides* 148. *interpretes quidam Scripturæ* 155. *controverſia de proceſſione Spiritus S.* 237. ſeq.
Græcorum *Theologia tripartita* 15. *quatuor ſectis diviſa* 17. *Dii eorum* 197. 198.

## H.

Habakuci *ætas & liber* 93.
Hæreſes *notatæ inter Iudæos* 18. ſeq. *inter Chriſtianos* 22. ſeqq. *ad* 67.
Haggæi *liber* 100.
Haruſpicium *quid* 76.
Haſidæi *qui, & quotuplices* 19
Hebræi *unde dicti* 79. *horum lingua & characteres primum ad Scripturam adhabiti* 78. 79. *differt lingua à Chaldæâ & Cananæa* 79. *in uſum revocatâ à Reuchlino* 156. *ad Hebræos Epiſtola non ſcripta Hebraicè* 115. *ejus autor Paulus* 123.
Helleniſmus *quid* 15. *corrupit religionem Iudæorum* 17.
Henoch *nihil ſcripſit, ejuſque liber apocryphus* 70.
Herman *primus ſcriptor Eccleſiaſticus N.T.* 27.
Herodes *religionem corrupit* 20. *non procuravit verſionem Græcam V. T.* 112.

Hie-

Digitized by Google

Hieronymi *verſio gemina V.T.* 142. *oppoſuit ſe Pelagianis* 271.
Hiſtoria *Eccleſiaſtica Comeſtoris* 153.
Hiſtorica *Theologia datur* 3. 4. *ejus cauſa* 5. ſeq.
Homiliæ *in Eccleſiam introducta* 147.
Hominum *cultus quando cœpit* 170. *apud Chaldæos obtinuit & Ægyptios* 173. *damnatus* 182. *cauſa ejus* 2 3.
Hoſeæ *ætas & liber* 90.
Huſſus *aſſertor veritatis* 50. *ejus ſectatores diviſi* 51.

I.

IDola *in Scripturis commemorata.* 172. 175. 182. 183. 185. 190. 191. 192.
Idololatria *Cainitarum quæ.* 169. *Chami.* 171. *Chaldæorum* 171. ſeq. *Ægyptiorum.* 173. *in familiâ Iacobi.* 177. *ſpecies.* 182 183. *Iſraëlitarum.* 184. *Gentium vicinarum.* 185. *Ieroboami.* 190. *Iſraëlis X tribuum.* 191. *Samaritanorum.* 193. *Salomonis* 193. *Iudæorum.* 194. *Græcorum.* 197. 198. *Romanorum.* 200. ſeq. *Gentilium.* 223.
Jeremiæ *ætas.* 91. *prophetiarum & threnorum liber* 92. *epiſtola falſo tributa apud Baruchum.* 92.
Jeſuitæ *Pelagiani.* 289. *Scientiæ media autores* 290. *moderatiores.* 291.
Imagines *initio nullæ.* 174. *à quibus inventa.* 174. 175.
Imperatores *Chriſtianiſmi perſecutores.* 26. 30. *defenſores.* 30.
Imperium *Rom. per Pontifices ad Francos & ad Germanos translatum.* 43.
Interim *liber à Carolo V. publicatus.* 56.
Jobi *ætas & religio.* 13. 72. *genus ejus.* 83. *liber à Moſe ſcriptus.* 83. *partitio ejus.* 83. *agnovit Deum Triunum.* 178. *decreta divina.* 247
Joëlis *ætas & liber.* 90.
Johannis *Baptiſtæ doctrina.* 21.
Johannes *Apoſtolus cur ſcripſerit Evangelium.* 119. *partes ejus.* 120. *Epiſtola Apoſtoli.* 124. *Apocalypſeos autor eſt.* 125. *cur dicatur Theologus.* 125. *aſſeruit Deitatem Filii contra hæreticos* 214. *ejus judicium de Cerintho.* 215.
Johannis *Damaſceni liber de fide orthodoxâ.* 41. *judicium de eo.* 41.
Jonæ *ætas & liber.* 89.
Joſuæ *liber, ejuſque partitio.* 84.
Jovis *Ammonis oraculum.* 74.
Irnerius *Ius Civile in uſum revocavit.* 46.
*R.* Juda *Sanctus textus Talmudici ſcriptor.* 29.
Judæorum *Theologia in Babylone & poſt captivitatem.* 16. *corruptela per Helleniſmum.* 17. *per ſchiſmata.* 18. *& hæreſes.* 18. 19. *per Herodem.* 20. *Schola in Iudæa & Babyloniâ.* 26. *religio eorum Iudaiſmus dicta.* 25. *defenſa rebellione Bar Cozbæ* 29. *ſcriptione Talmudis* 29. *ſtudia.* 32. *motus turbulenti.* 33. *inhæſerunt V.T. & traditionibus.* 130. *Talmud Hieroſolymitanum receperunt.* 138. *& Babylo-*

*bylonicum.* 145. *Symbolum fidei conceptum à Maimonide.* 155. *fundamenta defenſa.* 155. *triplices poſt ætatem Apoſtolorum.* 221. *quidam fatum, alii fortunam amplexi.* 256. 257. *fatum ex aſtris aſſerunt.* 266.

Judicum *libri autor & partitio.* 84.

Judithæ *liber apocryphus.* 93. *Canonicis à concilio Carthag. III. annumeratus.* 140.

Juliani *Apoſtatæ ſtudium in Iudæos.* 33. *reſtitutio Gentiliſmi.* 34.

Juris *Civilis reſtitutio.* 46. *Canonici origo.* 46. 150. *autores.* 151. *partes.* 151. *autoritas.* 152.

K.

Kabbala *ſeu lex ἄγραφος.* 82. *antiqua & Moſaica Iudæorum.* 82. *falſa eſt.* 82. 83.

Karræi *qui.* 18.

L.

Levitici *liber, & partitio.* 80. 81.

Libertiniſmi *autores,* 63.

Libri *Sacri Gentilium.* 94. 95. *N.T. ſuppoſititii, eorumque notæ.* 126.

Lingua, *quâ primùm Scriptura exarata, Hebræa eſt.* 78. 79. *poſt reditum ex Babel maximam partem Hebræa.* 98. *corrupta in communi uſu.* 98. 99. *N.T. Græca.* 115.

Lombardus *Scholaſticæ Theologiæ princeps.* 47. *quid deficiat circa Prædeſtinationem.* 284.

Lucas *quis fuerit.* 119. *Euangelium ejus* 119. *Actorum Apoſtolicorum liber.* 120.

Lutheranorum *cum Reformatis controverſia primùm una.* 57. *inde duæ.* 57. *tum una rurſum.* 58. *inde denuo duæ* 59. *tandem auctæ* 60. *inclinarunt ad Pelagianiſmum.* 297. 298. *quid ſtatuerint in libro Concordiæ* 299. *in Colloquio Mompelgartenſi,* 301. *controverſia inter Huberum & Hunnium* 302. *inter Hunnium & Hofmannum.* 302. *modernorum ſententia de Prædeſtinatione.* 302. 303.

Lutheri *reformatio* 52. *autor ſchiſmatis inter Euangelicos.* 56. ſeq. *diſſenſus de quibuſdam Scripturæ libris.* 159. *Auguſtinum defendit in libro de Servo arbitrio.* 294. *eum librum nunquam retractavit.* 295.

M.

Maccabæorum *libri.* 109. *ordo eorum, autores & ſingulorum apocrypha ratio.* 110.

Magi *unde dicti.* 75. *origo Magiæ.* 75. *ſpecies ejus.* 76.

Mahometis *genus & geſta.* 38. 39. *Mahometiſmi ortus.* 37. *occaſio ejus.* 37. 38. *autor & adjutores* 38. *promulgatio & propagatio.* 39. *ſchiſma* 39. *agnoſcit libros V. & N.T.* 148. *nova principia ſunt Alcoranus* 149. *& Zuna.* 150. *item Enthuſiaſmi ac vis armata* 150. *doctrina de Deo.* 234. *negat Trinitatem.* 235. *quid ſtatuat de divinis perſonis* 236. 237. *de*

Digitized by Google

237. *de providentiâ & prædeſtinatione.* 284.
Malachiæ *ætas & liber.* 101.
Manaſſis *oratio apocrypha.* 93.
Manes *Manichæorum autor.* 28.
Marci *Euangelium non ſcriptum latinè.* 11. *partitio.* 119.
Marcionis *hæreſis.* 26. 28. 220.
Maſſilienſes *Semipelagianiſmi autores.* 273.
Matthæi *Euangelium non ſcriptum hebraicè.* 115. *partitio ejus.* 118,
Melanchthonis *ſententia de Prædeſtinatione.* 295. *mutatio ab ipſo cur, & in quibus facta.* 296.
Melchizedeci *religio.* 13. 72. 178.
Menandri *hæreſis.* 24. 215.
Menno *Simonis Anabaptiſmi reformator.* 63.
Mercurii *Triſmegiſti teſtimonium de Deo Unitate & Trinitate.* 179.
Molochi *cultus.* 183.
Moſes *quo ordine Scripturam conſignarit.* 78. *libri ejus & eorum appellatio.* 80. *ſumma & ſcopus.* 80. 81. *libri ejus non perierunt cum templo primo.* 96. *doctrina ejus de Deo triuno.* 181. *de Prædeſtinatione.* 247.
Moſes *Cretenſis Pſeudomeſſias Iudæorum.* 33.
Michææ *ætas & liber* 91.
Miracula *jactata ab hæreticis.* 129. *à Papiſmo.* 148.

## N.

NAhumi *ætas & liber.* 91.
Nazoræorum *hæreſis.* 24.
Neſtoriani 32. *damnati.* 277.
Nehemiæ *liber.* 100.
Nicolaitarum *hæreſis.* 23.
Nicolaus *Storck & Thomas Munzerus Anabaptiſmi autores.* 60. 61.
Noachi *Theologia.* 10.
Novatores *iniquiores in Scripturam.* 165 *multum tribuunt rationi.* 165. *affines Sociniano in doctrina de Trinitate.* 242.
Novatus *& Novatiani.* 29.
Numa *autor Theologiæ Romanæ.* 16.
Numerorum *libri ſumma & partitio.* 80. 81.

## O.

OBadiæ *ætas & liber.* 93.
Oecumenici *Epiſcopi qui dicti.* 36.
Omer *Alcorani interpres.* 39.
Oniæ *ſchiſma novo templo condito.* 18.
Oracula *Diabolica.* 73. *Iovis Ammonis, Dodonæum, & Pythium.* 74. *eorum defectus.* 130.
Origenis *Tetrapla, Hexapla, Octapla.* 133. *error de Prædeſtinatione.* 264.

## P.

PAgani *cur dicti Gentiles.* 33.
Papa *unde dictus.* 35.
Papiſmus *quid.* 35. *ejus origo.* 35. 36. *corrupit religionem.* 40. *hierarchia ejus gradus.* 42. 43. 45. *molimina contra reformationem Lutheri.* 52. *& Euangelicorum* 56. *corruptela contra Scripturam.* 146. *nova principia introduxit.* 147. *& auxit.* 151. 152. 153. *contra Scripturam* *blaſ-*

*blaſphemia*, & *decreta* 161. *diſſenſus de Prædeſtinatione inter ipſoſmet*. 288. ſeqq.

Patrum *primorum ſcripta quo vitio laborent*. 28. & *ſequentium*. 31. *Apocryphos libros à Canonicis diſtinxerunt*. 135. *quanti fecerint Scripturam Canonicam*. 135. 141. *quidam traditionibus addictiores* 136. *eorum autoritas*. 143. *in Papatu æquati Scripturæ*. 147. *de Prædeſtinatione primi parcè, nec ſatis ſanè docuerunt*. 261. *unde id factum*. 262. *de præſcientia quid ſtatuerint*. 263.

Patriarchæ *inſtituti*. 36. & *quot* 36.

Pauli *Epiſtolæ quo ordine ſcriptæ*. 116. 117. *partitio ſingularum*. 120. ſeq. *autor eſt Epiſtolæ ad Hebræos* 123. *Epiſtola ejus ab hæreticis rejecta*. 137. *Deitatem filii aſſeruit contra Angelorum cultores*. 214.

Pelagiani. 32. *hæreſeos autor*, & *origo*. 269. *cauſa*. 269. *fundamenta & propagatio*. 270. *oppugnata ab Hieronymo & Auguſtino*. 271. *damnata à Conciliis & Imperatoribus*. 272. 273. *reſtituta per Benedictum*. 281. *favere videtur Damaſcenus*. 282. & *Theophylactus* 282. *obviam itum à pluribus*. 282. 283. *defenderunt eam quidam Scholaſtici*. 285. *favit Eraſmus*. 287. & *Piggius*. 288. *à Franciſcanis defenſa*, 288. & *Ieſuitis* 289. 290. *repugnant Dominicani*. 290. & *moderatiores Ieſuitæ*. 291. *defenditur à Socinianis*. 292. ſeq. *inclinant ad eam Lutherani*, & *gradus ejus* 297. ſeqq. *inter Reformatos, qui ad eam acceſſerint*. 303. ſeqq.

Phariſæi *qui*. 19. *traditiones Scripturæ addiderunt*. 111. *crediderunt fatum*. 256.

Philoſophi *Gentiliſmum defenderunt*. 26. 30. *principium eorum ratio humana* 113. *oppugnarunt Scripturas*. 138. *circa Providentiam ſententiis diviſi*. 252. 257. 266.

Phocas *Epiſcopum Rom. fecit Univerſalem* 36.

Platonis *Philoſophia an ex Scriptura hauſta*. 113. *rationem humanam habet principium*. 113. *doctrina ejus de Deo*. 198. 199. *de Trinitate*. 299. *de Providentiâ*. 255.

Polytheïæ *contradictum à Socrate & Platone* 198 *ad unum Deum revocata à Philoſophis* 222. *cur nihilominus retenta*. 223.

Pontifices *Rom. Imperium tranſtulerunt ad Francos & Germanos*. 43. *Decreta ipſorum pro principio religionis habita* 147. *ſupremum judicium Controverſiarum eis aſſertum*. 163.

Poſtillæ *introductæ & damnum earum*. 147.

Pſalmorum *liber quos autores habeat*. 85. *partitio ejus*. 85.

Pſeudapoſtolorum *hæreſis*. 23.

Prædeſtinatio *oſtenditur ex prima promiſſione* 245. *documenta ejus alia* 246. *aſſerta à Moſe*. 247 248. *à Prophetis* 249. 250. 251. *ignota gentilibus*. 252. *aſſerta ab Euangeliſtis & Apoſtolis* 257. ſeq. *à primis Patribus parcè, nec ſatis ſanè tradita*. 261. ſeq. *ab hæreticis*

*variis*

Digitized by Google

*variis oppugnata.* 265. *inconſtanter aſſerta à Patribus Græcis.* 267. & *Latinis* 267. 268. *rectius ab Hieronymo.* 271. & *Auguſtino.* 271. 272. & *hujus defenſoribus* 279. 280. 283. 284. *diſſenſus Scholaſticorum circa eam.* 285. *Tridentinorum Doctorum.* 288. & *aliorum Pontificiorum* 289. ſeq. *Lutherus conſtanter eam tutius eſt.* 294. 295. *à Lutheranis varie declinatum.* 297. ſeq. *vera doctrina in Eccleſiis reformatis aſſerta contra turbones* 303. ſeqq.

Prædeſtinatorum *hæreſis* 273. *repullulavit.* 277.

Præliorum *Iehovæ liber quid fuerit.* 83.

Præſcientia *Dei quomodo à Patribus tradita.* 263.

Primatus *in Eccleſia tributus Patriarchis.* 36. *ad unum contractus.* 36. *labefactatus à Luthero* 52.

Propheticorum *librorum ordo.* 89. *non perierunt in excidio templi primi.* 95. 96.

Proverbia *Salomonis à quibus collecta.* 85. *partitio.* 85.

Providentia *in Fatum mutata à Stoicis.* 252. *negata ab Epicureis.* 254. *aſſerta ab aliis Philoſophis* 2 5. *à primis Patribus.* 261. *oppugnata ab hæreticis.* 265.

Punctorum *Vocalium apud Hebræos origo.* 80.

R.

Rabbini *Trinitatem olim agnoverunt.* 208.

Ratio *humana Principium religionis Philoſophis.* 113. *Socinianis* 164. *Novatoribus.* 165.

Reformationis *Euangelicæ initium* 51. ſeq. *ſcripta publica* 53. ſeq. & *privatim* 55. *doctores celebriores.* 55.

Regum *libri quos autores habeant.* 88. *utriuſque partitio.* 88.

Revelationis *in Theologia neceſſitas.* 68. *modi ejus ad Abrahamum.* 71. *Satanico* 70. 72.

Romana *Theologia.* 15. *Dii ejus.* 200. ſeqq. *Eccleſiæ Romanæ primatus quando cœperit.* 36. 37.

Ruthæ *liber.* 84.

S.

Sacramentarii *ſchiſmatis inter Euangelicos occaſio, & hiſtoria.* 56. ſeqq.

Sadducæorum *origo & dogmata.* 19. *non repudiarunt prophetas, ſed traditiones.* 111. *providentiam negarunt.* 257.

Salomonis *ſcripta.* 86. *cur ejus reſipiſcentia non diſertè expreſſa.* 87. *ſcripta falsò tributa.* 87. *idololatria.* 193.

Samaritaniſmus 14. *corrupit religionem Iudæorum.* 17 *ſolos Moſis libros recepit.* 94. *fuit permixtio cultus falſi cum vero.* 193.

Samoſateniani *hæretici.* 28. 32. 220.

Samuelis *libri primus.* 85. *ſecundus.* 86.

Sapientiæ *liber non eſt Salomonis.* 87. *nec Canonicis conſentiens.* 88.

Sarmatarum *rudis Theologia.* 11.

Satur-

Saturnini *hæreſis*. 215.

Schiſma *Oniæ* 18. *Victoris Romani ob tempus Paſchæ*. 29. *Novati de lapſis*. 29. *Eccleſiarum Græcarum & Latinarum*. 40 41. *Euangelicarum*. 56. ſeq.

Scholæ *Iudæorum in Iudæâ & Babyloniâ* 26. *Chriſtiana prima Alexandriæ*. 27.

Scholaſticæ *Theologiæ initia, & ætates*. 47. 48. *principia ejus*. 152. *obſcurat doctrinam Trinitatis*. 239. *diſſenſus Doctorum de Prædeſtinatione*. 285.

Schytarum *religio rudis*. 11.

Scientia *media Ieſuitarum commentum*. 290.

Scripta *Patrum recenſita*. 27. 28. 31.

Semipelagiana *hæreſis*. 273. *oppugnata ab Auguſtino*. 274. *reſtituta à Caſſiano & aliis*. 277. ſeq. *repreſſa* 279. 280. *damnata à Pontificibus Rom*. 280. *& Conciliis*. 281.

Septuaginta *interpretes Græci V. T. qui*. 107. *quid verterint*. 107. *emendationes verſionis*. 133. *uſus ejus in Eccleſiâ*. 134.

Scriptura *S. ante diluvium nulla fuit* 69. *quando cœperit*. 77. *ordo ſcriptionis* 78. *lingua prima & characteres Hebræi*. 78. 79. *cuſtodia*. 81. *collectio*. 102. *diſtributio*. 102. ſeq. *Verſio prima* 106. *N.T. quando cœperit*. 115. *lingua ejus Græca*. 115. *ordo ſcriptionis dubius*. 116. *diſtributio*. 117. 118. *de quibuſdam partibus dubitatum aliquando*. 126. *nullum extra eam ſcriptum Apoſtolicum*. 128. *Autoritas Scripturæ quæ apud Patres* 135. 141. *oppugnata à Philoſophis* 138. *hæreticis*. 145. ſeq. *quid ei tribuat Mahomet*. 148. 149. *in Papatu neglecta* 146. ſeq. *alia principia ei addita*. 150. ſeq. *apocryphi exæquati*. 153. *aſſerta à quibuſdam Pontificiis*. 153. 154. *per VValdenſes*. 154. *& reformatores Euangelicos*. 158. *detractum ei per quoſdam* 160. *contradictiones & condemnationes Pontificiorum* 160. ſeq. *Anabaptiſtæ diverſimodè eam habent*. 163. *detrahunt ei Sociniani* 164. *& Novatores*. 165.

Serveti *hiſtoria*. 64. *hæreſis*. 240.

Seth *an quid ſcripſerit*. 69

Sibyllæ *quænam*. 77. *Sibyllini libri*. 95. *carmina abolita*. 145.

Simonis *Magi hæreſis*. 22. *adverſa doctrinæ de Deo*. 215.

Socinianiſmi *hiſtoria* 63. ſeq. *ſcopus*. 64. *autores & propagatio*. 64. ſeq. *diviſiones & ſchiſmata*. 66. 67. *variè detrahit Scripturæ*. 164. *doctrina de Deo uno & trino*. 240. 241. *Pelagianiſmum tuetur*. 292. ſeq.

Socinorum *Lælii & Fauſti hiſtoria*. 65. ſeq. *hæreſis*. 241. 292. 293.

Sophoniæ *ætas, & liber*. 92.

Spiritus *S. deitas non agnita ab Ario*. 227. *negata à Macedonio*. 233. *de proceſſione ejus controverſia Græcarum Eccleſiarum*. 237. ſeq.

Swenckfeldii *error de Cœnâ*. 160. *Scripturam contemſit*. 160.

Symbolum *Apoſtolicum non eſt Apoſtolorum*. 131. *origo ejus*. 131. *Oecumenica & Athanaſii* 143. 225. 233. *Iudæorum*. 225.

Syna-

Digitized by Google

Synagoga *magna quid egerit circa Scripturam.* 102.
Synodus *prima Apoſtolorum.* 23. *Synodi plures.* 30. 31. 221. 226. 229. 230. 232. 233.
Syracidis *liber apocryphus.* 109.

T.

TAlmud *Hieroſolymitanum ſcriptum.* 29. 138. *Babylonicum.* 33. 145.
Tatiani *haretici.* 265.
Templo *ſecundo qua defuerint.* 101. *reſtauratio cœpta ſub Iuliano, & divinitus impedita.* 33.
Teraphim *qualia ſimulacra* 175.
Teſtamentum *Vetus repudiarunt quidam haretici.* 136. *Novum ex parte vel totum alii* 136. 137. *editiones originali linguâ procurata.* 157.
Theodotion *ſcriptor Additionum ad Danielem.* 98. *commendatio verſionis ejus V. T.* 132.
Theologia *Vera V. T.* 9. 10. 12. 13. 14. 16. 20. *N. T.* 21. 22. 26. 27. 30. 31. 43. 44. 48. 49. 50. 51. *Falſa V. T. Caini.* 10. *Chami.* 11. *Gentilium.* 11. *Chaldaorum & Ægyptiorum* 12. *Samaritanorum* 14. *Græcorum & Romanorum.* 15. *hareticorum.* 18. ſeqq. *N. T. Simonis magi.* 22. *hareticorum* 23. 24. 25. 28. *Gentilium* 26. 29. 33. *Iudaorum.* 25. 29. 32. *Papiſmi.* 35. 40. 44. 45. *Mahometiſmi.* 37. ſeqq. *Forenſis ſub Papatu.* 44. 46. *Scholaſtica origo.* 47. *& ætates.* 47. 48.
Thomas *Auguſtinum ſequitur de Prædeſtinatione.* 285.
Threnorum *liber.* 92.
Tobiæ *liber apocryphus.* 93.
Traditio *religionis à Deo.* 69. *propagata.* 69. ſeq. *reliquia ejus inter gentes.* 73. *Humanarum autoritas apud Iudaos.* 111. *damnata à Chriſto & Apoſtolis.* 113. *in pretio quibuſdam hareticis.* 129. *& nonnullis Patribus.* 136. *à Papiſmo principiis annumerata.* 147. *æquata Scripturis.* 162.
Tridentini *Concilii ratio.* 56. *quid egerit contra Scripturam.* 161. 162. *impugnatum defenſumque.* 162. *diviſum in articulo de Prædeſtinatione.* 288. *quem ambigue definivit.* 289.
Trinitas *agnita ab Adamo.* 167. *Noacho.* 170. *Abrahamo & Patriarchis.* 176. *Iobo.* 178. *tempore Moſis.* 181. *Ioſua.* 184. *Iudicum.* 186. 187. *Davidis & Salomonis.* 188. 189. *aſſerta à prophetis.* 192. 205. *in libris apocryphis.* 207. *agnita à Iudais veteribus.* 208. *declarata ab Euangeliſtis & Apoſtolis.* 209. ſeq. 212. ſeq. *à Patribus.* 226. ſeqq. 224. 233. *in Eccleſiis Occidentis.* 234. *& Gracis.* 237. *poſtremis temporibus.* 242. 243. *veſtigia ejus inter Gentes.* 171. 179. 199. 200. 224. *oppugnata ab hareticis.* 215. 219. 220. 225. 227. 233. 234. 239. 240. ſeq.

V.

VAlentinius *autor Valentinianorum.* 88. *dogmata.* 220.

Valentini *Gentilis hiſtoria.* 65. 66. *hæreſis.* 240.

Vaticinia *Gentilium per mares.* 75. 76. *per fœminas.* 76. 77.

Verbum *Dei traditione primò promulgatum & propagatum.* 69. 70. ſeq. *ſcribi cœpit à Deo ipſo.* 77. *Moſe.* 78. 83.

Verſio *V. T. Græca quando facta.* 106. *hiſtoria ejus, quæ* LXX *dicitur* 106. ſeq. *lingua ejus non purè Græca.* 109. *Chaldaica.* 112. *nulla Græca à Herode procurata.* 112. *Græca alia* 132. *plurium collectio.* 133. *emendationes* 133. *N. T. Syra.* 133. *V. & N. T. Latina antiquior.* 134. *in pluribus linguis.* 134. *Latina V. T. Hieronymi.* 142. *Vulgata latina an ipſius.* 142. *Teutonica* 146. *Gallica VValdenſium.* 154. *Latina N. T. Eraſmi.* 158. *varia in variis linguis.* 158. 159. *Vulgata Latina authentica declarata Tridenti.* 162.

Vitulus *aureus qualis.* 182. 183. *Ieroboami duo.* 190.

Uko *VValles hæreticus inter Anabaptiſtas.* 265.

Unitas *Dei agnita à Socrate & Platone.* 198. *Ariſtotele.* 199. *Macrobio.* 202. *Plinio, Seneca, Cicerone.* 202. 203. *ad eam revocata polytheïa.* 222.

W.

WAldus *reformationem cœpit.* 49. *VValdenſium Eccleſia & doctrina.* 49. *diſperſio & propagatio.* 50. 51. *familiariſſima eis Scriptura.* 154.

Weigelius *Scripturam contemſit.* 160. *errores de Deo.* 243.

Wiclefus *contra Papatum veritatem aſſeruit.* 50.

Z.

ZAchariæ *liber.* 100.

Zoroaſtres *magiæ autor.* 76.

Zuinglii *reformatio & encomium.* 53.

Zuma *poſt Alcoranum Mahometiſmi fundamentum.* 150.

FINIS.

Digitized by Google

## *Menda Graviora.*

PAg. 3. l. 9. eſt l. 34. Act. 7. p. 19. l. 8. ἰκμαζόμενω. p. 23. l. 39. non minus p. 24 l. 38. ſcripſit p. 34. l. 24. Gentiliſmus labi, p. 41. l. 8. nec p. 43. l. 22. pro- p. 48. l. 7. Halenſis, l. 33. ut p. 56. l. 1. ringebantur p. 58. l. 18. excluſi p. 60. l. 23. agnoſceret aut metueret. p. 61. l. 6. inronsâ l. 39. *pro* cum *leg.* quod p. 63. l. 39. initiò p. 64. l. 25 explicetur. p. 66. l. 37. ſe infuderit: p. 74. l. 39. introſpicientem p. 77. l. 8. *pro βιαιε leg. σοῖς* p. 78. l. 2. Exod. 32. v. 16. p. 81. l. 16. *post* generis *add.* eſt, partim leges quaſdam ceremoniales, p. 83. l. 16. Jobabi p. 89. l. 20. *Elia* p. 95. l. 19. aditi p. 97. l. 1. conſummatione l 4. Perſarum l. 18. nonum p. 98. l. 27. anteriores l. 39. Recentioris p. 100. l. 30. *pro* ac *leg.* ei p. 101. l. 4. eadem p. 104. l. 28. pauſatum, p 105. l. 22. unoque p. 109. l. 7. *del.* in l. 20. intelligatur. p. 111. l. 18. Samaritanorum p. 112. l. 27. Luciano p. 114. l. 28. & paſſim p. 115. l. 13. Novi Teſtamenti p. 119. l. 28. non ſatis p. 128. l. 37. poſt reſurrectionem p. 129. l. 36. idque p. 132. l. 38. & à ſe p. 134. l. 28. non modo p. 139. l. 3. quo idem p. 141. l. 22. quid l. 23. quod p. 143. l. 2. Oecumenica p. 149. l. 20. hos p. 150. l. 39. Ivone p. 160. l. 2. quod p 161. l. 20. ni p. 170. l. 34. Gen. 7. 8. p. 176 l. 6. à Chaldæis p. 177. l 40. *ἐν τύχῃ* p 179. l. 22. divinitas p. 183. l. 1. ſeu l. 12. efformatus p. 187. l. 22. Primi p. 190. l. 4. Adón p. 191. l. 7. *μέγας* p. 193. l. 22. Nibchaz p. 199. l. 5. adfuerint l. 6. Rectorem l. 35. Coriſcum p. 207. l. 28. autor libri p. 209. l. 26. conſecratus. p. 212. l. 1. omnipotentem p. 222. l. 25. ſuperſubſtantialem p. 245. l. 33. ſervavit p. 250. l. 27. impediri l. 28. nulla l. 34. valentem p. 251. l. 2. progredimur. p 255. l. 32. nec non p. 266. l. 4. Sed p. 290. l. 15. nodo l. 36. Leſſius p 295. l. 16. & p. 301. l. 37. Kimedoncius p. 296. l. 31. accidit p. 297. l. 8. inſtituit l. 22. diſſenſus p. 298. l. 18. profitentem: *Praeterea in Hebraeis* ץ *pro* צ *ſemper, &* ר *pro* ד *expreſſum.*

*Pag.* 33 *l.* 22. *& ſeqq. ſic legendum:* Sub Juliano immaniter ſævierunt in Chriſtianos, & templa eorum Damaſci, Gazæ, Alexandriæ, & alibi incenderunt aut deſtruxerunt, teſte Ambroſio Epiſt. 29. ad Theodoſium Imp. imò etiam ejuſdem Juliani permiſſu atque ſumptu, in Judæa templum Hieroſolymitanum reſtaurare aggreſſi ſunt. Opus autem &c.

Digitized by Google